7/7/1982

S. 1301A



MISCELLANEORUM
MEDICO-PHYSICORUM
SIVE
EPHEMERIDUM
GERMANICARUM
ANNUS OCTAVUS.

Proſtat
Vratislaviæ apud COLLECTORES,
Ut &
Lipſiæ & Francofurti ad Mœnum.


COLLEGIUM ACADEMIAE NATURAE CURIOSORUM.
L
NUNQUAM OTIOSUS.
EPHE ERID. GER MEDICO-PHYSICAR. CURIOS RUM
ANIMALIA. MINERALIA. VEGETAB.
ANATOM. CHYMIA. BOTANICA.
ANNUS VIII
GERMANIA.
Vienna
Bohemia
Misnia
M.B. d. B. M.D.
S.R.M.P.M. &c.

MISCELLANEA CURIOSA,

SIVE

EPHEMERIDUM MEDICO-PHYSICARUM GERMANICARUM ACADEMIÆ NATURÆ CURIOSORUM

ANNUS OCTAVUS

Anni M. DC. LXXVII.

Continens

Celeberrimorum Virorum

Tum Medicorum tum aliorum Eruditorum in Germania & extra Eam

OBSERVATIONES

MEDICAS, PHYSICAS, CHYMICAS,

Nec non

MATHEMATICAS

Cum

APPENDICE.

VRATISLAVIÆ & BREGÆ,
Sumtibus COLLECTORUM,
Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI JACOBI.
ANNO M. DC. LXXVIII.

POTENTISSIMO

AC

INVICTISSIMO

ROMANORUM

IMPERATORI

LEOPOLDO,

PERPETUO AUGUSTO,

GERMANIÆ,

HUNGARIÆ,

BOHEMIÆ,

DALMATIÆ,

CROATIÆ,

SCLAVONIÆ,

ETC.

REGI,

ARCHIDUCI AUSTRIÆ,

BURGUNDIÆ,

BRABANTIÆ,

STIRIÆ,

CARINTHIÆ,

CARNIOLÆ,

&

LUTZENBERGÆ,

ac

SILESIÆ

DUCI,

COMITI TIROLIS,

ETC. ETC.

HUNC

Ephemeridum Suarum Annum Octavum

Devotiſſimè conſecrant

Submiſſiſſimi ſubjectiſſimiq;

NATURÆ CURIOSI.

CÆSARE quid MAJUS? Quid MAJUS in Orbe
MONARCHA?
Anne humiles chartæ TE, LEOPOLDE, petant?
Divinis, ſi non LUCI allatura tenebras,
SOL, Sacra, SUMME, TIBI Scripta tuere OCULIS.
Atq; LEONINA cum MAJESTATE TRIUMPHANS
Hoſtiles turmas contere, nosq; tege!

CATA-

Privilegium Cæsareum.

LEOPOLDUS, *Divinâ favente clementiâ electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, Comes Tyrolis, &c.*

Agnoſcimus & notum facimus tenore præſentium univerſis; quod cum Nobis ex parte *Societatis Academicæ Naturæ Curioſorum* per Henricum Volgnad & Joannem Jæniſchium quà *Collectores Ephemeridum Medico-Phyſicarum Germanicarum*, demiſsè expoſitum fuerit; ſe *Earum Volumen Octavum* currente hoc anno adhuc edendum ſub prælo habere, vereri autem ne, quod jam experti ſint, aliorum fraude ſeu æmulatione, qui primas iſtiusmodi editiones præproperè nonnunquam & vitiosè imitari conſveverint, ſperato laboris & gloriæ ſuæ fructu deſtituantur; humiliter Nobis ſupplicando, ut ſuæ hâc in re indemnitati conſulere clementer dignaremur: Nos hujusmodi precibus, ut quæ æquitate nitantur, benignè annuendum duxerimus; Ac proinde omnibus & ſingulis Bibliopolis, Typographis ac Bibliopegis aliisq; quibuscunq; rem librariam ſeu negotiationem exercentibus ſeriô inhibemus ac vetamus, ne eorum quisquam ſine præſcitu prædictorum *Collectorum* Henrici Volgnadii & Joannis Jæniſchii, aut ab *iis* in ſcriptis obtentâ Licentiâ ante-nominatum *Octavum Ephemeridum Volumen* ſub *quinq; marcarum auri* pœnâ intra *quinquennium* proximum, â primâ editionis die computandum, intra Sac. Rom. Imperii Regnorumq; & Dominiorum Noſtrorum Hæreditariorum fines in ſimili vel alio typo, charactere aut formâ, ex parte vel ex toto recudere, vel aliô recudendum dare, aut alibi etiam impresſum adducere, vendere vel diſtrahere clam aut palam præſumat: Si quis vero ſecus faciendo privilegium ſeu interdictum hoc Noſtrum transgredi, violare aut contemnere deprehendatur, eum non ſolùm hujusmodi libris perperam quippe recuſis & apportatis (quos dicti *Impetrantes*, ubicunq; inventi fuerint, ſive propriâ ſive Magiſtratus ibidem authoritate atq; auxilio ſibi vendicare poterunt) privandum; ſed & ſupradicta *quinq; marcarum auri* pœna ex ſemiſſe *Fiſco* ſeu ærario Noſtro Impe-

riali

riali inferenda, ex altero vero ſemiſſe, parti læſæ toties, quoties contra factum fuerit, omni ſpe veniæ ſublatâ, mulctandum decernimus. Dummodo tamen idem *Octavum Volumen* bonis moribus & orthodoxæ fidei Noſtræ, Conſtitutionibusq; Imperialibus contrarii nihil contineat, & tenorem hujus *Privilegii* Noſtri pro cujusq; notitiâ, in fronte præimpresſum exhibeat, quatuorq; ad minus exemplaria ad Cancellariam Noſtram Imperialem quam primum transmittantur.

Mandamus ergo univerſis Noſtris & Sac. Rom. Imperii Regnorumq; ac Ditionum Noſtrarum hæreditariarum ſubditis, cujuscunq; ſtatûs, gradûs, ordinis, conditionis aut dignitatis exiſtant, tàm Eccleſiaſticis quàm Secularibus, præſertim vero iis, qui in Magiſtratu conſtituti, vel proprio vel ſuperiorum nomine & loco, jus ac juſtitiæ adminiſtrationem exercent, ne quenquam *Privilegium* hoc Noſtrum Cæſareum temerè & impunè transgredi aut violare patiantur, quin potius contumaces, ſi quos fortè compererint, præſcriptâ pœnâ mulctari, aliisq; modis idoneis coërceri curent, quatenus & ipſi eandem mulctam evitare voluerint. Harum teſtimonio Litterarum manu Noſtra ſubſcriptarum & Sigilli Noſtri Cæſ. impresſione munitarum. Datum in civitate Noſtrâ Viennæ, die nonâ menſis Maji, An. Domini mill. ſexcent. ſeptuageſimo octavo, Regnorum Noſtrorum, Romani vigeſimo, Hungarici vigeſimo tertio, Bohemici verò vigeſimo ſecundo.

LEOPOLDUS.

L. S.

Ut

Leopold Wilhelm/ Graff
zu Königsegg.

Ad mandatum Sacræ Cæſareæ
Majeſtatis proprium.

Chriſtoph. Beuer.

CATALOGUS

Præcellentiſſimorum Dnn. Medicorum,
qui ad Annum VIII Ephemeridum
*Obſervationes ſuas gratioſè confer-
re dignati ſunt.*

1. D. Daniel ANGELUS, *Illuſtriſſ. Comitis Odoardi de Pepolis, Caſtilionis, Baragaciæ, Sparvi &c. Comitis & Senatoris Bononienſis Medicus.*
2. D. Daniel BECKERS, *Sacr. Cæſ. Majeſt. Conſiliarius, nec non Perſonæ & Aulæ Medicus.*
3. COLLECTORES Ephemeridum.
4. D. Joh. Sigiſmundus ELSHOLTIUS, *Sereniſſimi Electoris Brandenburgici Medicus Ordinarius,* Academicus Curioſus.
5. L. Chriſtianus Fridericus GARMANNUS, *Phyſicus Chemnicenſis, atq; ejusdem Diſtrictus diverſarum Præfecturarum Medicus,* Academicus Curioſus, d. POLLUX.
6. D. Daniel LUDOVICI, *Archiater Ducalis Saxo-Gothanus.*

*

7. D.

7. D. Johann Daniel MAJOR, *in Academia Kilienſi Anatomiæ & Botanicæ Profeſſ. Publ.* Acad. Cur. d. HESPERUS.

8. D. Chriſtianus MENTZELIUS, *Sereniſſimi Electoris Brandenburgici Conſiliarius & Archiater*, Acad. Cur. d. APOLLO.

9. D. Georg. Abrahamus MERCLINUS, *Junior, Reipb. Norimberg. Phyſicus Ordinarius, ejusdemq; Collegii Medici Collega*, Acad. Cur.

10. D. Joh. Matthias NESTERUS, *Archiater Beruthinus.*

11. Chriſtianus Franciſcus PAULLINUS, *Iſnacenſis, Phil. & Med. V. D. Com. P. Cæſ. Poëta Laureat. Illuſtr. Societ. Fructiferæ Socius, d. VIGILANS; Reverendiſſ. ac Celſiſſ. Principis & Epiſcopi Monaſterienſ. ac Adminiſtratoris Corbejenſis Hiſtoriographus & Medicus juratus ordinarius Corbejæ ad Viſurgim.* Acad. Cur. d. ARION.

12. Carolus RAYGERUS, *Phyſicus Poſonienſis.*

13. D. Salomon REISELIUS, *Phyſicus Wormatienſ.* Acad. Cur. d. AMPHION.

14. D. Johannes SCHMIDIUS, *Phyſicus Gedanenſis Ordinarius.*

15. D. Lucas SCHROECKIUS, *Lucæ Fil. Phyſicus Auguſtanus*, Acad. Cur.

16. D. Simon SCHULTZIUS, *Phyſicus Thorunienſis Ordinarius, S. R. Majeſt. Poloniæ Medicus.*

17. D. Georgius SEGERUS, *S. R. Majeſt. Poloniæ Medicus, Phyſicus Gedanenſis & Gymnaſii ibidem P. P.*

18. D. Chriſtophorus SELIGERUS, *Practicus Sittavienſis.*

19. D. Georgius Hieronymus VELSCHIUS, *Patritius & Medicus Auguſtanus*, Acad. Cur. d. NESTOR.

20. D. Gothofredus Chriſtianus WINCLERUS, *Sereniſſ. Electoris Brandenburgenſ. Conſiliarius & Medicus, Practicus Bregenſis*, Acad. Cur.

CATALOGUS OBSERVATIONUM

* * *

D. JOH. DANIELIS MAJORIS.

1. De Cornu Capri Bezoardici. 1.
2. De Reſpiratione Phocænæ vel Turſionis. 4.
3. De Bregmate infantibus clauſo: indicio non longæ vitæ. 5.
4. De excurrente Suturâ Sagittali. ibid.
5. De Fulgetrâ Spiritum vini accendente. 6.
6. De Cerâ Roſarum. 7.
7. De Tubulis roridis Roſarum. ibid.

D. CHRISTIANI MENTZELII.

8. De duobus Hermaphroditis. 8.

D. JOH. DANIELIS MAJORIS.

9. De Lavendulæ Sylvulâ ex ſalibus ſuis reſuſcitata. 11.
10. De Animali, Corde evulſo, aliquandiu vivente. 14.

D. GOTHOFREDI CHRISTIANI WINCLERI.

11. De Calculo Veſicæ, Fœminæ feliciter exciſo. 15.

D. SIMONIS SCHULTZII.

12. De Arthritide Puerorum & Infantum. 20.
13. De Verminatione continuâ ab ipſâ infantiâ in ſenectutem uſq; durante. 21.
14. De Vermibus cum urinâ per penem, inteſtina & per os excretis. 22.
15. De Modo Emtionis Variolarum ab infectis. ibid.
16. De Emplaſtro miraculoſo & aliis Antipodagricis. 23.

D. DANI-

D. DANIELIS LUDOVICI.

17. Circa Cervini Fœtus tempora, Continuatio Obſervationis CCXLII. Anni VII. 26.

D. JOH. SIGISM. ELSHOLTII.

18. De Hirundinum excœcatione & reſtitutione. 31.
19. De quatuor Phoſphoris. 32.
20. De Phoſphoro liquido. 37.

D. SIMONIS SCHULZII.

21. De occulti Cancri periculoſâ Curatione. 39.
22. De fluxu hæmorrhoidali Puellorum. 41.

D. JOH. MATTHIÆ NESTERI.

23. De mictu ſangvinis copioſo, ſine detrimento ſanitatis. 42.
24. De mirâ utriuſq; oſſis femoris luxatione. 45.
25. De Puellâ octenni fluore albo laborante. 46.
26. De Diabete. 47.

L. CHRISTIANI FRIDER. GARMANNI.

27. De Aſcitæ peculiari Symptomate. 48.

D. SALOMONIS REISELII.

28. De flammâ ex oculis erumpente & illuminante literas. 49.
29. De calculo humano cryſtallino. 53.
30. De pingvedine liquatâ & in gelatinam ſolutâ. 54.
31. A Pancreatis excreſcentiâ maraſmus. 56.

D. GEORGII SEGERI.

32. De Anatome ſolemni Furis quinquagenarii. 59.
33. De prolapſu cartilaginis mucronatæ in embryone; & motu cartilaginis thyroidis inſolito. 63.
34. De menſibus ante conſuetum tempus ſine damno deficientibus. 64.

D. GEOR-

D. GEORGII HIERON. VELSCHII.

35. De puncturâ veſpæ & aranei, præſentaneo remedio ex tempore curata. 65.
36. De vigiliis cum ejulatu diuturnis. 66.
37. De Diarrhæâ pertinaci curatâ. 67.
38. De tumore lienis febriculoſo. 68.
39. De παιτίλη Orvietano ex vino curata. ibid.
40. De hyderode affectu in latitudine ſanitatis. 69.
41. De lumbrico lato quinq; ulnarum longitudine. 70.
42. De vomituritione lethali. ibid.
43. De herniâ inteſtinali. 71.
44. De fungillis Citriorrhizæ. 72.
45. De Tithymalocampis Clagenfurtenſibus. 73.

D. GEORG. ABRAHAMI MERCLINI.

46. De gravidæ imaginatione fœtui noxiâ. 73.
47. De Infantis recens-nati dente præcociter erumpente. 75.
48. De Cephalalgiâ á lapillo intrà duram, piamq; matrem in capite reperto. 76.
49. De Oſſibus per uterum excretis. 77.
50. De ingentibus calculis in meſenterio & pancreate repertis. 78.

D. CHRISTIANI FRANCISCI PAULLINI.

51. De ſingulari monſtro marino. 79.
52. De vermibus in Sale. 80.

D. LUCÆ SCHROECKII Luc. Fil.

53. De Animali moſchifero. 81.
54. De Catechu. 88.

D. CHRISTOPH. SELIGERI.

55. De ſingulari prægnantium imaginatione. 92.
56. De febre pemphygode ſ. bulloſâ. 93.

D. CARO-

D. CAROLI RAYGERI.

57. De Hippomane. 94.
58. De fœtu canino, á puero per alvum excreto. 98.
59. De Morphæâ nigrâ. 99.
60. De Utero putrefacto, illæſo fœtu. 101.
61. De Phthiſi & morte ex vulnere pulmonum. 102.
62. De mirabili quâdam odontalgiâ, & innoxiâ opiatorum continuatione. 104.
63. De quibuſdam in Dyſenteriâ obſervatis. 105.
64. De puellâ ſine cerebro vitali. 107.

D. DANIELIS LUDOVICI.

65. De Antimonio martiali compendioſo. 108.
66. Tentamina circà majorem olei roſarum veri copiam. 109.
67. De Apum ictu. 111.
68. De dormitione Puellæ quaſi Lucomoriana. 113.
69. Ad partus ſeptimeſtres annotatio. 117.

D. NICOLAI GVILIELMI BECKERS.

70. De Colica à calculis. 118.
71. De Convulſione admiranda. 119.
72. De Hemicrania, arteriotomía ſpontanea, curata. 120.
73. De Anaſarca per abſceſſus terminata. ibid.
74. De Hepatite vomitu curata. 121.
75. De Aſcaridibus uteri. ibid.

D. DANIELIS ANGELI.

76. De abuſu Tabaci. 122.
77. De tumore brachii ex ſcabie retropulſa. 123.
78. De bubonibus Venereis inunctione retropulſis. 125.

D. JOH. SIGISM. ELSHOLTII.

79. De Aqua rubicunda foſſæ Berolinenſis. 127.

D. CHRIST.

D. CHRIST. FRANC. PAULLINI.

80. De Ovo in tumore ingvinali. 136.
81. De ſpica ſiliginea in tumore circà coſtas. 138.
82. De integra drachma gummi gottæ pro una doſi data. 139.

D. JOHANNIS SCHMIDII.

83. De morte repentina à vulnere oculo inflicto. 140.
84. De variolis poſt decimum ſeptimum diem demùm ſuppuratis. 141.
85. De variolis verminantibus. 142.
86. De lacte recens-natæ Puellæ. 143.
87. De Urina nigra nîl funeſti indicante. 144.
88. De Olei ſuccini nimis largiter hauſti noxa. 147.
89. De infarctu ſabuloſo urethræ lethali. 148.
90. De Talpa vomitu rejecta. 150.
91. De polypo curato. 151.
92. De caruncularum gallicarum in urethra curatione. 152.
93. De ilei curatione. 153.
94. De ἀναφροδισίᾳ ſoluti matrimonii cauſa. 155.
95. De tumore lienis partu ſoluto. 157.
96. De exanimata ad ſenſum in vitam revocata. 159.
97. De vomica a tranſpiratione ſubitò prohibita. 160.

D. SALOMONIS REISELII.

98. De aſcenſus quaſi ſpontanei aquæ in filtro cauſa. 162.

COLLECTORUM EPHEMERIDUM.


99. De Amygdala amara, quibuſdam animalibus nociva & lethali. 183.
100. De vermibus intrà lingvæ venam ſtabulantibus. 187.

ADDENDA.

Ad Obſervat. 1. de Cornu Capri Bezoardici. 188.

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY

Ad Observ. I.



EPHEMERIDUM MEDICO-PHYSICARUM CURIOSARUM ANNI VIII.

OBSERVATIO I.

D. JOHANNIS DANIELIS MAJORIS, De CORNU CAPRI BEZOARDICI.

MIſſa Hamburgo his diebus mihi fuit, ab Amico plane inſigni, & Rerum Exoticarum, ſi quisquam in his oris claro, *Nobil. Dn. Schellhamero*, quæſita ſolitudine, & laborioſo in literis otio feliciter fruente, plane rariſſimi commatis res; Cornu videlicet Capri Bezoardici, leniter incurvum, ut eminus Inſtrumentum Muſicum, Cornetto Italis dictum, mentiatur; longitudine & facie eâ, quâ hìc depingitur; durum ac rigidum, fibris rectis per longitudinem Cornu excurrentibus, foris ab imâ ampliore parte nodoſum, circulis eminentibus, tanquam Callis, (neſcio, an Ætatum indicibus) ad medium circiter, ubi ſenſim elangveſcunt quaſi, aut planiores redduntur, exaſperatum: intus cavum, pendens uncias octo cum duabus drachmis. *Clariſs. Olearius* etiam in deſcriptione Cameræ Gottorpienſis, *Tab. 9. Fig. 7.* Cranii partem de Bezoardico Capro depingit, ex quo duo inſignia Cornua nata ſunt, ſuperbè

 diva-

divaricata, & ab imo usq; ad cuſpides penè, nodoſis circulis multò pluribus firmata: nec ſimpliciter aut leniter incurva, inſtar Cornetti Italici, ut meum; ſed ſpiralibus flexuris ter quatervè utrinq; ſinuata. Rationem differentiæ puto in discrimine vel Speciei, vel Ætatis, vel Sexus, quærendam esſe: & Cornu de Pazam, (ſpecie Animalis Bezoardici) quod à *Moſcardo* Lib. 3. *Muſéi*, *pag*. 241. delineatum habetur, cum Gottorpienſi ferè coincidit. *Jacobus Bontius* tamen, *Lib*. 1. *d. Med. Indorum*, *Notis ad Cap*. 45. *Garciæ*, *pag*. 45. videtur figuræ Bezoardici Cornu mei propius accedere, dum ita ſcribit: Capræ iſtæ non abſimiles valdè ſunt Capris Europæis, niſi quod habeant erecta ac longiora Cornua, &c. De *Imperato* miror, quod tale quid in Muſéo ſuo non habeat, cæterà inſtructisſimo, aut certè per feſtinationem in Italicâ ejus deſcriptione non animadverti: Nec *Manfredus Septala* facilè etiam habet; quod tantò magis miror: Nec *VVormius*.

Atq; jam periculum erat, ne videns Hamburgi id Cornu, antequam inde mihi mitteretur, Eximius quidam Vir, *Dn. Schellhameri* Amicus, Chimiæ peritisſimus, ac Rerum Exoticarum ſelectisſimarum posſesſor locuples, multis ac inſtantisſimis rogatibus pro ſe potius à Viro laudato obtinuisſet, prætextu hoc inprimis uſus, posſe ac velle ſe Sal quoddam volatile longè præſtantius ex eo elicere, atq; ex Cornu Rhinocerotis vel aliorum Animalium haberi posſit. Nec diffiteor, turgere illud, ligata tantisper intra texturæ corneæ particulas viſcidoterreas, non ignobili quadam Salium balſamicarum farragine, vi ignis in medicatam fuliginem facilè abiturâ, quæ inter radendum ſaltem, maximè verò ex raſurâ prunis injectâ, vel cono luminoſo Lentis cauſticæ tentata, affatim ſe fuliginoſo odore ſuo prodit: ſed nonne id Cornibus omnibus & Pilis, qui nihil aliud propriè ſunt, quàm cornea quædam fila, ex Animalium poris nata, commune eſt, ut in ipſorum texturis Sal

quod-

quoddam fuliginoſum, urinoſum, aut fœtens luxuriet? In corneo-cartilaginoſo Priapo Ceti pariter, & aliis. Nec ex Cornu Perſici Capri potiùs, quàm Cervi noſtratis, aut aliorum Animalium, virtutem balſamicam majorem ut expectemus eſt (ſi præjudicia ſaltem deponere velimus) quod ex Cranio ejus Beſtiæ creverit, in cujus corpore lapides Bezoardici naſcuntur. Etenim hi, ſi fœculentam limoſam, & plantarum etiam inprimis-ſalubrium, alexipharmacâ vi pridem deſtitutam, eorum materiam, â chylo pridem elapſo relictam, parumq; proin aut nihil auræ volatilis habentem, ritè conſideremus, patebit, Lapides Bezoardicos laudes tantas profectò non promereri, quantæ communiter ipſis ob ſolam Raritatem, & opinionem Hominum, altè ſuſceptam, attribuuntur; cum ob fixitatem naturæ eò cumprimis referendum ſit, quod Acidum peccans in viis corporis primis utcunque abſorpſerint, & credita illorum virtus, in morbis malignis, interdum in critica ſponte-moventis Naturæ tempora coincidat: & ſic volatilitatem ullam, quam ipſi non habent, non dare poſſint Cornibus. Atq; audiamus præſertim judicium *Bontii* ante-citati, in Indiis Archiatri, ſcribentis: Quantum ad Hyperbolicas hujus lapidis virtutes, ac facultates portentoſas, non tantas in eo mille experientiis edoctus inveni, alioqui etiam natura non pronus, ſuperſtitioſas medicamentorum facultates facilè admittere, niſi experientiâ id verum invenerim. Quoq; id magis credatis, lapides hi miſeris Hircis, ac Capris tam moleſti ſunt, quàm Hominibus lapides Veſicæ ac Renum. Id quod adeô notum perſvaſumq; ſpero antedicto præſtantisſimo Chimico, ut pignore depoſito obtinere ſperem, clam ipſummet in animo non aliter ſentire; & prætextum, Salis volatilis parandi, rhetoricè ſaltem adſumtum ab ipſo eſſe, ut Cornu Bezoardicum Cimeliis ſuis, laudem egregiam meritis, indubiè adderet. Qui id mihi, pro ſuâ humanitate, non invidebit.

Ego autem benignisſimo *Schellhamero*, ob donum prænobile id, ac oppidò mihi charum, inſignes meritò ago, publicèque decerno gratias. vid. Addenda p. 188.

OBSERVATIO II.
D. JOHANNIS DANIELIS MAJORIS, De RESPIRATIONE PHOCÆNÆ VEL TURSIONIS.

NUper-elapſi Anni 1673. Menſis Auguſti die ſecundo tres Phocænæ vel Turſiones, (de genere Delphinorum) in Kilienſi hoc littore iterum reti piſcatorio capti ſunt. Ex quibus grandior unus, caudam fune longo alligatus, hominibus ad portum concurrentibus oſtenſus eſt, prout hinc inde in mari dinataret. Hacq; occaſione aliquid notavi, quod facere poſſit vel ad correctionem vel ad ulteriorem declarationem eorum, quæ de Piſcis ſpecie hâc *Anno III. Ephemerid. Obſerv. 20.* prolixius à me allata ſunt, circa uſum Spiraculi ſemilunaris, vertici inſculpti. Nimirum poſitum iſthic à me eſt, *(pag. 26.)* Piſcem illum per Ductus vel Fiſtulas hydragogas, ſub Spiraculo, ad Tunicam palati pertingentes, tanquam ex Siphone, aquam potenter elidere. Sed irritatum hoc quidem Animal, *Anni 1673.* & motibus multis undoſis, aut ſpiralibus per mare volutationibus actum ultro citroq;, per & ultra ſuperficiem æquoris, nedum ſupernè vel aquæ guttulam exploſit, utut Orgaſmum quendam manifeſtò ſatis proderet iterata perquam-valida, aliquantum-vaporoſa, & concitata per verticem cum ſtridore aut ſtrepitu exſpiratio, ad quam ipſum concitaverat cum moleſto captivitatis ſenſu, & crebra funiculi agitatio, & arcta nimis ſtrictura ejuſdem, & vulnus cruentum ac patens, ex iſtâ ſtricturâ ortum, & dolor indubiè tantò intenſior, ex continuo Salis marini cum aquis,

in

in vulnus appulſu. Fieri tamen poteſt, ut, ubi liberrimis per mare volutationibus aguntur, & ludunt, per voluptatem interdum aquam per idem foramen ſurſum emittant, tanquam è Siphone, ut pridem ab aliis traditum eſt.

OBSERVATIO III.
D. JOHANNIS DANIELIS MAJORIS, De BREGMATE INFANTIBUS CLAUSO: INDICIO NON-LONGÆ VITÆ.

ANno 1676. *d. 26. Martii Stil. Vet.* qui erat Feria I. Paſchatos, Filiola MARIA AUGUSTA, ex prægreſsâ clandeſtinâ viſcerum corruptione, intercedente ſanioſorum cruentâ per alvum excretione, Catarrho ſuffocativo, & Sideratione ſiniſtri lateris, placidè obdormivit. Ut fieri ſolet in talibus, inter mulierculas de causâ mortis, ſollicita mens verſatur. Quæ propiùs ad cauſas remotiores accedere viſæ ſunt, hoc enunciarunt, conſtare ipſarum Experientiâ, infantes, Bregmate clauſo, vel ſine Fontanellâ, aut ordinario aliàs rhomboidéo foramine, in concurſu Suturæ coronalis ac ſagittalis natos, minùs vivaces esſe. Et hoc funeſti eventûs præſagium de modò-natâ Filiolâ meâ, Mater, Avia, obſtetrix, & Amicæ, quæ Puerperæ *d. 29. Januarii* adfuerant, non vanè penitùs jam tum tulerunt.

OBSERVATIO IV.
D. JOHANNIS DANIELIS MAJORIS, De EXCURRENTE SUTURA SAGITTALI.

OS Frontis unum in adultis esſe, notum. Infantibus autem geminum, excurrente ad naſum Suturâ ſagittali divi-

diviſum, ſed poſtmodum obliteratâ. In aliquibus tamen, etiam adultis, non obliterari, quin in ſenium usq; per totam vitam conſtare, ex inſpectis Craniis pasſim innotuit. Atq; in brutorum genere id Caſtori perpetuum: minimê verò Fœminis, ut falſo tradidit *Ariſtoteles*, tanquam ex tali indicio Differentia Sexus peti posſit.

al. l. 3. c. 7.

OBSERVATIO V.
D. JOHANNIS DANIELIS MAJORIS, De FULGETRA SPIRITUM VINI ACCENDENTE.

NUdius tertius ac quartus, ab horâ videlicet veſpertinâ, inter nonam ac decimam mediâ, *die 27. Menſis Julii, Styli Vet.* usq; ad (& ultra) ſextam matutinam diei ſequentis, Anni hujus 1676. totâ nocte, poſt prægresſos inſolentiores ac diuturnos æſtus Caniculares, cœlum directê ſupra urbem Kiliam inſolitâ tempeſtate conſtanter inhorruit, per Fulgetras & Tonitrua innumerabilia, ventorum item, & nimborum procellas; inſperſis aliquibus etiam Fulminum jactibus: quorum unum penes Danicam urbis portam, magnam quandam Nucem arborem proſtravit.

Recuperato Cœli vultu ſereniore, ut fieri ſolet, variæ de ſimilibus caſibus in familiari colloquio pasſim confabulationes inſtituuntur. Et ſic Viro cuidam Eruditisſimo, Collegæ meo, nihil inſoliti facilê credenti, niſi de circumſtantiarum veritate, ac integritate referentis Ipſi plenè pridem conſtiterit, relatum à quodam Autopte eſt, emicuisſe *Hamburgi*, ante pauculas hebdomades, Fulgura aliquantò crebriùs; & ex iis unum, Mercatoris cujusdam domum largê perfundens, (ſed ſine Fulmine) effuſam fortè Spiritus Vini portiunculam, in orbe vel paterâ ſtanneâ ſtagnantem, confeſtim incendisſe.

OBSER-

OBSERVATIO VI.
D. JOHANNIS DANIELIS MAJORIS,
De
Cera Roſarum.

ANni 1676. *Menſ. Junii die 22. & 23.* in uſus domeſticos Conſervam Roſarum centifoliarum parari facio. Ex iſto negotio inter tundendum Roſas minutim inciſas, Ceræ portiuncula albicans, granorum ij. aut iij. in mortario lapideo circa piſtillum ligneum, cum ambo organa adhiberentur terſisſima, nec ceræ per incuriam ullam illatæ esſet ſuſpicio, eſt deprehenſa; depoſita forſan aut extracta hinc inde ab Apibus, deliciosè per roſeta latis. Similemq; collectionem ceream jam alio tempore, ſimiliter inter tundendum Roſas, in mortario ſe deprehendisſe asſeveravit Studioſus Conſervam dictam mihi præparans, cùm *Flensburgi in Holſatiâ*, Pharmacevticæ arti diſcendæ operam daret.

OBSERVATIO VII.
D. JOHANNIS DANIELIS MAJORIS,
De
Tubulis Roridis Roſarum.

EOdem *Menſe Junio, An. 1676.* Roſarum recens-productas gemmas, deſtillandæ Aquæ & Spiritui deſtinatas, antequam in Florem expanſum erupisſent, Microſcopio ſuppoſui, ut *Lanuginem ruffeſcentem*, quæ *Capitulis Aciniferis*, Alabaſtris, & Petiolis adhæret, contuerer. Ac deprehendi, non esſe villos, in cuſpidem exeuntes, ſed lagenulas quasdam inverſas, aut Tubulos cucurbitiformes ſuccidos, in ventrem rotundum aut oblongum plus minùs terminatos, eâ ratione circiter, ac in Effigie hîc exſtant: & turgere præcipuè oleoſo latice.

Abraſa

Abraſa tamen lanuginis dictæ pars, & prunis injecta, Odorem ſparſit non niſi tenerrimè roſeum; in eoq; nidor lignoſus prævaluit. Ex quo colligitur, Tubulos roriferos hos internè ſucco quodam delicato perfundi; exteriùs verò fibris ſpisſis ſiccioribus conſtare.


[*In literis ad Collectores Ephemeridum, Menſe Septembri Ann.* 1676. *Kiliâ Holſatorum Vratislaviam.*]

OBSERVATIO VIII.
D. CHRISTIANI MENTZELII, De DUOBUS HERMAPHRODITIS.


INter praxin, quam in caſtris Brandenburgicis ad *Anclamum Pomeranorum* locatis, apud multos dyſenteriâ & febre malignâ decumbentes, hoc *Anno 1676. Menſe Auguſto*, exercui, oblatus mihi fuit infans maſculus, vix tertium anni quadrantem ætate ſuperans, dyſentericus, ex plebeja ſtirpe minimè oriundus. Puellus hic, cûm ultra octiduum laboraſſet dyſenteriâ, & ea muliercularum medicaſtricum ope jam esſet ſublata, accedenti videbatur mihi inſultibus epilepticis iisq; lethalibus decumbere. Cùmq; inter cætera indicantia Clyſter esſet applicandus, & nemo in caſtris adesſet, qui manum operationi huic adhibere gnarus esſet, ipſemet ego enema paravi, idq; inſtrumento apto infantulo infudi, ne aliquid damni imprudentiâ alterius adminiſtrantis pateretur. Etenim non mihi aut alteri Medico candido turpitudini ducendum exiſtimo, quandoq; Pharmacopœi aut Chirurgi vices ſupplere, ubi id necesſitas efflagitat. Cûm itaq; canaliculum *Ol. Amygd. dulc.* oblitum catâ ſatis manu ano admovisſem, ut ſine noxa & dolore posſet penetrare, Sphincterem ani (qui in dyſentericis quidem relaxari ſolet) adeo amplum inveni, ut is primo ſtatim intuitu

mihi


Ad Obs. VII.



Ad Obs. VIII.




Pars antica Infantis.



a. foramen verſꝰ os coccygis.
b. foramen inteſtini recti.
c. foramen ad uterum ſeu vagina.

Pars postica Infantis.



Militis Androgyni delineatio.

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.

mihi potius membrum muliebre, quàm anus videretur. Rima erat oblonga, ampla, labiis ſepta, quæ rugis quibusdam ſed paucis erant plicata, aniq; partim Sphincterem, partim vulvæ labra præſentare videbantur. Præterea cùm ſyringam hinc inde in ano laxo agitasſem, nec tamen illam penitus intrudere posſem, cùm ſemper aliquid obſtare deprehenderem, quaquaverſum canaliculum movebam, & liquor enematis etiam reflueret, paulo ſuperius verſus os coccygis reperi ingresſum, quò ſyringa penetrabat & clyſter plurimam partem infundi posſet. Dubius igitur primò, an aliquid monſtroſi & Hermaphroditici ſubesſet in tenero hoc ſubjecto, an verò ſecus, &, (quod in his morbis familiarisſimum eſt) ani ſphincter nimis esſet relaxatus, atq; inteſtinum rectum acrimonia humorum dyſentericorum exeſum foramina acquiſivisſet, rogavi Parentes, ut infantulum cum muliere, quæ illum à partu curaverat, lecticâ ad tentorium meum, quod inde ultra dimidium milliare diſtabat, duci curarent, ut per integrum diem eò melius infantuli curam haberem, quoniam officii Electoralis causâ longius abesſe non posſem. Id autem feci ea de cauſa, ut præter diligentem curam iſtas partes exactius perluſtrare mihi ſimul copia daretur. Conſensêre Parentes, & ſubſequenti die miſerunt ad me puellum cum vetula. Illum ego lethalibus laborantem ſymptomatibus, quantum opus erat, refeci medicaminibus necesſariis, & poſticas partes diducendo interiora ani perluſtravimus ego & vetula quid lateret poſt rimam, quam natura loco ſphincteris ani produxerat. Diductis itaq; labiis externis, rugis quibusdam (ut ſuperius innui) ſphincterem ani mentientibus, inveni nymphas & carunculas verſus abdomen, inter quas hiatus erat pro vaginula uteri: Paulo ſuperius verſus dorſum, ſphincter erat inteſtini recti minimè, ut aliàs, corrugatus, ſed tanquam duabus membranis rubris ex adverſo ſibi correſpondentibus, alvi excrementis exitum præ-

B benti-

bentibus, compoſitus: Hic valvularum more aperiebatur, quotiens infans ejularet, & (quod ob dolores internos ferè continuò accidebat) vocem raucam minimè ſonoram ederet. At, quod asſequi ego non poteram, ſupra hunc ani ſphincterem internum aliud foraminulum parvum, ad formam meatus urinarii, in mulieribus alias verſus abdomen, hìc autem verſus os coccygis, conſpiciebatur. Notabile & hoc erat, quod Perinæum, formâ ſuâ ſuturam exactisſimè referens, ultra quatuor transverſos digitos inter penem & hunc monſtroſum anum diſtabat. Ita ſatis hiſce partibus perſpectis Infantulum hunc (*Puellum ano-puellam*, vel quomodocunq; eam appellare placuerit) cum Vetula dimiſi, qui etiam ſubſequenti die epilepticus moriebatur, ſtatimq; in proximi pagi templo ſepeliebatur, cùm Parentes exenterationem, quam ſollicitè implorabam ob internam partium ſtructuram, penitus abnegarent. Mulier quæ infantis curam à partu usq; gesſerat, eandem mecum ſententiam circa muliebre membrum fovebat, quæ (ut ajebat) ſemper obſervasſet, Infantulum circa illas partes ſeſe non bene habuisſe, præſertim cum egesſerit urinas & alvi excrementa.

Adjunxi hic Schema partium illarum infantis, mea quidem, ſed rudi manu delineatum, cui etiam addidi *aliam Hermaphroditi* militis *figuram*, qui eodem ipſo tempore occiſus erat ad propugnacula Urbis *Anclami*. Hujus Cadaver denudatum inter reliquos occiſos ita cum ſuis genitalibus utriusq; Sexus fuit conſpectum à plurimis, ubi membrum muliebre perinæi locum occupabat.

[*In literis ad Collectores Ephemeridum d. 1. Octobr. Ann. 1676. e Caſtris Grecovenſibus ad Stetinum, Vratislaviam.*]

OBSER-

OBSERVATIO IX.
D. JOHANNIS DANIELIS MAJORIS, De LAVENDULÆ SYLVULA, EX SALIBUS SUIS RESUSCITATÆ.

NUper-elapſo menſe Auguſti Anni hujus 1676. in Kilienſi hac Academiâ *Diſputationem* quandam *Medicam* edidi, *de Ærumnis Gigantum* (h. e. ſpirituum) *in negotio ſanitatis*. In qua Hypotheſin hanc probandam ſuſcepi per omnia genera materialium animæ actionum, exceptis aliquibus, ſed perquam paucis: Sanitatem in nobis nunquam haberi aliam, quàm morboſam. Hoc eſt, omnes actiones corporeas, aut plerasq;, etiam in ſtatu eo, quem maximè vegetum & ſalubrem credimus, edi à nobis non ſine labore, moleſtiâ, agone, & ærumnoſo quodam conatu ſpirituum. Quod asſertum, dum inter alia præcipuè esſet exemplo chylificationis declarandum; rectâ tum in examinandam *Sylvianam* de *Triumviratu humorum doctrinam* incidi. Et quoniam in hâc multum verborum inſumitur de conflictibus ſalium, Acidi & Acali; Operæ pretium viſum eſt, privatim ipſam quoq; de ſalibus doctrinam, meditatione non minùs, quàm per experimenta quædam, paulò altius excutere, ad videndum, an perſpectæ magis magisq;, mutuæ illorum actiones & pasſiones, motus item, figuræ externæ, & ſtatuum permutationes, reduci utcunq; ad univerſaliorem aliquem animi conceptum posſent.

Atq; ſic asſumſeram, experimenti ergò, cum ſtudioſo induſtrio, informationi meæ peculiariter ſubjecto, liquores multiplices, aqueos, oleoſos, ſpirituoſos; olidos, inodoros; dulces, acres, acidos plus minus, aut planè corroſivos; lixivos, auſteros, amaros; claros, & diaphanos, turbidos, aut tinctos; fixos, volatiles; coctione, deliquio, ſolutione, ac


 deſtil-

deſtillatione ortos; calidos, frigidos; ſimplices, compoſitos, ac decompoſitos; nec non ſalia una ac altera, acida, lixiva, enixa; natura ac arte facta; fixa ac volatilia; *&c.* & in iſtiusmodi corporum miſturis conſtituendis, ad videndum, cujus generis particulæ amicæ vel inimicæ, conformes aut difformes futuræ esſent alteris, non quidem curioſè nimis numerando emetiebamur compoſitionum, ex binis, trinis, quaternis, *&c.* objectis, Modos omnes posſibiles, quoniam fuisſet (ut ex arithmeticis additionum multiplicationumque progresſibus notum eſt,) varietas ſtupendi numeri, vel numeroſa farrago ſtupendæ varietatis hinc facilè exortura, operoſior exſequutu, quam æquè ſemper ac per omnia utilis: In mediocri, inqnam, at ſat notabili corporum varietate, ultrò citroq; tractandâ occupatis, vaſcula vitrea commoda incipiebant nobis deficere. Atq; ſic ſuccesſuum avidi, moræq; impatientes, ac ſemidefatigati annotandis, memoriæ ergo, phænomenis pasſim ſelectioribus, quorum unum ſæpe miſturæ novæ ulterioris, atq; iterum alterius, adornandæ anſam dabat, non ad menſuram amplius ac pondus, hunc aut illum liquorem, hoc aut illud ſal, cum aliis miſta, huic vel illi vitro, accuratè tegendo, inſerere commodum exſtitit, ſed necesſaria quadam inconſtantia & feſtinatione, vitreas lagenulas inverſim poſitas accipiendo, & in fundum eorum concavum, ſurſum verſum, ſuperinſtillando liquores liquoribus, vel liquores ſalibus, vel ſali-liquores aliis ſalibus aut liquoribus addendo, ulteriores ſemper ulterioresq; Naturæ delicias, in medicatis iſtis corporibus venabamur.

Proindeq; ita factum eſt, ut in ſummo duorum vitrorum, ſculptim in tabula ænea delineatorum, & expresſorum hìc, in præſenti imagine, ex peculiari quâdam miſturâ, factâ cum depuratisſimo ſale Lavendulæ, circa veſperam parum quidem notatu digni ſuccederet. Cum verò manè dein eò

redi-

rediremus, in potiore limborum parte, per noctem, amœniſſimum quoddam nemus fruticantium ramoſorum ſalium in libero aëre effloruit, quorum foliatura ad foliaturam Lavendulæ perſpicuè accedebat, eâ quidem magnitudine, eôq; ordine, ut in effigie videtur: Sed figuræ excellentiam & accu-



ratisſimum decus foliolorum, omnium tenerrimorum, Artifex ob ſubtilitatem illorum ſculpendo non potuit plenè asſequi, vel ideo, quod per ipſum tempus primæ delineationis, quæ calamo fiebat in chartâ, ramuli plurimi evidenter accreſcerent adeò, ut aliqui etiam eò, quod ſtipite tenui fulcirentur, & per magnetismum quendam ſalia aëris luxurioſè arriperent, proprio pondere ad limbum vitri ſe inclinarent: Et alterutrum exemplar, ſupra vitrum, figurâ primâ imaginis

 expreſ-

expreſſum, altero die intra cubiculum planè fatiſceret, liqueſcendo in guttulas, ſicut nix ſenſim liqueſcens, in ſe ipſam quaſi contrahitur; & utcunq; iterum aſſurgendo, in tabulâ æneâ ſupra prunas ê longinquo poſitum. Poſterius vero ſylvulæ exemplar, aliquanto durabilius, ad ſeptimum usq; diem perſiſteret, nec adeo avide ſalia aëris attraheret: Minimo tamen mediam ſui partem decreſceret iterum, & ramulos breviores ac rariores, limbo vitri magis acclinatos, defixis in Phænomenon delicatisſimum hoc oculis, ſequenti tempore exhiberet. In cujus rei memoriam Verſiculos hos conſcripſi:

En redit ex gemino nemoroſa Lavendula vitro,
Quæ prius in terram verſa, ſalemq; fuit.
Pulverulenta olim ſic corpora noſtra redibunt;
Et ſalia arcanæ quid deitatis habent.

OBSERVATIO X.
D. JOHANNIS DANIELIS MAJORIS,
De
ANIMALI, CORDE EVULSO, ALIQUANDIU VIVENTE.

CEleberr. D. *Joh. Daniel Horſtius part. 1. Manud. ad Med. Cap. 1. Sect. 2. pag. 75. Baconi* & *Bartholini* experientiam adducit, qui motum viderint, evulſo corde, in latronibus: propriamq; experientiam de cane addit. Quæ verba obſcuriora eſſent, nî de ranis aliquid ſtatim ſubjungeret. Nam quæri alias poſſet, quis motus ſuperſtes propriè intelligendus ſit; an motus, hoc eſt pulſus, cordis evulſi; Cujus exempla utiq; verè habentur, & dulcem contractivi motûs ſpiralium fibrarum ſpeculationem pariunt: vel motûs totius corporis, ex quo cor evulſum ſit? Prout equidem verba Autoris capio. Nam, ut dixi,

dixi, exemplum de ranis addit, utpote in quibus, manuductore *Blaſio (Obſ. Anat. ſelect. pag. 30.)* hoc experimentum poteſt inſtitui: Si cor ranæ exſcindatur, factâ ad jugulum apertione, & ſic rana aquæ imponatur, diu in eâ ſupervivet. Quin & ipſe, ad locum *Horſtii* his diebus fortè relapſus, eâ occaſione memini, canem robuſtiorem, corde ſuo citô orbatum, & benè ligatis vaſis hæmatogogis maximis pone cor, iterum dimisſum, pasſus fecisſe aliquot per cubiculum, poſtquam tentamen vitæ ſuperſtitis in eo, dictâ ratione olim fieret, me præſente, à diligentisſimo, & in Anatomicis præſertim exercitatisſimo Medicinæ Candidato, *Chriſtiano Fœlckelio*, ſympolita meo, p. m. *VVittebergæ* quondam; Anno nempe currentis Seculi hujus, ſupra quinquageſimum quarto.

[*In literis d. 9. Octobr. Ann. 1676. Kiliâ Vratislaviam.*]

OBSERVATIO XI.

D. GOTHOFREDI CHRISTIANI WINCLERI, De Calculo Vesicæ Foeminæ Feliciter Exciso.

Fœmina quædam Bregenſis, vidua, Patre calculoſo, imo calculi doloris atrocitate tandem è vivis ſublato, genita, patiebatur haud inconſvetam aliàs dolorum nephriticorum acerbitatem, & durante affligenteq; illâ calculum deſcendere ſentiebat per ureterem dextrum in veſicæ cavitatem. Iſte antecesſorum & ſucceſſorum non carebat catervâ, & inter illos, ſex fabæ majoris magnitudine numerabantur. Hic verò per ſeptem integros annos in veſicæ capacitate moram trahens, ſæpius ſummis doloribus moleſtus fuit, ita ut miſera ad omnem motum, præcipuè concitatiorem, inepta esſet. Varia

hâc


hâc annorum intercapedine experta eſt remedia, ſed ſine ullâ emolumenti perceptione. Septennio hoc elapſo, alius è renibus, haud ſine doloris ſenſu dejicitur calculus, qui ſeptennem magnum & moleſtum hoſpitem hoſpitio ſuo abſcondito extruſit; hic exitum quærens collum veſicæ occupavit, urinæq; tranſitum liberum intercepit. Ego tum primum accerſitus, omnibus viribus eò contendi, quò calculi compagem, quoquo modô, tâm internis, quâm externis medicamentis diſſolverem, perſvaſus ab ægrâ, me & ſemetipſam fallente, calculum in duo fruſta ruptum esſe. Cum itaq; quotidie haud parvam arenularum copiam, cum urinâ, (quam vix eâ quantitate, quam cochlear caperet, unâ vice emittebat,) excerneret, hujus curationis ſcopo menſibus duobus inſtiti. Accesſit interim febris, imo lipothymiæ & convulſiones, omnia tamen medicamentis præſcriptis & exhibitis manus victas præbuere. Tandem ſpe calculum comminuendi fruſtratus, obſtetricem Lignicenſem expertam, Olaviæ apud SERENISSIMAM DUCEM tum temporis degentem, accerſivi, quæ calculum catheteris ope explorans, ipſum nucis juglandis putamini viridi incluſæ magnitudinis & duritiei ſiliceæ esſe, pronunciavit; movit illum ſuo loco, digitorum & olei amygd. d. per ſyringam immisſi adminiculo, ſed ſine levaminis ſenſu. Ad extremum itaq; remedium, ſcilicet ſectionem inclinans, de viro hujus artificii gnaro & experto ſollicitus fui, ſed neminem, qui huic operationi ſufficeret, vel illam ſuſtinere auderet, reperire potui; donec tandem poſt trium menſium continua tormenta *Vrbani Johannis Holſt*, Chirurgi Vratislavienſis expertisſimi dexteritas nobis commendata fuit. Eidem itaq; mox inde accerſito Chirurgum noſtrum Aulicum *Fridericum Springerum* adjunximus, cum utroq; de ſectione colli veſicæ intra vaginam uteri deorſum faciendâ deliberantes. Cum verô *Sennertus l. 3. P. 8. S. 1. c. 2.* excretum viderit calculum à fœminâ ovi gallinacei

magni-

magnitudine, & *Fabritius Hildanus Libro de Lithot. veſ. c. 22.* extractionem, ſi poſſibilis ſit, per collum veſicæ ſummopere ſvadeat, illam prius tentare voluimus, nihilominus ad ſectionem, ſi opus non ſuccederet, parati. Itaque in N. D. die 29. Octobr. Anno 1675. cum ægra 45. annum intraſſet, precibus ad Deum fuſis, præeunte nobis viro admodum reverendo, clariſſimoq; *Dn. M. Johanne Chriſtophoro Letſchio*, Parocho ac Seniore Bregenſi meritiſſimo, manè h. 10. rem aggredientes, ſpeculum uteri vaginæ ipſius indidimus, collum veſicæ haud contemnendæ amplitudinis invenimus. Calculum in eo deliteſcentem deprehendens præfatus Chirurgus, forcipe arripit, & ſpem bonam ad extrahendum abſq; ſectione calculum præbet; ſed fruſtra, etſi tribus vicibus, ſummâ cum ægræ debilis conſtantiâ & Chirurgi induſtriâ id tentaretur. Cum itaq; miſera lipothymiâ corriperetur, ab opere deſiſtere coacti fuimus. Mane diei ſequentis rem aggredi non auſi ſumus, propterea quod uteri vagina valde tumefacta, ægraq; ſummopere debilitata eſſet, itaq; hac die refocillationi operam dedimus, & tumorem doloremq; fomentationibus ſedavimus, ſectionemq; in craſtinum diſtulimus. Invitavimus quoq; hac die ad conſilium *Dn. D. Zollighoferum*, Archiatrum Serenissimi, nunc proh dolor! deſideratiſſimi noſtri Principis, & unanimiter ſectionem craſtinâ luce & quidem in inferiore parte colli veſicæ inſtituendam concluſimus.

Etſi enim *Fabritius Hildanus l. cit.* hanc ſectionem disſvadeat, propter metum incontinentiæ urinæ ſubſecuturæ ex læſione ſphincteris, tamen putavimus, conſultius eſſe, illam inſtituere in eâ parte, ubi minus periculi vitæ immineret, etſi moleſtiam quandam relinqueret. Nam in ſuperiore parte veſicæ membraneam ſubſtantiam lædi, ipſe *Fabritius* fatetur. Huc accedit, quod propter oſſis pubis obſtaculum, calculus non ita commodè extrahi poſſit. Novam etiam forcipem cum denti-

dentibus aculeatis cudi curavimus, ut firmius calculum apprehenſum tenere & in eo veſtigia figere poſſit, ne ut antea elaberetur. Itaq; 31. Octobr. manè h. 10. iterum convenimus, & precibus ardenter fuſis, ægram valdè debilem & dubiam ſalutis decenter ligavimus, Prognoſtico in omnem eventum nos munivimus, & ſectionem per manum Chirurgi præfati *Vrbani Johannis Holſt*, præfato modo inſtituimus, quâ ſumma cum ægræ conſtantia facta, forcipem novam à *Dn. Springero* accipit, calculum eâ arripiens, ſummo conatu illum extrahere nixus eſt, ſed rem perficere non potuit; ægra valdè anxiâ & præ dolore clamorem altâ voce edente. Qua anxietate nos omnes affecti fuerimus, vix dici poteſt, modo hanc, modo aliam animo volutantes cauſam impedimenti. Tandem Chirurgus forcipem retrahens, animadvertit illam non probè induratam fuisſe, & ideo incurvatam calculum non tenuisſe, eam rejiciens, alteram accipit, calculum arripit, & feliciter extrahit. Exhilarata ægra nobiſcum, vinculis ſoluta & vulnus debito modo deligatum eſt, ſine ullis lipothymiis vel magna ſangvinis profuſione. Calculus pendens *Vnc.* iiß. hìc æri inciſus forma ferè æquabat renem vervecinum. Tempore operationis ægram refocillavi convenientibus Cordialibus externis & internis. Febris prægreſſa adhuc comitabatur ægram, imo vires majores acquirebat, tremor quoq; & deliquium animi die tertio acceſsêre. Præcipitantia plura prioribus addidi, & enema applicari curavi, unde melius habebat. Cum die quinto calor adhuc perſeveraret & compreſſio ventriculi accederet, julapio confortante ipſam refici, enema reiterari, & ol. maſtich. ventriculi regionem inungi curavi, quibus adhibitis remiſerunt iſta ſymptomata. Dies ſeptimus gravis admodum ipſi erat, cum ſummâ virium debilitate & ventriculi compreſſione, ſed die octavo excrevit cum ſabulo copioſo calculos duos, quorum unus fabam minorem æquabat; quos è renibus deſcen-



BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.

ſcendisſe, & prædictorum Symptomatum cauſam exſtitisſe, putavi. Hos ſequebatur die nono & ſequentibus membranaceum quid, de quo dubitavimus, utrum veſicæ fortè forcipe abraſæ tunica interior, an membrana calculum involvens esſet? Die decimo præter ſpem & opinionem menſtrua, præterito menſe ſuppresſa, ſatis copioſè redeuntia, pesſum & canalem è veſicæ collo extruſere, ita ut ſaltem fomentationibus uti potuerimus. In fine undecimi rigor obortus eſt, per tres quadrantes horæ durans, ſubſequente calore p. n. ſed reiteratis antea præſcriptis, iterum evanuere hæc ſymptomata. Cum itaq; vires recollegisſet & vulnus magis magisq; coaleſceret, hoc decoctum vulnerarium præſcripſi.

℞. *Rad. Pyrol.*		*Herb. Beton.*	
Conſolid. Sarac.	a. Unc. j.	*Veron.*	a. m. ß.
Herb. Beton. alb. & rub.		*Flor. Borrag.*	
Alchim.		*Bugl.*	
Artemiſ. rub.		*Nymph. alb.*	
Sanic.		*Acac.*	a. p. j.
Agrimon.	a. m. ß.	*Hord.*	m. j.
Coq. in ſ. q. 🜄 *ſ. ad*	℔. ij.	*Col. dulc. Syr. Pomor.*	

Sic vulnere conglutinato, urinæ tamen prædicta incontinentia remanente, injectione in collum veſicæ factâ ſphincterem confortare tentavimus, ſed fruſtra. Incipiente Decembri diabetica ferè affectio cum febre & hydropis aſcitæ principio eam infeſtabant, quæ tamen omnia remediis methodica dexteritate præſcriptis evanuere. Anno 1676. initio Februar. febre continua putrida affligebatur, cum dolore hypochondrii dextri, ita ut venam ſecare necesſum fuerit, quem ab Apoſtemate, in hepatis parte gibbâ oborto, accidisſe inde putavimus, quod deinde per urinæ ductus pus longo temporis intervallo excretum eſt, accedente iterum hydrope. Hydrops quidem aperientibus & purgantibus uſurpatis evanuit, ſed pus tamen per urinam identidem excernebatur.

 Interim

Interim novus calculus è rene dextro menſe Majo deſcendit, haud ſine dolore, locumq; magni ſui anteceſſoris occupat, metum ne in ipſius magnitudinem creſceret incutiens. Variis ipſum aggreſſus ſum remediis; tandem continuo uſu *Tinct. tart.* die 18. Junii hac appicta magnitudine expulſus eſt. Ablegavi illam deinde ad thermas Landeccenſes, quæ in tantum profuerunt, ut non ſaltem ab apoſtemate hepatis, ſed etiam ab urinæ incontinentia maxima parte liberata, adhuc ſana degat.

[*In literis d. 22. Octobr. Anno 1676. Bregâ Vratislaviam.*]

OBSERVATIO XII.
D. SIMONIS SCHULTZII,
De
ARTHRITIDE PUERORUM ET INFANTUM.

Quod ſuo tempore *Hippocrates Cous Aphor. Lib. 6. aph. 30.* ſcriptum reliquit: Puerum podagrâ non tentari ante veneris uſum: Id hodie non ita evenire, experientia rerum magiſtra nos docet. *Hollerius* quidem *Comment. in cit. Aphor.* illos excipit, quibus hæreditarius, & à parentibus contractus hic morbus eſt; conſentientemq; habet *Heurnium in Enarrat.* dicti Aphoriſmi. Verùm hiſce temporibus & in noſtra Boruſſia etiam illi, quorum parentes podagrâ nunquam laborarunt, Aphoriſmi firmitatem labefactant, ut ſequentia exempla veriſſima comprobant. Anno 1675. menſe Novembr. venit ad me ruſtici conjux, petens à me conſilium pro filio 12. annorum, arthritide manuum & pedum cum contractura laborante; cui ego tum ſudorifera ex ſambuco, ruſticorum theriacâ, paucis aliis admixtis, dein paregorica præſcripſi, doloribus pauliſper poſt ſolſtitium hybernum remittentibus. Sed paulo poſt, ejusdem mulieris ruſticæ infantes, ni fallor, bini eodem malo,

malo, ſed mitius infeſtabantur, & à ſudoriferorum uſu ſtatim ab eodem liberati ſunt.

Anno eodem, menſibus Januario & Febr. *Joh. Schulffen*, Civis Thorunienſis filiola quadriennis malo hoc gravisſimè tentabatur, tàm in ſuperioribus quàm inferioribus articulis; & quamvis diverſa adhibita fuerint remedia tàm interna quàm externa, etiam pretioſa, fruſtranea tamen omnia fuerunt; puella enim conſumtis carne & viribus, doloribus fracta, contracturâ accedente, vitam cum morte commutavit. Sed parens hujus interdum podagrâ, & levisſimè tentatur: Videbatur igitur malum apud iſtam puellam, licet in tenerrima ætate, hæreditarium fuisſe.

Hoc verò Anno 1676. Menſe Januario, Februario, usq; in Martium, arthritide vagâ primum, dein in manibus & pedibus nodosâ afflictam fuisſe *Eliſabetam Binnerin*, puellam 16. præter propter Annos natam recordor, cujus uterq; parens nunquam podagra laborabat. Sed hæc jam ab ejusmodi doloribus planè libera vivit, licet aliàs valetudinaria ſit.

Nos causſam arthritidis puerorum & infantum rejicimus in ingluviem & intemperantiam hujus ſeculi, crasſorum ſcilicet ciborum & potuum, præſertim apud Nos Septentrionales, cujus fructum liberi, per hæreditatem quaſi à parentibus, intra ſe habent & percipiunt per ætates.

OBSERVATIO XIII.
D. SIMONIS SCHULTZII,
De
Verminatione Continua Ab Ipsa Infantia In Senectutem Usque Durante.

DEgit hic Vidua quædam honeſta, ferè quinquagenaria, A. K. quæ à primâ infantiâ ſemper cum excrementis alvinis vermiculos parvos inſtar aſcaridum, & quales

in caſeis generantur, albos, in magnâ quantitate huc usq; excernit, ſine aliquo ſanitatis incommodo. Huic Anno ætatis trigeſimo ſexto, menſes fluere deſierunt, itidem absq; ullo valetudinis detrimento. Neq; in conjugiis ſterilis hæc fuit: Ex primo enim marito filiolam ſanam, peſte poſtea extinctam, progenuit; ex altero filiolum adhuc viventem. Conſtitutio corporis ejus eſt ſicca, color faciei fuſcus, temperamentum melancholico-bilioſum. Quale me Exemplum nullibi legisſe memini.

OBSERVATIO XIV.
D. SIMONIS SCHULTZII,
De
VERMIBUS CUM URINA PER PENEM, INTESTINA, ET PER OS EXCRETIS.

POſt atrocisſimos pubis & penis dolores, puer undecim annorum, C. B. Civis Thorunienſis filius, excrevit cum urinâ faſciculum oblongum vermiculorum, veſiculæ ſingulari incluſum, dein alium per os: Tandem lumbricum inteſtinalem ulnam longum, quem ſecutus eſt alter tænia dictus. Puer hic optimè nunc valet, curatus tunc temporis à *Dn. D. Segero,* quem obſervationis hujus teſtem laudare liceat. Vermem per meatum urinarium rejectum deſcribit *Ronsſæus Epiſt. Med. 10.*

OBSERVATIO XV.
D. SIMONIS SCHULTZII,
De
MODO EMTIONIS VARIOLARUM AB INFECTIS.

MOdus emtionis variolarum ab infectis pro aliquot obolis, cujus *Dn. D. Volgnadius in Scholio Obſerv. CLXV. Anni ſecundi*

ſecundi Ephem. Germ. Curioſ. meminit, apud nos *Thorunii* itidem in uſu eſt. Quâ de inprimis notandum eſſe duco, quod ſemper vel plerumq; ii ipſi infantes, qui vel ipſi, vel per alios emunt ab infectis, licet paucas patiantur variolas, gravius reliquis decumbant; quod etiam, ut plures reticeam, fratri meo germano juniori p. m. *Johanni* accidiſſe recordor. Cæterum celeberrimo *Bartholino ac B. Sachſio obſerv. citat. & Scholio annexo* ſubſcribens, in fortem imaginationem cum metu quodam conjunctam, quam in morbis æq; ac in prægnantibus multum poſſe in confeſſo eſt, rem omnem refero.

OBSERVATIO XVI.
D. SIMONIS SCHULTZII,
De
Emplastro Miraculoso, Et Aliis Antipodagricis.

Emplaſtrum hoc miraculoſum, mihi tandem ad longam & prolixam aliquot annorum petitionem communicatum, eſt temperatiſſimum, ad varia ulcera & vulnera optimum, quod ſine omni ſorditie ubivis applicari poteſt. Novi qui ad eryſipelata eodem feliciter uſi ſunt: Inprimis autem ego Uſum ejusdem in variis tumoribus, arthritide, & podagra, atq; in fonticulis ſæpius expertus ſum. Hoc ipſum jam boni publici gratiâ (mortuo ejus Poſſeſſore, qui id mihi communicavit) benigno Lectori iterum candidè communico, cum hâc cautione, ut in præparatione ejus ſumma adhibeatur diligentia.

℞. *Ceruſſ. opt. ſ. Angl.*	℔. ij.	*Olei olivar. recentiſſ.*	℔. iv.
Camphor.	Dr. ij.	*Minii*	℔. ß.
Lithargyr.	℔. ß.	*Sapon. Venet.*	Unc. iv.
Bacc. lauri	Unc. ß.		

Omnia

Omnia pulveriſata & commixta decoquè c. ol. oliv. ad denſitatem & effunde ſuper aquam fontanam frigidam, fiantq́; l. a. magdaleones in loco opaco asſervandi.

Huic ſubjungo Emplaſtrum antipodagricum Sereniſsimi & Potentiſsimi quondam Poloniæ & Sveciæ Regis JOANNIS CASIMIRI,&c. quod tale eſt.

℞. *Ol. olivar.* ℔. i.
Lithargyr. ſubtiliſs. pulv. ℔. ß.
Decoqu. in patellâ ad nigredinem in forma ceroti admodum tractivi, adde
Pulv. rad. conſol. maj. Unc. iij.
Super lento igne miſta ebulliant,
dein ℞. *Boli Arm. ſubt. pulveriſ.*
Ceræ
Reſinæ a. Unc. iiij.
Liquef. iterum in patellâ & add.
Farin. fabar. Unc. ij.
Mumiæ
Tragac. pulv. a. Unc. ß.
Agitentur benè baculo, quoad frigeſcant, & fiat Emplaſtrum ſ. a.

Aliud Emplaſtrum antipodagricum Sereniſsimi cujusdam Regis Daniæ.

℞. *Picis navalis* Dr. vi.
Reſin. vulg.
Colophon. a. Unc. ß.
Ceræ citr. Unc. v.
Ol. Scorpion. Unc. iß.
Terebinth. Venet. Unc. ij.
Pulv. Succin.
Myrrh.
Maſtich. a. Unc. ß.
Sulph. Unc. iß.
Miſc. f. l. a. Emplaſtrum.

Ego in Arthritide vagâ ſæpè optimum fuiſse expertus ſum hoc:

℞. *Ol. comm.* Unc. iv.
Smegmat. Venet. Dr. v.
Minii
Ceruſs. a. Unc. ij.
Camphor. Scr. i.
Alumin. Scr. ß.
Miſc. coqu. l. a. & f. maſſa pro Emplaſtro.

Præter

Præter iſta uſitatum eſt *Thorunii Vngventum Acopum* dictum, Excellentisſimi p. m. *Dn. D. Chriſtiani Meiſneri*, Antecesſoris noſtri ſummè æſtimandi, ſequens:

℞. *Rad. Hyoſcyam.*	m. iij.	*Herb. Parid. c. uvis vel bacc.*	
Herb. Cicut.		*Papav.*	
Solan.		*Roſ. canin.*	
Parietar.		*Verbaſc.*	a. m. ij.
Lactuc.		*Ranar. virid.*	No. viij.
Anagallid.		*Lumbr. terr.*	Unc. iij.
Semperviv.	a. m. ij.	*Axung. porc.*	℔. viij.

Contuſis ac invicem probè mixtis add. Vini Hiſpan. ℔. iv. *peractâ dein digeſtione dierum ſex, fiat decoctio ad conſumtionem vini; colaturæ expresſæ add. Succ. inſpisſ.*

Rad. & herb. Hyoſcyam.		*Pulv. herb. ſolatr.*	
Herb. Solatri	a. Unc. iij.	*Cort. mandrag.*	a. Unc. ß.
Pulp. Casſiæ	Unc. vj.	*Croc. Orient.*	Dr. ij.
Opii Theb.	Unc. ij.	*Camphor.*	Dr. iß.
Styrac. Calam.	Unc. j.	*c. ſ. q. ol. papav. & hyoſc.*	
		m. f. l. a. Ungventum.	

Pro iisdem doloribus agmen claudat hoc Decoctum ab Amico quodam mihi nuper communicatum.

℞. *Cerevif. veter. & potent. hordeac.*	℔. iiij.
Olei olivar.	Cochlear. iij. magna.
Fol. Salviæ	m. j.

Decoq. l. a. omnia; in quo decocto linteamina calidè macerata, expresſa & ſic calidè parti affectæ applicata, dolores podagricos per aliquot horas mirè ſedant.

[*In literis Menſe Novembri, Anno* 1676. *Thorunio Vratislaviam.*]

OBSERVATIO XVII.
D. DANIELIS LUDOVICI,
Circa
Cervini Foetus Tempora.
Continuatio Observationis CCXLII. Anni VII.

NUm quod ſuperiori anno circa Cervinum 2. Novembris fœtum obſervaveramus, & inter regionum, tempeſtatum, ſpeciei, venatoriarum traditionum *&c.* collationes, ad anniverſarii tandem orgaſmi anticipationem & latitudinem quandam, ætati, ſimilibusq; circumſtantiis præcipue debitam tantiſper referri poterat, frequentius aut forſan ordinarie potius (ſaltem ut plurimum) ita contingeret, quia res ipſa & dependentes hinc quæſtiones hodie haud paucæ mereri videbantur, ulterius, etiam Octobri hujus 1676. anni Menſe (aliquantum procedente) perquirere placuit; prout obtenta Sereniſſimorum conceſſione ſucceſſive quædam iſthoc fine indifferenter obſerebantur: Quod licet octavo vel decimo ad minimum St. V. die, (Novembris loco ac comparatione) pro primorum Phænomenων conſideratione vel collatione ordiri conſtitueramus, ob exoterica tamen impedimenta quam plurima ante decimum quintum fieri non potuit. Cerva tum venatori per aliquot annos obſervata lactaverat adhuc hinnulum, uberibus reliquias ſatis oſtendentibus: In dextra vero diſſecti (levisq; intus ac vacui) uteri productione ſeu cornu, non quidem plane conſveto formati jam fœtus loco, (ubi paulo ſuperius materia quædam mucilaginoſa ſubſiſtebat facta via effluens,) ſed quod ulterioris inquiſitionis causâ notandum putavimus, mage deorſum & communem cavitatem verſus, hærebat Galba ſeu futuri fœtus rudimentum, coloris quaſi incarnati, veluti fruſtulum pulmonis vitulini, magnitu-

dine

dine minoris ſem. lupini (quod etiam ſub incurvatione ſuâ referebat, aut inter cuniculorum à D. *Graffio* depictorum octavum præter propter;) in inteſtinulo quaſi quodam articulum longo, calamum ſcriptorium quadantenus lato, manifeſtè, cùm lancettâ findendo contentum eximere vellemus, duplici; deorſum verſus in unum album ac concavum filamentum (indicis ferè longitudine, acûs autem mediocris craſſitie) abeunte; ſurſum verò ſimiliter fili-formiter cum quâdam quaſi reduplicatione ad detentam ibi mucilaginem protenſo. Nulla tamen contenti diſtincta configuratio vel articulatio, etiam microſcopio mediocri obſervari potuit, niſi punctum ferè in ejus medio rubicundum, à quo ſurſum ac deorſum filamenta plurima ſangvinea, inſtar venularum in ophthalmiis, extendebantur. Siniſtrum verò vacuumq; cornu ſaltem aliquanto ſpongioſius deprehendebatur, cum extuberantiis ſuis; unde ſi inciderentur exſtillabat, ſin tota productio, lanionum in inteſtinis more, inverteretur, proſiliebat etiam in diſtans liquor albugineus.

Idem autem fœtûs rudimentum, eodem loco ac ſituatione, cum filamentis ſuis in junioris Cervæ ſiniſtro uteri cornu *20. Octobr. St. v.* obſervatum eſt. An in aliis quoq; declivior hæc locatio ſimiliter contingat, & num forte nonnunquam ſub morientis animalis luctâ per unduloſum illum aut quaſi convulſivum matricis motum (qualem tum etiam in aliis membranoſis videmus, & ſimile forſan quidpiam circa ſuperioris ſinûs ad frontalis oſſis medium decurſum ſentimus, ſub ſeveriori animi in certam materiam intentione deſubito ad aliam avocati:)? An vero caſu id nonnunquam fiat; vel ex adverſo ordinarie potius aut ut plurimum (ceu conceptuum Cuniculorum obſervata curioſioribus inordinata quaſi diſperſio, incomparabilisq; D. *Harvei Exercitatio 69. p. m. 314.* in alterutram ſententiam allegari, imò fœtum augeſcentibus ſecundinis

mage ſurſum vergere credi forſan poſſet,) ulteriori hactenus experientia deſtituti determinare tantiſper nequimus.

Vigeſimo quarto dicti *Octobris* (cùm aliquot interea per errorem eviſceratas attuliſſent,) in pariter junioris Cervæ ſiniſtro latere fœtus ſatis jam diſtinctè conformatus reperiebatur, maſculus, albugineo humori in marſupiolo ſuo innatans; abdomine aliquantum adhuc hiante; de cætero ſuperioris anni embryoni intus extusq; ſimillimus, ſaltem paulo minor, & pollicis articulum in incurvo ſuo ſitu exæquans, indeq; tam viſcera quàm extremitates aliquanto tantum minora oſtendens; cum ſecundinis reliquis è filamentorum tenuitate nunc in inteſtinalem amplitudinem expanſis, & liquamen ſaltem aliquod, garum aut piſcoſi quid olens in ſe, (æque ac uterus ipſe) continentibus, utrinq; ſebacea quaſi, papillaribusve internis uteri tuberculis ſimili, (ac ſi abrupta hinc foret,) ſubſtantiâ quadantenus obturatis: Utroq; vero cornu poſt totius conceptus exemptionem intus glabro, ſiq; animi gratia ſupra dicto modo inverteretur, liquorem mucilaginoſum ſimiliter ejaculante: orificio deniq; matricis interno ſatis per corrugationem impactamq; mucaginem, (ut fluctuans inibi aquoſitas non niſi violentiori compreſſione prodiret,) clauſo, ſtilum tamen nihilominus per hujus lubricitatem haut difficulter transmittente. *Vigeſimo ſeptimo Octobris* huic ut ovum ovo ſimilis in Cervâ ſeniori, cum reliquis recenſitis circumſtantiis inventus eſt.

Vigeſimo nono vero in junioris animalis dextro latere, ſuperiori anno deſcripto fœtu longe perfectior, tertiâ parte longior, maſculus, abdomine perfectè clauſo, funiculo ſaltem umbilicali inſtar inteſtinuli propendente. *Secundo Novembris* obferebatur (pariter è juniori) fæmella ſatis articulata, abdomine tamen adhuc hiante; de cætero *viceſimi quarti Octobris*

maſculo

maſculo plane in aliis conformis, ut recenſita ibi repetere ſupervacuum fuerit.

Decimo quarto Novembris dum aberamus, ejecit Venator alium fœtum, felem nuper natam, ſed majuſculam, ad minimum æquantem; nec minor erat, quam *decimo ſexto ejus die* reverſi eximebamus, fœmella undiquaq; abſolutisſima: longe major vero maſculus, è juniori (ceu præcedens quoq; exiſtebat) cerva, *vigeſimo primo Novembris.* Omnia in hiſce perfecte conformata, articulata; niſi quod caput majuſculum obtuſa maxillarum declivitate roſtrum pulli gallinacei aliudve craſſius pro more exprimeret.

Atq; hic deſiimus: Præſertim cum adhuc conſummatiorum majorumq; recordaremur, qui ſub hujus menſis finem aperta una alterave, ſaltem ſitus obſervandi cauſa, jam ante complures annos hic inveniebantur. Num autem inde, quaſi per inductionis cujusdam incitamentum ſatisq; probabiliter colligi queat, in cervis jam primis Novembris diebus fœtum ſatis hoc in genere abſolutum, ordinarie quaſi vel ſaltem ut plurimum, de cætero equidem majorem minoremve, (pro ut citius tardiusve virum pasſæ aliæq; circumſtantiæ comparatæ fuerint,) reperiri; & hinc primum mutationis tempus, (quod *octavo*, vel *decimo*, imprimis autem *vigeſimo Novembris* conſtitutum eſt,) potius forſan ſecundum Phænomenων proportionem & collationem, ad minimum in *octavum, decimum* vel *duodecimum Octobris* præterpropter referri debere: Id quidem hic diligentiorum, quibusq; per frequentiores Venationes amplior, præſertim in ejusdem ſituationis regionibus datur occaſio, ulterioribus obſervationibus, propioribusq; causſarum tantæ diſparitatis deductionibus, cum conſequentiis ſuis merito ingenueq; ſubmittimus; in eo interea hæſitantes, quod nihilominus anniverſarii obſervabiliorisq; primum orgaſmi tempus hic cum ſupralaudatæ *Exercitationis 66tæ* item *Budæi*,

circa gallicas Venationes perquam curioſi,ipſorumq; antiquiorum (ſecundum conſvetas theoricæ computationes) termino ſimiliter coïncidat: Et ut equidem ſua oppidò ſit (æque ac in aliis permultis animalibus, mage ſtati quidpiam hoc in genere ſentientibus,) latitudo, anticipatio (ſeniorum, juniorum) tardatio ſeu poſtpoſitio; utq; poſt Canicularium fervores *September* varius,modò ſerenus modò magis pluvius in diſtrictibus hiſce fuerit; in univerſum tamen omnes indifferenter adeo prævertisſe conſvetum communis luxuriæ terminum, (nam reliquarum quoq; per errorem tùm eviſceratarum uteros impletos Venatores adverterunt,) forſitan vix queat concipi: Præſertim cum Noſtrates quoq; tralatitium illud (circa feſtum *S. Bartholomei* ſeu *Auguſti* finem cervos primitus rancentes audiri) de aliquibus ſaltem, præſultoribus, ſenioribus *&c.* intelligant; recentioresq; Zoographi ſimiliter fortasſis ita intelligendi videantur. Atq; hæc fuit hactenus cum ingenua recenſione noſtra circa cervinum fœtum obſervatio, vel etiam ex parte hæſitatio. Circa Damarum ſpeciem experientia nos deſerit.

Dum autem in ſuperiori liquaminis quaſi garum olentis recenſione quædam ad ſeminis naturam pertinentia è Memorialibus olim denuo ſuccurrerent, breviter ea pro tædioſioris relationis complemento, ulteriorisq; conſiderationis causſa ſuperaddere voluimus.

1. Omnino videri mulieres quidpiam, qualicunq; tandem (magis ſc. minusve durante) finitione deſiderii excernere: ſive directè ſive indirectè, & ſollicitando ſaltem ad conceptionem id, præſertim finitis menſibus, conferat. Videriq; porro Viros in juventute aliasve ardentiores vel appetentiores, juvenculas minusve adſvetas vel in deſvetudinem actas, abjecti animi ſiccioresq; *&c.* neglecto *Naſonis* præcepto prævertere: (cui conſentientem nuper in Philoſophia reſtituta Nobilisſimum

mum D. *Marcum Marci* invenimus) unde quoq; per vim ſtupratæ, obortâ demum delectatione ſe tunc concepiſſe faſſæ ſunt: Ut profundiori variâ de cauſsâ ſomno merſarum inſomnia prætereamus.

2. Conſideratu dignus videtur odor non ſimpliciter ſatyriacus vel piſcoſus ſolum, ſed alios quoq; complures heſternæ cœnæ cibos referens manê, tam in utriusq; ſexus excretionibus ſeorſim, quàm junctim in mulierum effluxionibus. Siq;

3. Pro lactis chyloſitate potiſſimum fuerit argumentum, copia; eadem illa dubium faceſſere poſſet longinquioribus olim & nunc iſtius deductionibus: Siquidem ſupputatione à competentibus annis usq; ad primum ſenium inſtituta, ſubtractum ſucceſſive toti, poſtmodum conjunctim, præſertim teneriori ſalaciorive ſubjecto facilê forſan æquipendere poterit. Sed hæc diffuſius deducere non eſt noſtrum.

[*In literis d. 16. Decembr. Anno 1676. Gothâ Vratislaviam.*]

OBSERVATIO XVIII.

D. JOH. SIGISMUNDI ELSHOLTII, De HIRUNDINUM EXCÆCATIONE ET RESTITUTIONE.

ARtificii, quo Oculorum humores reſtituuntur, veſtigia apud Veteres jam dum extare, ſuperiori anno oſtendimus, nimirum *Tom. V. Ephemer. German. obſerv. 126.* Adduximus autem ibi illuſtrem, notatuq; digniſſimum ex C. *Plinio* locum, cui merito quoq; jure adjungendus nunc eſt inſignis *Cornelii Celſi* textus, quem de Hirundinum excœcatione & redintegratione habet *Lib. VI. De Re Medica, cap. VI.* Verba autem ipſa apponere hic non pigeat: *Harum avium*, inquit, *acies extrinſecus læſa interpoſito tempore in antiquum ſtatum redit, celerrimeq; hirun-*

hirundinis. Vnde etiam locus fabulæ factus eſt, aut per parentes, aut id herbâ chelidonia reſtitui, quod per ſe ſaneſcit.

Poriſmata inde terna deduco. 1. Spontaneam viſus reſtitutionem *C. Celſo* jam dum cognitam fuiſſe in avibus. 2. Fabuloſa eſſe, quæ intuitu Hirundinum excœcatarum de chelidonia herba, forſan etiam chelidonio lapide, vulgus blaterat. 3. Operoſum illum apparatum pro conficienda Chelidoniæ ſingulari aqua, quem *Franciſcus Joſephus Burrhus Epiſt. IV. ad Thom. Bartholinum pag. 43.* propoſuit, eſſe ſupervacaneum. Quæ enim per ſe ſaneſcunt, tantis haut opus habent myſteriis: Id quod citata etiam ſuperius Obſervatione jam monuimus.

OBSERVATIO XIX.
D. JOH. SIGISMUNDI ELSHOLTII,
De
QUATUOR PHOSPHORIS.

UNicus *in Cœlo ſcintillat* PHOSPHORUS: *atqui*
Inferior jamdum quatuor *Orbis habet.*
Sic neq; Thebarum portæ, minus oſtia Nili
Sufficient: plures *Secla futura dabunt.*

I. PHOSPHORUS BONONIENSIS.

PRimum merito locum ob antiquitatem aſſigno *Lapidi Bononienſi* illi, cujus calx in ſe radios ita colligit Solares, ut inde retractus in obſcuro tantiſper luceat: quamvis virtutem hanc attractricem ultra annum vix ſervet, nec, qui eam reſtituere poſſit, hactenus ſit inventus. De Lapide iſthoc integrum jam pridem librum vulgavit *Fortunius Licetus*, itemq; Programma aliquod *Ovidius Montalbanus*, & inſtituta comparatione cum *Phoſphoro Hermetico*, nuper admodum Collega noſter

noſter honoratisſimus *Chriſtianus Menzelius*. Mentionem ipſius incidenter quoq; fecerunt Petrus Poterius *Pharmacop. ſpagyr. cap. 27.* Athanaſius Kircherus *lib.* III. *Art. magnet. part.* IV. *quæſt.* 2. Petrus Borellus *Cent.* I. *Obſerv.* 3. & alii.

II. PHOSPHORUS BALDUINI.

Sequitur, quem Hermetis Curioſi *Chriſt. Adolphi Balduini* induſtria non ita pridem adinvenit, atq; anno 1675. peculiari libello, cui *Phoſphoro Hermetico* ſive Magneti luminari nomen, Orbi literato expoſuit. Is autem Phoſphorus non æquè bene ex radiis Solis, quam ex aëre illuminato, Sole nimirum ſupra horizontem exiſtente, ſuum mutuatur lumen: neq; de Lapide Bononienſi quicquam participat. Exemplum Phoſphori hujus à ſe fabrefacti ad me Clarisſimus *Dn. Balduinus* ipſe miſit, quo nomine ei hic gratias ago publicas: quamvis modus conficiendi illum jam mihi innotuerit, & jam aliquoties dictum magnetem paraverim.

III. PHOSPHORUS SMARAGDINUS.

Is alterius tantiſper à prioribus eſt naturæ, ſplendorem ſuum non ex Solaribus radiis, aut ex illuminato aëre colligens: ſed ex Igne ipſo. Ejus ſcilicet particulam ſi laminæ argenteæ aut cupreæ imponas, adhibito carbonum ſubtus calore, ſplendorem ex cæruleo albicantem mox percipies, adeo ut, ſi materiam illam in notas aut literas digesſeris, legere nitentem commodè ſcripturam posſis. Quare vero *tertio huic* id nomen indiderim, & qua ratione parandus ipſe ſit, alteri ſervo occaſioni.

IV. PHOSPHORUS FULGURANS.

Verum enim vero univerſos hos multis poſt ſe paraſangis relinquit *quartus* & novisſimus, cui ab effectu ſingulari nomen *Phoſphori fulgurantis* prorſus tribuendum esſe, arbitror. Nimirum naturalium rerum ſedulus indagator, & qui ab ineunte

ætate cum *Helmontio* Fil. cum *Tackio*, *Glaubero*, *Bechero*, & ſimilibus magnæ famæ Chymicis, in Europa non tantum, ſed in Indiis etiam ipſis familiariter vixit, & propterea Principum in Germania plurimorum gratiam ſibi conciliavit, *Joannes* vide-



licet *Daniel Kraft*, Dreſdæ nunc Commerciorum cauſa pro bono Reipublicæ habitans, dum nuper ex Batavia redux Berolino tranſiret, oſtendit *Sereniſſimo Electori* noſtro, plurimisq; Aulicis adſtantibus d. 24. Aprilis proxime elapſi, horâ 9. veſpertinâ *materiam luminoſam* vitreæ phialæ exiguæ Hermeticè ſigillatæ incluſam, quam ipſe *Ignem* nominabat *perpetuum*. Monſtratu-

rus

rus illam, aperuit vitrum, & ſuper chartâ cæruleâ materiam poſuit: In qua remotis candelis, ipſa non tantum *Lampyridis ſive Cicindelæ*, æſtivis noctibus per aërem volitantis inſtar ſplendebat, verum etiam affricta digito, ſimilem penitus fulgorem albicantem non ſine ſtupore ſpectatorum ipſi inducebat: adeo ut, ſi quis totam illevisſet faciem, tota ipſa quoq; , veluti quondam (ſi tamen divinis iſtæc componere licet) *Moyſis*, ex Monte Sinai deſcendentis, fulſura procul dubio fuisſet.

Sequenti die materiam ſuam *Artifex* denuo non quidem phialæ, ſed alteri Vitro oblongulo, & qua forma ac magnitudine hic intra *lit.* B. *&* C. pictum cernitur, incluſit, nec non cera Hiſpanica extremum obturavit utrumq; : adeo ut *Granum* illud extra vitrum in Scutella ſub *lit. A.* aliquo modo repræſentatum, quodq́; tam colore, quam duritie *Succinum flavum* non pellucidum penitus, ſed ſubobſcurum referebat, in medio *Canalis* illius *vitrei* hæreret. Sic incluſum *Granum* eodem die, dum adveſperaſceret, ad me idem detulit, & in muſeo meo clauſis feneſtris per aliquot horas mecum obſervavit, *Granum* hoc non ſplendere quidem ſicut pridie, & extra vitrum in charta poſitum: verum contra, per intervalla ex ſe *fulgur* emittere, quemadmodum Nubes noctu per calores æſtivos asſolent absq; tonitru, wenn das Wetter ſich kühlet/ ut Germani loquuntur. Intervalla illa erant brevia, & cum pulſu propemodum Arteriæ in carpo quadrantia, adeo ut ad ſingulos iſtius pulſus *Granum* ſingula vibraret fulgura, totum Vitrum replentia: excusſurum quaſi obices illos cereos, & indignabundum, quod ſpatio tam exiguo ſit incluſum. Id ſpectaculum ſane non me tantum, ſed ipſum quoq; *Artificem* illum, quem iſta fulgurandi virtus hactenus latuerat, perquam reddidit attonitos.

Rediit idem porro tertia quoq; veſpera ad iterandas Obſervationes noſtras, & advertimus, *Granum* non utrinq; jam, ſeu utraq; cuſpide fulgurare: ſed verſus unicam ſaltem, quæ

ſcilicet literam B. in Icone reſpicit. Ideoq; extremitatem illam B. quæ tum in poſitu manus meæ ad plagam Mundi occidentalem vergebat, inverti Orientem verſus, fore ſperans, ut *Granum* ſic inverſum fulgur ſuum eorſum etiam vibraret. At vero, quod viſu ſtupendum erat, haut Orientem verſus, uti putabamus: Sed unice ad Occidentem *liberrimum & propoſiti tenaciſſimum Agens* coruſcabat, etiamſi Canalem vel centies inverteremus.

Plures inſtituere Obſervationes ob abitum *Dn. Kraftii* tum non licuit: Plura tamen & multifaria phænomena ex *luminoſo* iſtoc & ſumme mirabili *Lapillo* certisſime præſtolamur: ambigentes interim, idem hic fuerit, an ei ſimilis, quo de mentionem facit Jac. Aug. Thuanus *Hiſtor. lib. VI.* his verbis: *Dum Rex Henricus II. Bononiæ in Gallis esſet, allatus eſt ad eum ex India orientali ab homine incognito, ſed ut apparebat, moribus barbaro, Lapis ſtupenda ſpecie & natura, videlicet lumine & fulgore mirabiliter coruſcantibus, quiq; totus veluti ardens incredibili ſplendore micabat, & jactis quoquo verſus radiis ambientem aërem luce nullis fere oculis tolerabili latisſime complebat.* Plura, quæ de miranda iſtius Lapidis natura porro ibi adduntur, cum fidem pene omnem ſuperent, neq; paria his in *Phoſphoro* noſtro *fulgurante* obſervaverimus, recenſere ſuperſedeo. Imprimis cum non deſint, qui totam hanc narrationem (cum in editione *Pariſienſi* archetypa non extet, ſed in *Francofurtana* ſaltem poſt Thuani mortem continuata atq; aucta inveniatur) dubiam reddant: non obſtante, quod Francofurtana editio *Joannis Pipini* oculati teſtis ad *Antonium Mizaldum* literas in fidem rei juxta alleget. Cæterum ad nos quod attinet, qui *Phoſphori fulgurantis* ſpectacula & vidimus, & ipſum manibus tractavimus, *Lapidis* hujus *Indici* hiſtoriam (priori ſaltem, & à nobis jam citata parte) veram esſe, aliis qui *Phoſphorum fulgurantem* nec viderunt, nec tetigerunt, minus difficulter credimus. Berolini, d. XX. M. Maji A. Æ. C. cIɔ Iɔc LXXVI.

[Handwritten marginal note:] per Oratorem Poli-um Christ. Weisii, ubi -ringium de hoc Lapide citat.

OBSER-

OBSERVATIO XX.

D. JOH. SIGISMUNDI ELSHOLTII, De PHOSPHORO LIQUIDO.

De *quatuor Phoſphoris*, anno ſuperiori vulgavimus obſervationem. Iis ipſis ſuo nunc merito QUINTUS porro accedit, quem à conſiſtentia non abſurde *liquidum* nuncupare licet: ab effectu vero *Ignem frigidum* lucentem, non urentem appellat Prænob. atq; Excell. *Dn. D. Martinus VVeiſe*, Conſiliar. Elect. Brandeburg. & Archiatrorum Senior, qui primus hunc *Liquorem* Sereniſſimo Electori, Domino noſtro Clementiſſ. nuper in cubili Electorali humillime exhibuit: altero autem die, invitatis eam ob rem in ædes ſuas nobis Amicis & Collegis, jucundo hoc ſpectaculo oculos oblectavit. Cæterum indoles hujus *Phoſphori liquidi* non minus, ac *Fulgurantis* illius, ſive Quarti, ſtupenda eſt, quam breviter, ſed accurate depingere hic conabimur.

Concipe ſis animo parvum vitrum, quod obligato collo cum liquore contento aliquot horas immotum ſteterit adeo, ut per quietem portio ſecedat craſſior & opaca, ſupernatet clara tenuiorq;. Illa colore ſulphur refert impurum, hæc citrei mali corticem. Quamdiu obturatum ſic, atq; loco non motum perſeverat vitrum, nulla flamma, nullus percipitur ſplendor: at ſi in camera obſcura vitrum vel leviter moveris, partemq; craſſam cum tenui miſcendo confuderis, gyrantem mox in vitro flammam advertes: quæ ipſa tamen paulo poſt iterum extingvetur. Quod ſi vero ſimul vitrum aperias, fumus erumpit ad odorem Allii tantiſper appropinquans, isq; denſus adeo, ut *Liquor*, ſi motum reſerati vitri continuares, totus eſſet deflagraturus.

Porro vero, ſi volæ manus, vel guttulam unam agitati *Liquoris* inſtilles, ipſamq; digito alterius manus leviter terendo dilates: cæruleam ſubito flammam, ſimilemq; illi, quam Vini ſpiritus accenſus reddit, in vola manus juxta, ac digito *Liquorem* dilatante obſervabis, idq; tamdiu, donec integer ipſe, & ad atomum usq; ſit conſumtus. Capillos ſi obleveris, aut barbam, ſuperciliavé, absq; noxa illa ardebunt: adeo ut *Ignis frigidi* nomenclatura ipſi aptisſime quadret. Cæteroquin ab igne vulgari *Liquor* iſte haut videtur incendi, ſiquidem papyrus intincta, & candelæ admota, flammam non rapiebat: contra vero eadem *Liquore illita,* in tenebris, quaſi ab igne accenſa, elegantisſime ſplendebat: quod ipſum etiam in filo, quo vitrum obligatum fuerat, qua parte *Liquoris* tantillum adhærebat, conſpicere licuit.

Plura circa *frigidum* hunc *Ignem* phœnomena hactenus non obſervavimus, imposterum tamen iſtis experimentis plus operæ ſumus impenſuri, & poſtea communicaturi. Profecto, ſi conjectura quorundam de *Lucernis Veterum* ſepulchralibus vera eſt, quod ſcilicet non mille vel amplius annos illæ arſerint, ſed quod apertæ demum ardere cæperint: tum utiq; ab Oleo illo Antiquorum non multum abfuerit hic *Phoſphorus liquidus.* Qui enim quieſcens & obturatus haut nitet, apertus & inter aperiendum motus, coruſcare atq; flagrare incipit: reſtauratæq; hoc pacto forent Lucernæ illæ, multis retro ſeculis inter *Deperdita* ab omnibus relatæ. Berolini, d. 29. Menſis Januarii, Anno Æ. C. cIↃ IↃc LXXVII.

[*Ex communicatione Dn. A. Menſe Februario Ann.* 1677.]

SCHOLIUM.

Cum *lucernarum ſepulchralium* mentio in obſervatione præcedente facta ſit, commodè hic interſeri poſſe judicamus ea, quæ de lampade hujusmodi Eruditus quidam Gallus, occaſione

caſione *Phoſphori liquidi*, nuper admodum ad *Ill. Dn. de N.* perſcripſit, verbis ſequentibus:

A propos de la liqueur enfermee dans une bouteille de Verre (dont vous me parlez en voſtre lettre du 26. Fevr. dernier) je vous diray, qve j' ay veu autre fois à Valence en Dauphine, Ville de ma naisſance, un globe de verre, dans le qvel luiſoit une lumiere circulant. Ce globe fut trouve il y a 24. ans dans un champ, ou lon avoit ausſy trouvè qvantité de ſepulchres anciens de pierre & de marbre: le posſesſeur de ce globe fut asſez ſot de le casſer, pour contenter la curioſitè, qv' il avoït de voir dans ce globe ce qvi produiſoit la lumiere, la qvelle ſes taignit auſsy toſt à l' air.

Quæ ex Gallico in Latinum ſermonem translata ita ſonant: quod attinet liquorem in lagenâ vitreâ recluſum, cujus in literis tuis die 26. Febr. (Anni hujus 1677.) ad me datis, mentionem injicis; dicam, me quondam vidisſe *Valentiæ* in urbe *Delphinatûs*, patriâ meâ, globum vitreum, in quo lux quædam circulabatur. Globus hic reperiebatur ante XXIV annos in campo, ubi magna ſepulchrorum antiquorum, ex lapidibus & marmore exſtructorum copia inventa fuit. Posſesſor illius globi, ſatisfacturus curioſitati ſuæ, ſatis ſtultè egit, quod illum ruperit: nam ſcire cupiens, quidnam in illo lumen produceret, idem ob admisſum aërem ſubitò extinxit.

[*Ex literis Excellentisſimi Dn. D. Martini Bernhardi de Bernitz, ad D. Henricum Vollgnadium, d. 15. Jun. Anno 1677. Varſchaviâ Vratislaviam.*]

OBSERVATIO XXI.
D. SIMONIS SCHULTZII,
De
Occulti Cancri Periculosa Curatione.

Vidua quædam Thorunenſis ſexageſimum annum ſupergresſa, jam per aliquot annos occultum Cancrum in mamma fovens, non ita pridem à Circumforaneo quodam, tempore nundinali perſvaſa, curæ ſe ipſius permiſit.

Hic

Hic tempore autumnali, acceptâ pecuniâ, Corpore cachectico non præparato nec expurgato, curationem periculoſam audacter aggreditur, prius emplaſtro mammæ laboranti ſuperinducto, nulliusq; ſectionis mentionem faciens, ex improviſo, emplaſtro remoto, mammam abſcindit, tum ægram lipothymiâ correptam aquis cordialibus reſtituit, dein quotidie, initio tum facto, hæmorrhagiam ſiſtit, & reliquias Carcinomatis radicitus removere tentat. Sed paucis interjectis diebus, miſera pesſimè ſe habere cæpit, mortemq; inſtantem videns, ad eam ſe præparavit, quæ etiam paulo poſt, inopinatê tamen ſubſequuta eſt. Hæc, eheu! exemplo ſuo comprobavit, veritatem Aphoriſmi Hippocratici *Sect. 6. 30.* qui ita ſonat: *quibus occulti Cancri adſunt, non curare melius: curati enim citius intereunt, non curati verò longiore tempore vivunt.* Imô in univerſum Practici plerumq; exiſtimant, Cancrum confirmatum & exulceratum nullum curari posſe. Et obſervatum eſt ſæpius, quamvis exciſi & aliquando curati fuerint Cancri in exterioribus, eosdem tamen poſteà rediisſe in eadem, vel etiam in aliis partibus, ut Cancro in mammis curatò, alium in utero ſubortum fuisſe. Satius igitur fuerit, Cancrós jam inveteratos & majores eatenus curare, ut eorum augmentum prohibeatur. *Vid. Sennertus Pract. Med. Lib. 5. Part. 1. Cap. 20.* de Cancro quinquaginta annos innocuo. *Vid. Tulpium Obſerv. Med. Lib. 1. Obſ. 47.* & de altero mammarum *ejusd. Libri Obſ. 53.* Adjunge Obſerv. *Gvil. Fabricii Hild. 73. Cent. 4.* de gravisſimo tumore brachii ex Cancro mammillæ progenito: tum *obſerv. ejusd. 87. Cent. 3.* de Cancri occulti periculosâ curatione. Imprimis autem lectu digna ſunt verba *Jodoci Lommii Obſerv. Med. Lib. 2. p. m. 239.* ubi periculorum & propter longam durationem plenum tædiorum Cancri vitium vocat: quodq; *p. 241.* tamdiu creſcere, donec vitam adimat, ſcribit: ut reliquos Autores plurimos hic reticeam. Ego pro certo affirmare auſim, quod pluri-

plurimos peſſimo hoc Carcinomate affectos viderim, ſed nec unicum ita curatum, quin poſtliminio non reverſum fuerit. Unum notabile exemplum hic è pluribus profero, quod Leidæ in noſocomio in præſentia Celeberrimi Profesſoris *VValæi*, Præceptoris noſtri quondam ſuſpiciendi, in vetula à Chirurgo Noſocomii ordinario percuratum videbatur, & totius anni ſpatio ſopitum fuit, ſub cineribus quaſi gliſcens, ſed tandem erumpens & ægrotam enecans. Ergo nil temerè in curâ cancri (exceptâ palliativâ) inſtituendum esſe puto.

OBSERVATIO XXII.
D. SIMONIS SCHULTZII,
De
Fluxu Hæmorrhoidali Puellorum.

CUm ante aliquot annos Sororis meæ Germanæ & *Bartholomæi Schaden*, Civis & Dulciarii Thorunenſis, filius unicus annorum octo præter propter, aliquoties ſangvinem per alvum dejecisſet, quum tamen neq; tormina ventris, nec ullum dolorem ſive in inteſtinis, ſive circa inteſtinum rectum aut in podice perciperet, vegetusq; adeo esſet, & circa res non naturales optimè ſe haberet, niſi quod interdum ſudore copioſo corriperetur & hæmorrhagiam narium frequenter pateretur, cum calore præternaturali, ſed non immodico, qui tamen ſedato fluxu etiam mox ſedabatur. Soror perterrita mihiq; caſum exponens, jusſa à me partem affectam indagare, venulas tumentes & ſangvinem rubicundum ſtillantes circa orificium ani deprehendit. Duravit ſymptoma hoc per aliquot ſeptimanas æſtivo tempore: ſed jam puer 12. annorum vegetus munia ſua in ludo literario diligen-

ter obit. Alterum puellum minorem natu præterito Anno 1676. menſibus Novembri & Decembri *Michaëlis Teſchken* Senioris, Civis & Mercatoris Thorunenſis, eundem affectum, ſed ſine diſcrimine ſanitatis aliquo, pasſum fuisſe, mihi nuper relatum eſt: qualia ego exempla huc usq; me legisſe vix recordor, cum hoc ſymptoma tantum aliquando fœminas, plerumq; mares in virili ætate conſtitutos afficere conſveverit.

[*In literis Menſe Januario*, *Anno* 1677. *Thorunio Vratislaviam.*]

OBSERVATIO XXIII.

D. JOHANNIS MATTHIÆ NESTERI, De

MICTU SANGVINIS COPIOSO, SINE DETRIMENTO SANITATIS.

Novi virum quendam doctisſimum hîc BERUTHI, multâ mihi familiaritate junctum, habitu corporis obeſo præditum, temperamento ſangvineò-melancholico, ac in hypochondriacum affectum pronum, anno ætatis ſuæ circiter quinquageſimo tertio; cui plurimis abhinc annis hæmorrhoides moderatè & convenienti tempore fluxerunt, cum ſummo ſanitatis ſuæ emolumento: his verò per tres annos, & quod excurrit, ſponte ſuâ ſubſiſtentibus, ante biennium autumnali tempore, quo plerumq;, ut *Horatius* canit, *mala febrium terris incumbit cohors*, horrore & calore febrili unà cum inflammatione ac tumore tonſillarum corripiebatur, & propter febris malignæ metum, quæ tunc temporis Epidemia erat, ſtatim ſectionem medianæ brachii ſiniſtri inſtituebat, & uncias quinq;, præter propter, ſangvinis emittebat, quo facto melius ſe habuit. Sequenti a. nocte ecce! *ὡς ἀπὸ μηχανῆς*, mictione cruenta affligebatur, & ſupra libram unam ſangvinis

puris-

puriſſimi atq; ſinceri, absq; omni dolore, & ſine ulla gravitate, tenſione vel dolore circa regionem jecoris, renum & ureterum, vel circa pubem, emingebat, quod non ſine magnâ animi conſternatione, & non parum perturbatus obſervabat iſte. Sequentibus tribus diebus urina erat inſtar loturæ carnis recentis, quam cum acutiſſimis doloribus in pene, ut ſæpiſſimê nullo modo quieſcere poſſet, reddebat; interdum ſubitò ſupprimebatur, ut guttatim ac cum teneſmo, ſicut in urinæ ſtillicidio, illam emittere cogeretur: idcircò præſumebat, calculum in veſica adeſſe; verum adhibitis variis lithontripticis atq; emollientibus, tâm internis, quâm externis, nihil efficiebat, nihilq; levaminis ſentiebat: tandem cum maximo cruciatu & ardore vehementi in ima pube & circa virgam, varios, magnos ac oblongos ſangvinis grumos, inſtar epatis lucii piſcis, mingendo ejaculabatur, hinc omnes dolores in momento quaſi evaneſcebant, & urina poſtea tota pellucida, citrina, clara ac ſangvine vacua erat, ægerq; ſtatim ex integro reconvaluit, ſpe firmâ, ſe penitus ab hoc malo graviſſimo liberatum eſſe. Sed fruſtra, & reſiſtente Apolline; poſt duos namq; menſes redibat dolorifica iſta mictio, & ad hunc usq; diem durat: interdum quidem per bimeſtre, interdum trimeſtre, interdum & per longius temporis ſpatium ſpontè remittit, nec certam periodum obſervat, ſemper tamen recurrit ac per intervalla ſæpius claſſicum canit; & primò ſangvis purus, floridus & impermiſtus absq; urina, ſine omni tamen lumborum dolore excernitur; qui in momento inſtar gelatinæ in grumos ſpiſſos in matula concreſcit, poſtea niger & melancholicus quaſi, cum copioſa urina apparet, & quidem ſemper cum dyſuria atq; teneſmo; & nunquam hic fluxus ac dolores remittunt, donec ſangvis in veſica congrumatus fruſtillatim ejectus ſit. Reverâ vix credibile eſt, quantum ſangvinis per ductum urinarium excreverit iſte.

Præſcripſi contra moleſtisſimum hunc affectum varia medicamenta profluentem ſangvinem cohibentia & conſolidantia, inter alia etiam *decoct. contra miction. Sangv. Mynſ. Troch. d. Carab. Gordon. alkekeng.* imprimis *Tinct. Sulph. Vitrioli D. D. Michaelis* mei, heu mei! Ad disſolvendum v. ſangvinem concretum *Decoct. ex rad. rub. Tinct. aſparag. c. Syr. de alth. Fern. Oxymel. Squillit. ol. amygd. d. rec. expr. ocul. ♋ & ſimil.* It. ad Sangvinis acrimoniam atq; fervorem corrigendum *Apozema ex decoct. malv. portulac. plantag. nymph. burſ. paſt. Sem. 4. fr. maj. c. Syr. portul. violar. Tragacanth. & troch. Gordon. &c.* Phlebotomiam non tantum præſervationis, ſed & revulſionis gratiâ in brachio dextro inſtitui, ſed, quod admiratione non vacat, & ſilentio non prætereundum, quô ſæpius ſangvis per V. S. emittitur, eò copioſiùs ſangvis emingitur. Hirudines quoq; hæmorrhoidibus applicari curavi; ſed omnia incasſum. Hinc ſvaſi ut à curatione, & medicamentis impoſterum abſtineret, ac totum negotium naturæ committeret, & dixi hunc fluxum, à copia Sangvinis productum, naturæ beneficium esſe, quumq; exinde non labefactentur vires, periculum esſe, ne ſi temerê ſupprimeretur, natura ſangvinis abundantis onus in aliam partem nobilem cum ſummo vitæ periculo deponat. Dictum factum. Interim extra hunc fluxum optimè valet, benè ingerit, benè digerit, benè egerit, beneq; dormit, nec ullam circa viſcera interna moleſtiam ſentit, unde bonam in viſceribus harmoniam ſtatuo. Antequam v. fluxus hic cruentus apparet, ſentit Vir iſte laudatus lasſitudinem atq; gravitatem quandam omnium membrorum & Melancholiam; fluxu v. præterlapſo omnia ſeſe melius habent, boniq; animi & hilaris eſt. Hinc verum eſt illud *Hippocratis*, quando ait, quod ſangvinem mingere raro quidem & ſine febre ac dolore nihil mali ſignificet, ſed lasſitudinum ſolutio fiat.

His omnibus perluſtratis in eam ſententiam ſum adductus, ſalvo tamen aliorum judicio, ob ſuppresſos hæmorrhoides ordinarias mictionem hanc ſangvinolentam oriri ex venâ hæmorrhoidali externa, quæ ramum adfinem habet, qui in viris & quidem ſurculis majoribus in veſicam ejusq; cervicem exporrigitur: & quia plerumq; dolores in imâ pube & circa virgam, affectum in collo veſicæ esſe, per anaſtomoſin venarum propter loci anguſtiam grumos hos oblongos excerni, uti apud *C. Bauhin. l. 1. Anat. c. 20. & Hipp. 4. aph. 75. & 78. Nicol. ſerm. 5. tr. 10. c. 19. & Savanarol. tr. 6. pract. c. 19. rub. 19. Cœlium Aurelian: l. 5. de Chronic. pasſ. c. 4. Mœb. Epitom. Inſtit. medic. c. 9. pag. 350. It. Fundam. Medicin. phyſiolog. c. 17. p. 423. Fabric. Hildan. cent. 2. obſ. 11. f. 88. & alios* ſatis abundê videre eſt.

OBSERVATIO XXIV.

D. JOHANNIS MATTHIÆ NESTERI,

De

Mira Utriusque Ossis Femoris Luxatione.

Mirabile humanæ miſeriæ & miſerabile luxationis femoris Exemplum nuper *XV. Decembr. Ann. 1676.* vidi in puero quodam ruſtico 14. circiter annorum, hic *Beruthi* jam decumbente, cui ex præcedentibus vehementisſimis coxendicum doloribus, quos ob nimiam partium externarum hyberno hocce tempore refrigerationem fortè contraxerat, utrumq; os femoris capitibus ſuis coxarum ſinibus excidit & luxatum eſt, dextrum nempe extrorſum, ſiniſtrum verò introrſum: unde factum, ut non ſolum propter caloris nativi alimentiq;, ob venarum ac arteriarum diſtorſionem, defectum, abolitamq; membrorum nutritionem, utrumq; crus & femur contabuerint; ſed dextrum quoq; crus, eò quod

 femoris

femoris caput in locum altiorem exciderit, brevius redditum, ut calx terram attingere nequeat; ſiniſtrum contrà, ſi cum altero conferatur, longius ſit; ambo v. ob ἀτροφίαν robore deſtituta, omnem planè motum atq; uſum ad ſtandum & incedendum amiſerint, ut humi deſidere natibusq; repere deinceps cogatur, ſicut *Leibolfus* ille, cujus meminit Illuſtris *Reineſius l. 2. variar. lect. c. 18.*

OBSERVATIO XXV.

D. JOHANNIS MATTHIÆ NESTERI,

De

PUELLA OCTENNI FLUORE ALBO LABORANTE.

Puella nobilis octennis, habitus corporis gracilioris, corripiebatur per tres menſes fluore muliebri, ſ. albo menſium fluxu, (qui, referente *Hœchſtetero*, Auguſtanis puellis, etiam parvulis virginibus familiaris eſſe ſolet,) ex nimio atque continuo ſacchari uſu, quo à pueritia aſveta erat, & ſomno, cui indulſit hactenus, contracto, cum pallore faciei & labiorum, cephalalgiâ gravi, reſpiratione anhelosâ, palpitatione cordis, laſſitudine gravativâ, appetitu penitus proſtrato, ac metu, ne malum hoc in cachexiam aut atrophiam degeneret, idq; ob depravationem nutrimenti ſangvinis. Parentes de ſalute filiolæ non parum ſolliciti, conſilium implorabant meum. Ordinavi varia, quæ aliàs cum felici ſucceſſu in hoc adfectu adhiberi ſciebam, imprimis ad humores crudos præparandos, obſtructiones reſerandas, ac intemperiem corrigendam, optimâ tandem obſervatâ diætâ, præſcripſi vinum medicatum, ac poſtea Tincturam Corallorum cum Spiritu lignorum præparatam aliquoties exhibui, & ægram præter pa-

rentum

rentum opinionem divinâ benedictione optimæ ſanitati reſtitui, quæ adhuc ſuperſtes atq; incolumis vivit.

OBSERVATIO XXVI.
D. JOHANNIS MATTHIÆ NESTERI, De DIABETE.

SIc Septembre anni præteriti rariſſimum caſum practicum, haud ita ſæpè occurrentem in ruſtico quodam quinquagenario obſervavi, quem ipſe *Galenus 6. de loc. aff. c. 3.* ſe totius vitæ ſuæ tractu bis tantûm vidiſſe ſcribit, Diabeten nimirum ſ. mictionem frequentem ac copioſiſſimam cum oris ſiccitate, ſiti continuâ atq; inextingvibili, (lingvam enim, ſtatim etiam à potu, ſemper habebat aridiſſimam,) ac intenſa totius colliquatione ſequente, ab hepatis ac imprimis renum intemperie calida, ſicca, non ſolùm omnia potulenta & liquida, ſed etiam omnes alias humiditates corporis ad ſe attrahente corpusq; exſiccante. Singulis ferè diebus ægrotus duodecim menſuras urinæ tenuis ac limpidiſſimæ reddebat, cùm tamen toto die vix quatuor menſuras tàm cereviſiæ quàm Julebi ordinati ſumebat, atq; ita potûs quantitatem urinæ quantitas multô ſuperavit. Hinc Hectica febris ſubſecuta, cui equidem variis humectantibus & cum modicâ adſtrictione refrigerantibus tàm internis quàm externis, â me occurrebatur; aſt ſine penitiori effectu. Prognoſtico itaq; facto, æger, labaſcentibus de die in diem viribus, è vivis tandem ſublatus eſt.

[*In literis ad L. Chriſtianum Fridericum Garmannum, Berutho Chemnitium, Menſe Februario, Ann.* 1677.

OBSER-

OBSERVATIO XXVII.
L. CHRISTIANI FRIDERICI GARMANNI, De ASCITÆ PECULIARI SYMPTOMATE.

VIr quidam LV. annorum in Aſciten propendens raro hoc, non rarô, tentatur ſymptomate, ut, quoties ſive diurno ſive nocturno ſomno indulgere conatur, & oculos claudit, omnis reſpirationis beneficio privetur ſubitò, qui niſi confeſtim oculos clauſos aperiat, vitæ diſcrimen incurrit. Oculis apertis malum oppido cesſat, & alias, niſi poſt motum corporis concitatiorem, liberâ fruitur reſpiratione. Rarum hoc ſymptoma, ſed ægro perquam moleſtum, quo afflictus, aliquot dies & noctes oculis apertis (eorum namq; clauſuram, licet ſomni capesſendi gratiâ non fiat, ſtatim malum excipit,) inſomnes, in ſomnum tamen proclivis, terere cogitur. Obſervavit huic gemella *Tidicæus* apud *Schenckium (l. 3. obſ. med. Tit. ſympt. Hydrop. Obſ. 4. p. 435.)* & dubitat, an causſa ad flatuum (qui etiam ſæpius noſtrum exagitant) circa Diaphragma concluſorum exagitationem per calorem intro ſe colligentem in ſomno (cibum namq; ſumenti nullum inde noſtro incommodum) referre debeat.

[*In literis ad Collectores d.* 20. *Febr.* 1677.]

SCHOLIUM.

SImili ſymptomate afficiebatur hic Vratislaviæ hyeme prӕterlapsâ Vir quidam quadragenarius Aſciticus, cui ſive cubanti ſive ſedenti, quoties ſomni capesſendi ergo oculos clauderet, ſpiritus intercludebatur, adeo ut niſi cubans erigeretur, aut ſedens excitaretur ab adſtantibus, aërq; afflaretur, hiante ore ſuffocari metueret. Inſigne levamen afferebat *ſpir. lumbr.*

lumbr. terr. per fermentationem paratus, cum Syr. viol. miſtus, ſæpius exhibitus, adeo ut à ſuffocationis metu liber, horis aliquot quieto ſomno indulgere poſſet. *Spiritu* C. C. in ſimili ſymptomate uſus eſt *VVilliſius*, ut ut in affectu diverſo ab aliis ex hypotheſi ſuâ cauſſis illud deducat.

OBSERVATIO XXVIII.
D. SALOMONIS REISELII,
De
Flamma Ex Oculis Erumpente, Et Illuminante Literas.

QUæ de Urinâ noctu lucente ad Ephemerides Naturæ-Curioſas transmiſi, ea & aliis cordatioribus, & inprimis clarisſimo *Dn. Joh. Tackio Archiatro Haſſo-Darmſtadino atq; Med. & Eloqu. Prof. in Academiâ Giesſenâ* aperui, & ſub cenſuræ regulam tradidi. Ille ergo in amicitiæ literariæ mutuos complexus firmandos, candorisq; ſui certitudinem eloquentisſimè ſequentia reſpondit, *Darmſtadio 30. Dec. 1675.* poſt ſalutem & pauca alia. Sed ſæpe lasſant conatus noſtros impedimenta, „ & vel unius clypei defectus, quo tueamur regiam vitæ noſtræ, „ ne dicam inania hactenus & ab aliis decantata præſidia, qui- „ bus multoties inhærere cogimur, ne à conſvetudine rece- „ dere velle videri queamus illorum, quibus integrum eſt nihil „ ultra ſapere velle, niſi quod ipſis viſum eſt, & ne calumnian- „ di illis ſuppeditemus materiam. A quâ ſanè neq; tu apud „ omnes immunis eris, dum de Urinâ lucente tam egregias ad „ me ſcribere voluiſti meditationes, dum cenſuerint nonnulli „ te vel ſuperſtitione captum, vel impedimentum oculorum „ pasſum tibi ipſi de inviſo urinæ lumine gratificari voluisſe. „ Sed valeant ſiniſtræ aves. Mihi, quantum luminis ſit in ani- „

„ malibus, præter ea, quæ *Bartholinus* ſcripſit, jam ſatis compertum eſt, dum vel unius diei recordor, quâ inherens meditationibus intenſioribus, pro elaborandâ oratione funebri in honorem Electoris Saxoniæ Divæ memoriæ, in Academia Giſsenâ ingruente crepuſculo jam in noctem vergente, vidi ſubito ex *oculis* meis *erumpere flammam in ſubjectam* albam *chartam*, quæ adeo *illuminabatur*, ut adhuc illius luminis uſurâ ſcribere poſſem duas integras lineas, antequam evaneſceret, quâ ſanê non leviter territus è Muſæo me citô proripui, haud interea parum anxius ob exempla *Bartholini* & rationes ipſius nonnullas, ne oculorum aut viſus damnum inde mihi ſuccederet. At Deo Servatori meo ſit laus & gloria, qui in hunc usq; diem me ab illiusmodi viſus malis ſoſpitem & immunem eſſe voluit, licet adeò illius apparentis flammæ coruſcationibus multoties ex oculis promicantibus infeſter, ut ſæpe ſoli mihi non eſſe liceat. De Urina vero tuâ lucente ut aliquid tuis addam, vix invenio, videris enim tetigiſſe acumen veritatis, dum Urinam tuam lucentem cum mari coruſcante & ſcintillante comparare voluiſti. Habent & Philoſophi ſuum mare: habent & hi ſuum oceanum, in quo pingves, ſquamisq; argenteis micantes generantur piſciculi, quos qui ſubtili reti involvere & extrahere noverit, piſcator peritiſsmus habendus eſt. *Vid. arcani* Hermeticæ *philoſophiæ operis §. 54.* neq; ignotum tibi eſſe arbitror, quod de luce commentatus ſum *in Chryſogonia mea, ſive Phaſide ſecundo*, & præprimis quod ex inſigni illo Theologo *Arndio*, quem Adeptum fuiſſe credunt multi, *ex quarto libro de vero Chriſtianiſmo* adduxi, *c. 1. de luce. Deniq; nec illud ab hoc loco alienum eſt, benigniſſimum Opificem lucem puram, pulcram & delectabilem omnibus rebus creatis indidiſſe: ut norunt phyſicarum ſeparationum periti, & qui omnium rerum puritatem ab impuritate & tenebris philoſophicè norunt ſeparare, & ad naturalem ſuam perfectionem & clarificationem corpora perducere. Quæ ipſa pulcerrimus typus & teſtis clarificationis corporum*

porum in illa die, quando omnis impuritas à corpore & animâ ſeparabitur. Hactenus *Arndius:* unde haud ſine conſideratione dicit *Daniel*, c. 12: *Erudientes ſplendebunt quaſi ſplendore expanſi; nempe in reſurrectione, & juſtificantes multos, ut ſtellæ; in ſempiterna ſecula.* Et Chriſtus: *Juſti effulgebunt, ut Sol, in regno patris ſui.* Ecce Tibi abſconditam in nobis lucem, & veram ſophorum materiam, quâ ſine nihil unquam ſolidi præſtiteris.

Sed quid hæc ad urinam, non nemo dicet, excrementum illud exoſum, putidum, proſcriptum extra regiam microcoſmi? Quid hæc cum illâ æternâ beatitudine conferri poterit? Sed, quæſo, parcite Viri cordati, etiam in ſterquilinio habitat interdum ſplendor, & ſordido ſæpe pallio involuta tegitur Sapientia. Homo microcoſmus eſt, & quod in cæteris regnis invenitur, id forte in homine ſolo concluſum invenietur univerſum. Admovete quæſo manus veſtras & quærite, & invenietis, quod in metallis eſt, & plantis & arboribus, imò in carne, ſangvine, cæterisq; corporis humani partibus, idem non deſiderari in urina. Eſt autem id lux quædam, ſive ſtella lumine ſuo coruſcans, quam aliqui appellant humidum radicale, lumen cœleſte, ſcintillam vitæ, ſalem armoniacum, qualem etiam habent herbæ, prout demonſtravi, quæ interdum è chao ſuo emergit & videtur ſingulari diſpoſitione naturæ vel artificis. Si diu in vitro detinueris urinam, illa prope fornacem colores varios induet & inſtar auri colorabitur in ſuperficie. Sic enim humidum radicale paulatim ad ſuperficiem egreditur (ob menſtrui ſalisq; extraverſi conditionem, ut habet *Phaſ. 2. p. 117.* Vir ſummus. Cui ſimile quando *Phaſ. primi pag. 33.* inquit: Et quis neſcit, in urina hominis eſſe virtutem mineralem? Siquidem arenulæ cum ea ſecretæ & aurea ſupernatans urinæ pingvedo, qualis etiam aquis innatare ſolet ſtantibus ſive quieſcentibus, menſe Junio & Julio, teſtimonium ſatis perhibent

„ vitriolicæ in homine naturæ) videmus aquas vitriolatas auri
„ colore tingi ſtantes & ſolari luce irradiatas. Et dicit *VValchius*,
„ materiam Philoſophorum inſtar flammæ aliquando accendi,
„ forte prævia putrefactione aliqua, & ubi â ſuo corpore li-
„ berum ſit humidum radicale. Quo pertinet illud *Baſilii:*
„ Wenn du den feurigen/ brennenden Wein-Geiſt kanſt gefangen
„ nehmen/ ſo haſt du ein Groſſes in der Chymiſchen Feld-Schlacht
„ erhalten. Fit enim ex ſale, oleo & phlegmate ſpiritus vini,
„ cui analoga eſt urina. Sed quò proripior, Tu jam examina,
„ quæ in Te habes aut inveniſti & conſpexiſti; & vide, unde
„ posſis oleoſi & vitalis tui luminis cauſam etiam in urina de-
„ ducere. *Hæc ille veri & ſapientiæ cultor, Amicus ſincerisſimus.*

Iterum cum rogarem, an pace ipſius liceret reſponſum hoc pro ſcholio ad obſervationem noſtram *Ephemeridibus Naturæ-Curioſis* adjicere, inter multa alia, quæ gemina illis *in Phaſide ſuo triplici ſophico* expoſitis nolo huc transſcribere, reſcripſit *15. Januar. 1676.* Rata verò Deus habeat vota tua, ver-
„ tatq; benevolentiam tuam, quam in me exeris, in petram
„ immobilem, ut alius alium levando tandem aſcendamus in
„ ſublimem petræ ſanctæ apicem, in eâq; neq; convulſi, neq;
„ commoti ſtemus, usq; ſuperatis omnis ignorantiæ anguſtiis,
„ hujusq; mundi faucibus exempti invicti inveniamur, nihil
„ ad æternam veritatem caligantes. Eſt enim ea lucis natura,
„ ut in apricum ſemper promoveri amet, &c. *Poſt quæ tandem.*
„ Magna res eſt veram cognoſcere lucem, quam ſi noveris,
„ humidum radicale noveris, noveris aurum verum & ſopho-
„ rum, noveris ignem & plura alia, quæ tanto celarunt alii
„ artificio. Separa & ad puritatem omnia cum *Paracelſo* ducito.
„ Sic tibi vita patet, nec non & mortis imago. Quæ de cætero
„ de meis communicandis ad me perſcribis, ea equidem non
„ invideo Naturæ Curioſis, ſi emolumentum exinde ad illos
„ aliquod ſperandum eſt. Minimus ſum veritatis occultæ in-

daga-

dagator, unde ad diſcendum potius, quam ad informandum „ factum me exiſtimo. Fac ad placitum tuum omnia. Veritas „ perſtabit ſemper. Huc usq; Chymicus celebratisſimus. At „ eheu non ſine omine, quippe qui poſtea ex febre tertiana ſyncopali evaſit quidem feliciter Dei auxiliis, ſed dyſenteria tandem lethali occubuit cum luctu aulæ Principalis, lacrumis familiæ fæcundisſimæ, dolore eruditorum plurimorum, ſed *anhelans ad mundi melioris felicitatem*, quibus verbis ipſe finit *Phaſidem ſuum ſecundum*, ſed relinquens filium Nobilisſimum *Dn. Ludovicum Chriſtianum Med. L. & Prof. Extraordinarium apud Gisſenſes*, quem ut non imparem jam videmus paternis virtutibus, ita vovemus, & ſperamus, ut quod credit in eruditisſima *Diſputatione inaugurali de Podagra Ann. 1675. Gisſæ* habita „ Aſæ & Phaleiæ luminibus brevi emerſuris, manifeſtum red- „ dat vera esſe, quæ audivit & vidit de Spiritu illo coagulato, „ qui eſt Sulphur, Lumen & Centrum rerum omnium. Quæ „ cum magnus ille Philoſophus invidere noluerit, nec ego invidebo.

OBSERVATIO XXIX.
D. SALOMONIS REISELII,
De
Calculo Humano Crystallino.

HOmo microcoſmus à plurimis oſtenſus eſt. Cœlum luce ſpirituum & ſplendore oculorum imitatur, meteora morbis monſtrat. Terræ vim animalem inſecta, animalcula varia & vermes produnt: vegetabilem prunus aliaq; in corpore fruticantia: mineralem aurum ipſum innatum & lapides, quibus pene obrutus eſt, ſi accumulentur ex variis partibus opaci, cum pretioſi ut in majori, ita & in minori mundo rariores ſint. Cryſtalli tamen transparentiam in

ſepto lucido, in puſtulis poſt ſudorem febris malignæ à me aliquoties obſervatis, ſplendorem in humoribus oculi, & formam ipſam artificialem in cryſtallino invenimus, at textura & durities iſtius gemmæ rarisſima eſt in homine. Excrevisſe tamen calculum cryſtallina duritie & ſplendore, tantaq; magnitudine, ut pro ſigillo potuisſet uſurpari, retulit mihi ipſa nobilisſima *Virgo de Dünheim* nephritidi valde obnoxia paulò ante obitum ſuum *Anno 1674.* ſeſeq; dedisſe pro memoria ſuo tum temporis Medico Excell. *Dno. D. Joh. VVilhelmo Mogio*, Anteceſſori in hac Urbe meo p. m. qui eo fini asſervavit. Verum ut Medicus ipſe longiore frui vita, calculus autem pro ſigno annuli aurei, (jure quo cum Senatoribus & Equitibus Medici ab Auguſto donati fuerunt) geſtari merebatur, ita utrumq; ex oculis noſtris ſublatum esſe dolemus.

OBSERVATIO XXX.
D. SALOMONIS REISELII,
De
PINGVEDINE LIQUATA ET IN GELATINAM SOLUTA.

ANni 1674. Martio ex grege ovium, quarum multæ perierant eodem fato, unam emaciatam, moribundam & non niſi caput adhuc vertentem ſecui, & reperi, quod non tantum per cerebrum, ſed & totum corpus, inprimis circa membranas, etiam circa cor ſevum & pingvedo non amplius tenacis aut firmæ conſiſtentiæ esſet, ſed fuſa in gelatinam quandam mollem & viſcidam pellucidam citriniq; coloris, quæ tangentibus manibus talem peperit nauſeam, ut & ego & alii abſtineremus interiora diligentiùs perquirere. Vidimus tamen, quod ipſe ſangvis quoq; minus floridi esſet coloris: Pulmones multis arenoſis & glutine plenis veſiculis juglandis magni-

magnitudine referti: Jecur vermibus, Egeln/ in venis plenum; & ad collum veſiculæ biliariæ globulus arenoſus. Ad quod ergo morbi genus iſte ſit reducendus, decernant Medici. Paſtor quidam nominavit die Hertz-Fåule/ minus idoneè. An ad colliquationem potius, quàm lymphæ corruptionem aut ſtagnationem trahendus, dubito. Pro illa tamen magis pugnat, quod in cervo, œſtro libidinis percito, urinam refrigeratam inſtar ſevi concreſcere notent venatores, idq; à colliquatione ardenti ſevi copioſi factum esſe credant: quale quid in ove mea à febrili & igneo calore conſumta fieri potuit: quemadmodum à colliquatione provenit, quod *Mœbius Fundam. Phyſiolog. c. 11.* ſub finem narrat: *Materiam humanæ pingvedini planè ſimilem ſingulis diebus per alvum excretam vidimus,* inquit, *à fœmina quadam contabeſcente.* An ergò & in homine gelatina talis, ut & aliis animantibus offendatur, obſervatione dignum erit, & ſi offendatur, quomodo medendum. Quibus non abſimiles ſunt ſequentes hiſtoriæ, quæ verò fortè ad lymphaticos morbos trahendæ. Memini enim me jam olim, priusquam lymphatica vaſa mihi cognita esſent, in canis ſummè extenuati ductu quodam ad ſpinam dorſi (quaſi thoracico chylifero aut lymphatico quodam) pennam anſerinam crasſo obſervâsſe gelatinam pellucidam, quaſi lympham concretam aut rorem congelatum. Nec minus in phthiſico viro juvene, vivo ſceleto Anno 1657. vidi urinam ita congelatam & pellucidam, ut inſtar ſpermatis ranarum aut viſcoſæ aquæ in matula mota fluctuaret ſaltim, neq; facile efflueret & elevata ligno filum duceret, quam etſi una cum impotentia à veneficio quodam profectam noviter nuptus credebat, facile tamen abſolvi potuit à maleficio, inventis poſt mortem genitalibus integris & benè formatis, neq; alio malitiæ ſigno obſervato, inprimis cum is cum ſicca diſpoſitus tusſi poſt pleuritidem malignam vires amitteret, phthiſin inveniret.

OBSER-

OBSERVATIO XXXI.
D. SALOMONIS REISELII,
A
PANCREATIS EXCRESCENTIA MARASMUS.

Puer illuſtri domo natus uberibus adhuc hærens circa initium anni 1676. hypochondria primùm tenſa, hinc epatis duritiem indolentem & conjecturâ ſcirrhoſam circumſcriptione ſua oſtendebat, quæ poſtea diffundebatur & excreſcebat in varios tumores indolentes per totum abdominis latus diſperſos, friabiles ſimul, ſtrepentes & arenuloſos, quorum unus infra umbilicum & duo ſub hepate, (quod jam amplius diſtingvi non potuit) prominebant, alius circa rectum muſculum ſiniſtrum mobilis erat, ita ut ab hypogaſtrio ad ſternum usq; posſet protrudi, ſtatim ſponte deſcenſurus, qui omnes tandem depresſiores, molliores & tenaciores facti per alvum videbantur ſecerni, ſalva etiam interim manente reſpiratione & appetitu ſatis bono, optima adeoq; ſpe, niſi eam conſumtio inſignis proſtravisſet.

Malo ergo huic ſtatim ungvento cardiaco, hinc emollientibus & diſcutientibus ungventis atq; cataplaſmatibus, itemq; emplaſtris ex ammoniaco atq; ſimilibus, datis ſimul aperientibus & laxantibus tam puero quam nutrici, repetitisq; clyſteribus, externis ergò & internis, inter quæ *Elixiris albi Helmontiani* guttulas aliquot quotidie ſumſit, aliis, quæ imperabantur, faſtiditis, primùm ſolus, hinc aliorum Medicorum conſilio advocato occurrere ſategi. Verùm his omnibus nihil aliud eſt profectum, niſi quod Auguſto menſe alvus plurima mucoſa ramentis cruentis mixta ſæpisſime de die excerneret, minuiq; ergo emolliti tumores crederentur, puer verô interim totus conſumtus $\frac{11}{21}$. dicti menſis obiret placidisſimê.

Diſtra-

Diſtractas igitur Medicorum Amicorumq; opiniones de caſu iſto ejusq; cauſis, cum alii glanduloſum in genere, alii in omento, alii in meſenterio, alii in ſubcutaneis hærentem partibus, alii epatis ſcirrhum ſtatuerent, non verior judex, quàm ipſe ſectionis culter potuit dirimere. Aperto itaq; abdomine in oculum, quantum ſectione ſuperficiaria ille feſtinans potuit judicare, proruit glanduloſa excreſcentia totam abdominis dextram partem implens, retrudens inteſtina ſiniſtrorſum & colum ipſum, quod ſub recto muſculo latens flatibusq; plenum prementi digito cesſit & retrocesſit, reprimensq; jecur ipſum immenſum quidem ſed cætera ſanum ad ſuperiora, unde poſtea ipſius figura & circumſcriptio evanuit. Ea vero excreſcentia tecta omento in ſiniſtra parte putrido muſculis abdominis & ſpinæ adnata initium cepisſe circa pancreas videbatur, quod ibi vaſa ampla esſent in varicoſos diſperſa ramos & abdomini adnatos, quales etiam circa ilia ſeu deſinentes ſeu incipientes erant, cavitates inſuper magnæ & ductus crasſis quaſi arteriarum tunicis veſtiti, glandulæ deniq; lacteæ & ſibi æquales. Ren autem dexter ſeu glandulis tectus, ſeu ſua ſpongioſa carne converſa dignoſci non poterat à glandulis aliis, quæ modo lacteæ, modo purulentæ, modo cruentæ, modo lividæ aut fuſcæ, quibus intermiſtæ veſiculæ plurimæ ſero impletæ; ſiniſtro interim rene magno & ſalvo ſuperſtite. Meſenterium ipſum millenis majoribus, medioxumis, minimis glandulis refertum fuit. Lien innoxius & vividi coloris, ut nec inde mali aliquid traxisſe pancreas ſit ſuſpicio, cum *Highmorus* teſtetur liene affecto vix aut nunquam integrum evaſisſe: plerumq; enim ſimul obſtrui vel ſcirrho affici. Pulmones non plane incolumes, ſed inflammati retrò & quodammodo rubri. Tumor vero ipſe exemtus magnitudine duorum pugnorum, ſeu quantum ambæ manus capiunt, ſeptem libræ

civilis quartas pependit. Meretur itaq; obſervari & in annales referri, quod ejusmodi non facilè occurrat, quemq; nemo Medicus in vivo puero potuisſet conjicere, & ſi cognovisſet, non facile juvare, neq; cauſam illius indicare, niſi fortasſe vel ab impresſione aliqua Dominæ Matris, quæ dum gereret embryonem hunc, in dextro latere dolorem acutum ſæpe ſentiens muſculos inibi ad nauſeam usq; ſpectantium prehendit & traxit; vel à nutricis quadratæ & obeſæ lacte crasſo obtigisſe quis ſibi perſvadeat.

Riverius equidem *Cent. 3. Obſ. 85.* tumorem pancreatis titulo notat, quemq; ex compresſione vehementi ſub ventriculo latentem ex doloris & ſedis anguſtiis conjecerit, eumq; chalybeatis & martiatis curatum laudat: ſed ipſe demum agnoſcit illam ſymptomatum, anhelitus puta difficilis & pectoris anguſtiæ, cauſam per contactum exploratam non plane ſibi ſatisfacere, neq; alio indicio demonſtratam ſcribit. *Riolanus* quoq; *Anthropogr. l. 2. c. 16. in Aug. Thuano* melancholico lienem exilem vix unicæ pondere, pancreas amplitudine ſua & pondere ipſum hepar æquans, totum ſcirrhoſum, multis globulis ſpecie ovi columbini refertum, refert. Et *Iſaac Cattierius Borello communicat. Obſ. 10.* hepar materia quadam indurata in pluribus locis refertum & pancreas inſolitæ atq; ſtupendæ magnitudinis citat, ex quo renis è ſuo loco naturali dimotio facta ſit cum gravisſimo dextri hypochondrii dolore & dyspnœa gravi. *Tulpius* item *l. 2. Obſ. 32.* cum ſteatomate meſenterii pendente libras octodecim, quod mentiebatur aquam intercutem, pancreas pingve & ponderoſum, jecinore interim, liene & ventriculo integris recitat. At cur in illuſtri hoc puero nulla alia præter conſumtionem gravia ſymptomata, nec dolor quidem, quantum inter ungendum vidimus, nec dyspnœa apparuerit, mirari licebit. Cæterum in pancreate plurimorum gravisſimorum malorum occaſionem esſe facillimam, viſceris conditio ſva-

det,

det, quandoquidem in glandulis multas occultorum morborum cauſas hærere quotidie experimur. Unde *Tulpius l. 4. Obſ. 33.* ubi pancreas ſuppuratum cum dormiendi neceſſitate & orthopnœa retulit, addit. Quamvis inter Medicos nec dum convenit de vero pancreatis uſu, certo tamen certius eſt, inibi locum invenire diutinos ac inextricabiles morbos, veluti tabem dorſalem, febres productas, ſcirrhos, abſceſſus, ſteatomata, vomitum, inquietudines, vigilias, aliosq; pernicioſiſſimos affectus, qui ex hoc fonte, quaſi ex Pandoræ pixide, non infrequenter emerſerunt ad perniciem humani generis. Et *Highmorus c. de Pancreate* exemplis notat pancreas affectum graviſſima ſymptomata, ceu lienem, proferre ſolere, ut vigilias contumaces, lipothymiam, convulſionem, epilepſiam & in fœminis paſſionem hyſtericam. Quibus addatur ſcirrhus pancreatis & glandularum (auctarum in magnitudine nucis juglandis) meſenterii lethalis cæteris viſceribus ſalvis, ipſoq; hepate ſaltim adaucto, *D. Segeri Ann. 4. Obſ. 87. Ephemer. German.* Item cancroſum ulcus pancreatis diaphragma perforantis duas ſpithamas longum & duarum manuum transverſarum latum *D. Hertodi Ann. 1. Obſ. 99. Reinerus* vero *Græfius in Tract. de Natura & uſu ſucci Pancreatici*, ſpecialius magis ſtatuit eſſe plurium morborum cauſam, ſua fluiditate diarrhœæ, ſpiſſitate ventris adſtricti, nimia dulcedine laxitatis ſangvinis, nimia aciditate ſpiſſitatis, itemq; omnium febrium cum pituita vel bile conjunctum.

OBSERVATIO XXXII.
D. GEORGII SEGERI,
De
ANATOME SOLEMNI FURIS QUINQUAGENARII.

UT Anatomen publicam, qualis in Regia hac Urbe ab eo tempore, quo beatus Anteceſſor meus, incomparabilis

bilis ille *Laurentius Eichſtadius*, vivere deſiit, viſa non fuit, celebrare potuerim, facinoroſi cujusdam, quinquaginta, ut ferebant, annos nati, & in turpi arte ſuâ, quam per aliquot luſtra ſatis feliciter exercuerat, conſeneſcentis ferè, cadaver ſtrangulatum Nobilisſimi atq; Conſultisſimi primariæ Civitatis Scabini benevolè concesſerunt, Auditorioq; Anatomico inferri permiſerunt. Hujus viſcera ad normam Summi Viri, mei ante viginti & plures annos in Anatomicis Præceptoris fidelisſimi, *Thomæ Bartholini*, die 3. Martii & ſequentibus, Anni præterlapſi 1676. produxi ac demonſtravi, egregiam mihi operam navantibus *Chriſtiano Rabandel*, Chirurgo ſolerti, ac in Anatomicis ſatis exercitato, & *Johanne Jacobo VVeberski*, Gedanenſi, Medicinæ Studioſo induſtrio, qui mihi hic ſecanti ſemper hactenus ac ubiq; adfuit. Spectatores habui viros Civitatis primarios, omniumq; ordinum honoratisſimos; inter quos ſequentes etiam fuerunt Medicinæ Doctores Excellentisſimi, nimirum, *Johannes Schmied*, Phyſicus primarius, *Joannes Specht*, *Iſrael Conrad*, *Chriſtophorus VVolfius*, *Chriſtophorus Gottwalt*, *Samuel Mœreſius*, *Romanus Serrurier*, *Sigismundus Schultzius*, *Petrus Pantelius*, *Ludovicus* von *Hammen*, & *Otto Dietericus Vögeding*. Cæterùm, notatu digna hæc inveniebantur.

1. Cadaver ita erat extenuatum, ut pingvedinis in abdomine & thorace paucisſima ſolùm apparerent veſtigia.

2. Muſculi recti tres habebant inſcriptiones perfectas, & quartam, quæ infima erat, imperfectam. Sub illis venæ quidem tam mammariæ, quàm epigaſtricæ ſatis evidenter apparuerunt, quæ tamen per anaſtomoſin non conjungebantur.

3. Muſculi pyramidales vix duos pollices transverſos longitudine æquabant. Eorum ſiniſter duplâ magnitudine ſuperabat dextrum.

4. Omentum putredinis ſignis hinc inde conſperſum univerſum ferè abdomen veſtiebat.

5. Ven-

5. Ventriculus juſto tenuior & capacior duas aquæ menſuras noſtrates, quas Stoffos vocant, commodê recepit. Is circa regionem lienis, ut & in fundo ſuo, atro colore tinctus apparebat.

6. Meſenterium livido infectum colore, præter uſitatas ſibi glandulas, nec pingvedinem, nec lacteas oſtendebat.

7. Inteſtina pleraq; rubicundum referebant colorem.

8. Coli valvula flatum per rectum intruſum non ita facilè & copiosè ad tenuia transmiſit inteſtina, quam ex tenuibus ad craſſa. Ea autem circulum potius carneum, & funiculi inſtar inteſtinum ambientem, repræſentabat.

9. Pancreatis, lurido colore inquinati, ductus, meatui biliario junctus, in duodenum inſerebatur.

10. Lien oblongus juſto majorem nactus erat quantitatem.

11. Hepar, quà gibbam partem, obſcurè rubebat, quà cavam, ad nigredinem magis vergebat, idq; inprimis in latere dextro, ubi in ipſa etiam ſubſtantia corruptionis haud exigua viſebantur indicia.

12. Veſicula fellis nigricantem & craſſum continebat liquorem, & præterea calculum, nucem avellanam mediocrem æquantem.

13. Renes nil monſtri alebant, niſi quod carunculæ dextri juſto flaccidiores erant atq; tumidiores.

14. Capſulæ atrabilariæ binæ, utrinq; ſcilicet una, eæq; quadratæ ferè & uncialis magnitudinis, manifeſtam intus cavitatem habebant, ſubflavo colore tinctam.

15. Solus teſticulus ſiniſter extra abdomen in ſcroto deprehendebatur, dexter verò in ingvine dextro, ad radicem penis, latitabat. Quem locum naturaliter ei contigisſe inde præſertim patet, quia vaſa ſpermatica præparantia dextri lateris longè

breviora erant, quàm ſiniſtri. Teſticuli autem diſſecti nullo ſcatebant humore.

16. Diaphragma, quod in ſuſpenſis ut plurimùm verſus thoracem ultra naturalem ſuum ſitum retrahitur, in hoc ſubjecto ad mediam usq; thoracis cavitatem aſcenderat, unde & hepar ſub coſtis ac ſterno reconditum latebat.

17. Pulmones magni totum occuparant thoracem. Eorum ſiniſtri lobi ſpumoſi & ſpongioſi coſtis, ipſiq; diaphragmati firmiter erant annati; dextri verò marmoris inſtar variegati, atq; parenchymate nigricante præditi, liberè movebantur.

18. Pericardium multa aquæ flaveſcentis copiâ abundabat.

19. Cor ſolito majus, paucoq; adipe conſperſum, ſangvinem grumoſum in utroq; asſervabat ventriculo.

20. Cerebrum juſto flaccidius ventriculos laterales habebat plane collapſos, qui non niſi inferna parte paucum continebat ſerum.

21. Glandula pinealis exigua, coloris cinerei & figuræ quadratæ, adeò erat mollis, ut etiam inter demonſtrandum difflueret.

22. Proceſſus Cerebelli vermiformis articulum auricularis digiti ferè æquabat.

23. Ventriculus ſpinalis medullæ nobilis ſatis conſpicuus ac excavatus, nitore ſuo atq; puritate Spectatoribus ſeſe commendabat.

24. Muſculorum lingvæ par illud, quod Baſioglosſum ſeu Ypſiloglosſum vocatur, manifeſtis inſcriptionibus in plures quaſi muſculos diſtinctum conſpiciebatur.

25. Muſculus cubiti Anconeus Bracchiæo externo adeò arctè erat connatus, ut ab eo ſine læſione non potuerit ſeparari.

26. Muſculi digitorum lumbricales, quatuor numero, non in tertium, ſed ſaltèm in primum inſerebantur internodium.

OBSER-

OBSERVATIO XXXIII.

D. GEORGII SEGERI,

De

Prolapſu Cartilaginis Mucronatæ in Embryone, et Motu Cartilaginis Thyroidis Inſolito.

SPectabilis J. G. Scabini Thorunienſis nov-oppidani Uxor prægnans, dum Anno 1671. die 31. Decembr. in pagum ſe confert, præcipitatur ab improvido auriga in terram profundiorem, ſcapulamq; luxat dextram. Hæc quidem præter luxatam ſcapulam, quam uxor carnificis vocata mox reſtitueerat, nullum ſenſit incommodum. Unde adveniente partus tempore, die nimirum 30. Aprilis Anni 1672. filiolum ſanum ac vegetum feliciter eſt enixa. Hunc autem cùm aliquanto poſt paulo accuratius contemplaretur, offendit in cartilagine enſiformi motum aliquem inſolitum, inprimis cùm ſingultiret infans, quod ſymptoma ei quàm maximè erat familiare. Quocirca cùm motus ille perſeveraret, mater ſollicita me die 23. Maji vocavit, infantemq; contemplandum obtulit. Deprehendi eandem cartilaginem ad latitudinem minimi digiti à ſterno remotam, quæ preſſa nullum infanti excitavit dolorem. Et quia tum quoq; ſingultiebat infans, (quod ei communiter repleto ventriculo contingere ſolebat) cartilago quoq; illa ad motum ventriculi movebatur. Svaſi tum impoſitionem adſtringentium, mater verò, ut ob teneriorem adhuc infantis conſtitutionem in aliud tempus cura differatur, obnixè petiit. Sed ecce intra anni ſpatium cartilago illa ſenſim ſenſimq; verſus ſternum retracta, ita cum iſto coaluit, ut jam nullum ſuperſit luxationis veſtigium.

Cæte-

Cæterum dum hæc ſcribo, inciderunt in memoriam, quæ Anno 1658. mihi, Lunæburgi commoranti, retulit Excellentisſimus *Dn. D. Henricus Schmied*, Phyſicus tum Lunæburgenſis, poſtea Sereniſſ. Ducis Megapolitani Archiater, magnus tum meus Amicus. Vocatum nimirum ſe aliquando fuisſe ad Nobilem quandam puellam, ut ſanitati ejus conſuleret. Hæc primùm quidem laboraverat tusſi ferina, unde dum tusſiendo caput nimium movit antrorſum, recedente poſtea tusſi, in alium non tamen adeo moleſtum incidit affectum. Movebatur ſcilicet ei ſemper, & quidem absq; omni moleſtia, ſurſum ac deorſum, cartilago thyroides ſeu ſcutiformis, pomum Adami vulgo dicta. Et hic quidem motus nullo modo impediebat, quo minus egregiè aut loqueretur aut caneret, tum enim non adeò erat frequens, longioresq; trahebat moras. Quia tamen aliquam deformitatem videbatur imprimere nitidiori collo, jusſit Vir Experientisſimus plumbeam conficere laminam, eamq; ita applicavit cartilagini luxatæ, ut ea à ſitu ſuo naturali dimoveri non potuerit. Atq; ſic ſuccedente tempore debitum ſuum locum amplius non deſeruit cartilago illa. Alias de Laryngis prolapſu videatur Celeberrimus *Thomas Bartholinus Hiſt. Anat. Rar. Cent. 5. hiſt. 29.*

OBSERVATIO XXXIV.
D. GEORGII SEGERI,
De
MENSIBUS ANTE CONSUETUM TEMPUS SINE DAMNO DEFICIENTIBUS.

M*Aria*, ſolers apud Thorunienſes obſtetrix, poſtquam quater pepererat, deſiit anno ætatis ſuæ 27. menſtrua pati, nec ab eo tempore amplius concepit. Nullum autem incommodum tum ſenſerat, niſi quod abdomen aliquan-

aliquantulum intumuerit, quod tamen & ipſum ſenſim detumuit. Menſes verò nullo remedio provocari potuerunt. Vivit adhuc Thorunii, eſtq; hic annus 1677. ætatis illius quinquageſimus quartus.

[*In literis d. 18. Martii 1677. Gedano Vratislav. ad Collectores Ephem.*]

OBSERVATIO XXXV.

D. GEORGII HIERONYMI VELSCHII, De PUNCTURA VESPÆ ET ARANEI PRÆSENTANEO REMEDIO EXTEMPORE CURATA.

PEreleganti microſcopio nos donavit Vir præclarisſimus *Daniel Depiene*, Gedanenſis, civisq; noſtras, optices peritia, & Catoptricorum artificiorum præſtantiâ celeberrimus, quo plurima jam experimenta incredibili jucunditate fecimus. Sed hoc quod jam dicemus, propemodum nobis pernicioſum fuit. Cum in Muſèo præterita æſtate, ſummis caloribus menſis ſextilis ad amicos literas ſcriberemus, per rimam patentiorem feneſtrarum, clathris ligneis proſpiciendi cauſa inciſam, veſpa grandior ſe inferens circum caput obvolitare cœpit, quam ſtatim pileolo percusſam ita proſtravimus, ut volare ulterius non posſet, ſed tamen viveret: mox autem arreptâ forficulâ, quæ ad manum erat, crura, alas, caput, & corpus ἔντομον, diſcidimus atq; partem unam poſt alteram acui microſcopicæ infixam diu contemplati ſumus. Non dicam quid in ſingulis admirari licuerit. Poſtrema pars venter erat, cui inerat aculeus, quem cum attingeremus, nullo periculi metu, hunc tamen digito indici dextræ manus ſtatim infixit integrum, ut ingenti dolore ſub cute cerni potuerit: & nos ſpectaculorum propemodum pœniteret. Tumor ſtatim & inflammatio: quæ cesſatura non erat, antequam acu-

I leus

leus extractus eſſet: & quo diutius lateret, eò majores dolores effecturus. Dum itaq; celerrimum remedium diſpicimus, in pergulam Muséo proximam nos contulimus, qua plantas nonnullas in teſtis diſpoſitas, ceu horto penſili, alebamus, atq; mox primo intuitu Salviam nobilem recordati, cui venena pariter pellendi & extrahendi facultatem haut vanam adſcribunt, decerptum folium recentiſſimum, unum alterumq; admovimus. Dictum factum! Uno quaſi momento tumor omnis & inflammatio reſedit, ſedato dolore, aculeus diſparuit. Non poſſumus adfirmare nos illum exeuntem vidiſſe, hoc tamen verè & candidè adſerimus ab applicitis illis foliis non amplius inhæſiſſe. Idem paulo poſt nobis accidit cum aranei ictu ſeu morſu, qui huic ipſi frutici inſederat. Nam è veſtigio folium applicatum profuit, eò majori admiratione, quod fruticis ſuperiori parti araneus antea inſediſſet.

OBSERVATIO XXXVI.
D. GEORGII HIERONYMI VELSCHII, De VIGILIIS CUM EJULATU DIUTURNIS.

PRope ædes noſtras habitabat cIↄ Iↄc LIIX. & ſeq. *Viri Rev. H. C.* Vidua, quæ filiolum habebat omnia ſani hominis & ingenioſi pueri munia exſequentem. Singulis tamen noctibus vigiliis moleſtiſſimis adfligebatur, & ejulatu totam viciniam complebat. Cubiculi illius paries Muséo noſtro proximus erat. Cum verò ſoleremus conticinio lucubrare, primò valdè conterriti, quid rei eſſet, inquiri juſſimus. Nec enim fletus tantum, ſed ejulatus aut ululatus erat, per ipſum ſilentium noctis meditantibus ac inſciis formidoloſus. Poſtquam puerum iſtum ſic querulari intelleximus, per vicinas & amicas mulieres cum matre quàm blandiſſimè expoſtulavimus,

mus, caveret, ne filiolo ſuo aliquid majoris mali accerſeret, ſi ei in tempore proſpici omiſisſet. At illa ſe plurimùm excuſans, uti ſe primarii Poliatri opera jam integro ferè anno ſine ulla ope adſeveravit, nec aliam ſuſpicionem, quàm veneficii alicujus ſuperesſe, quæ naturalibus nec dum remediis cedat. Displicuit iſta excuſatio, ideoq; denuò monuimus, videret ſaltem, annon ſedibus quandoq; lumbricos aut vermes alios excerneret. Sæpe enim ab iſtis ejusmodi inquietudines & inſomnia horribilia excitari. Sed illa denuò negavit, fidem & prudentiam Medici ſui celebrans, qui ſæpius exhibitis purgantibus etiam alvi exonerationes perluſtrarit, vermes nullos conſpexerit. Ita nocturni ejulatus quotidiè procedebant, nobisq; audiendi erant, tempore quo nihil omnino audire lubuisſet. Adſumſit autem quotidie ante lecti ingresſum ſerapium de papavere, cujus ingentem copiam tanto tempore fruſtra abſumpſit. Interea accidit, ut relictis his ædibus conducticiis, in noſtras, quibus nunc habitamus, concederemus. Exacto ſemeſtri ipſa ad nos accesſit, & adducto filiolo ſuo rogavit, ut ſi quid ipſi percurando commodum viſum fuerit, præſcriberemus. Nec mora, quamvis jam frequenter purgatus esſet, luſtratione tamen repetita, & deinde vermes necantibus uſi ſumus, admixtis cardiacis & antepilepticis: quibus inſignem lumbricorum copiam ejecit, & deinde ejulare deſiit.

OBSERVATIO XXXVII.

D. GEORGII HIERONYMI VELSCHII,

De

Diarrhoea Pertinaci Curata.

Superiori æſtate, plurimæ nobis diarrhœæ occurrerunt, ſed adeo pertinaces, ut pleraq; remedia eluſerint. Plerisq; tamen profuit tandem *Helmontii* remedium, ex ovis

ad duritiem coctis cum aceto roſaceo exhibitum: præſentaneum & facile, & nemini injucundum, laude dignisſimum. Nemini non opem certam attulit. V. F. M. tamen *philonio* curata eſt *cum bolo armen. & conſ. papav. err. mixt.* cui ova illa oxyrrhodina non contulerunt.

OBSERVATIO XXXVIII.
D. GEORGII HIERONYMI VELSCHII,
De
TUMORE LIENIS FEBRICULOSO.

FEbricula correptus N. J. de moleſto ponderis ſenſu ſiniſtro latere querebatur. Contactis hypochondriis tumorem lienis ſat magnum explorare licuit. Hic quia nondum induruerat: applicito *malagmate ex Nicotiana*, ad *Helmontii* mentem, brevi tempore percuratus eſt. Sed jam ante illum Indi, *Nicotius*, *Everartus*, cæteriq; vim iſtam plantæ agnovere, literisq; tradidere.

OBSERVATIO XXXIX.
D. GEORGII HIERONYMI VELSCHII,
De
ΣΠΑΤΙΛΗ ORVIETANO EX VINO CURATA.

Σπατίλην vocat *Hippocrates*, diverſam à fluxu alvi lubricitatem, quæ cauſam habet retentricis imbecillitatem. Hæc autem non tàm fibrarum retinentium adfectus eſt, quàm ventriculi humoribus oppleti, & fermentatione læſâ, ob ipſius fermenti naturalis defectum aliquem. Hic autem præcipuus eſt, ſi potu quaſi obtundatur. Quod A. V. accidit, ſub canicula æſtuoſisſimo tempore. Etſi enim moderatisſime viveret, cum

tamen vinum non biberet, ſed zythum tantum tenuius ob ſitim ſolito plus ingurgitaret, & perpetuo ad libros deſideret, ventriculi tonum haut parum læſit. Adſumpto Orvietano ex vino generoſo, concoctio reſtituta in integrum, alvus ut ante, ſibi conſtitit, nihil querelâ dignum remanſit.

OBSERVATIO XL.
D. GEORGII HIERONYMI VELSCHII,
De
Hyderode Adfectu In Latitudine Sanitatis.

V. Z. Virgo triginta annorum circiter, ſtaturæ mediocris, habitu craſſo, & lacertoſo, adfectum cachexiæ ſimilem contraxit, victus præcipue culpa, quo craſſo & mali ſucci uſa erat, robore tamen quâm maxime valebat, labores domeſticos omnes ipſa perficiebat, quantos vix aliquando viri perferre potuiſſent. Singulare hoc oſtendit, ſi quandoq; aut forficulâ aut acu digitum læſiſſet, ne unam quidem guttam ſangvinis prodire ſolitam, ſed puriſſimum laticem, qualis ſudoris etiam aut lacrumarum eſt. Non potuimus ullis rationibus eam perſvadere, ut venæ ſectionem leviſſimam admitteret, qua opus ajebamus, ut ſaltem qualis in corpore ſangvis contineretur, cognoſci poſſet. Hoc enim ſibi certô conſtare adſerebat, ad primam ſangvinis miſſionem hydropem ſucceſſurum. Conſultis igitur hydragogis, aperientibus & diaphoreticis, menſtrua, quæ diu ſubſtiterant, prodierunt, nullius ferê coloris: ipſa plures ulterius annos vixit, nullo graviori incommodo. Deinde Viro peregregio nupſit, cujus cohabitatione ſive converſatione etſi ſterili, hucusq; præſervata eſt, ne in hydropem incideret. Hoc licet alicui mirum videri queat: ſi quis tamen cogitet etiam dyſenteriam λαγνείᾳ curari apud *Hippocratem*, de qua *Marſilius Cagnatus in Lib. I. variar. Obſ.* pereru-

ditè verba fecit, nec iſtud valdê mirari poterit, maritali amplexu leucophlegmatiam inhibitam. Haut levis enim vis maſculi caloris in comparem transfuſi, ſive humoris genitalis, in quo τὸ ἔμφυτον θερμὸν præcipuê continetur, à toto quaſi corpore reciſum, & toto iterum corpore atmoſphæricê ſe diffundens.

OBSERVATIO XLI.
D. GEORGII HIERONYMI VELSCHII, De LUMBRICO LATO V. ULNARUM LONGITUDINE.

VEtula honeſta & paupercula, quæ ſæpius in civium ædibus, etiam noſtris, domeſticos labores obire ſolebat, conqueſta eſt, ſe multo jam tempore vermiculos plures ſede dejicere, cum torminibus & pruritu partium permoleſto. Purgandum corpus monuimus, & pulverem dedimus ex *mechöacanna utrâq; cum Crem. ♀i & pulv. Caryophyllorum:* quo ſumto pituitam plurimam cum ingenti vermium minorum copia excrevit, & præterea lumbricum pollicis ferê latitudine, quinque ulnas longitudine ſuperantem, album omnino & viventem, quem aquæ puræ in vitro impoſitum ad nos detulit. Ne quid reſtaret, exhibiti pulveres anthelmintici, quibus nihil deinceps ultra mali apparuit.

OBSERVATIO XLII.
D. GEORGII HIERONYMI VELSCHII, De VOMITURITIONE LETHALI.

H.H. Craſſiori victui, & quandoq; potationi cum ſodalibus adſvetus cIↃ IↃc LXXII, æſtate jam exſpirante, in moleſtam ventriculi adfectionem incidit, qua perpetuô vomi-

vomituriens, nihil tamen ejiciens, nauſeâ & inappetentiâ exiguo temporis ſpatio propemodum contabeſcere viſus eſt. Medicus primùm non aliud, quam ſtomachica roborantia, & quæ concoctionem ciborum juvarent, appetentiam excitantibus permixta, exhibebat. Cum nihil profuisſent, juvandos Naturæ conatus arbitratus ♀. *emeticum Minſichti* propinavit, à quo malignus vomitus & parcisſimus, viresq; ita dejectæ, ut paulo poſt obierit. Nimirum præpoſtera hæc curandi ratio, ventriculum nauſeantem, & vitioſis ſuccis refectum roborare velle, antequam iſti vomitu ejecti fuerint: tum vero emetica demum exhibere, cùm vomendi tempus jam præterierit, & ſaburra ventriculo quaſi impacta ad inteſtina etiam ſe extenderit, vicinumq; pancreas, & lactes, cum ductibus ſuis & hepatis meatibus ac colatoriis inſederit. Nos ♀*o* iſti *emetico* benigniora alia meritò præferre ſolemus, nec unquam felicem eventum ab illo obſervavimus, quod candidè conteſtamur. Nam & Conjux D. S. cum arthritide laborasſet, & convulſionis metus ſupervenisſet, accepto ♀*o iſto Minſichti* largisſimè quidem vomuit, ſed mox ab illo paralyſi artuum ſuperiorum adfecta eſt, quæ nec thermarum uſu cesſit.

OBSERVATIO XLIII.
D. GEORGII HIERONYMI VELSCHII, De Hernia Intestinali.

Filiolus nondum bimulus prænobilis Viri S. P. hernioſus, prolapſis per peritonæi procesſus inteſtinis, catarrhis & tusſi moleſtisſima gravisſimè adfectus, ægrotavit hieme jam adulta. Adhibita in rem plurima. Concusſio corporis à tusſi, inteſtina, quamvis repoſita & faſciis ac ſubligaculis conſtricta, ſede tamen ſuâ contineri non eſt pasſa. Accesſit

Litho-

Lithotomi uxor, adducta à peregrino Chemiatro, quæ ventri Cobitides barbatulas impoſuit, ut neſcio quâ virtute inteſtina prolapſa retraherentur, & loco ſuo firmarentur. Sed puer tamen obiit. Unde contentiones haut leves mixtis conviciis inter Medicos utrinq;, parum decoræ: magnetiſmum hìnc illo defendente, illìnc autem altero mortis cauſam interminante, quæ quomodo tandem transactæ fuerint, non ſatis conſtat. Nos interim interrogati reſpondimus, curationem ejusmodi merè empiricam, non quidem lethiferam, ſed tamen ineptam, & inutilem fuisſe, ipſo eventu atteſtante, dum nugis ejusmodi certiora præſidia intermitti oportebat.

OBSERVATIO XLIV.
D. GEORGII HIERONYMI VELSCHII, De FUNGILLIS CITRIORRHIZÆ.

FUngillum Mithridaticum omnium minimum olim deſcripſimus ad beatum *Sachſium* noſtrum, & Viri Excellentisſimi *Vollgnadius & Jæniſius Ephemer. Germanicarum Anno* III. *Obſ. 34.* inſeruerunt. Nec piget fecisſe. Superiori tamen Anno 1675. æſtate jam adultâ, quæ humidisſima erat, poſt pluvias totâ nocte durantes, mane ſub arbuſculâ citriâ nondum ſat magnâ, in terræ ſuperficie circa radices ingenti numero protuberantia vidimus rotunda quædam tubercula, magnitudine ſemen Coriandri minuſculum referentia, quæ collecta ſervamus plane fungoſa, unde & *fungillos Citriorrhizæ* appellavimus. Erant autem longè minores quam fungillus mithridaticus, ut jure minimi, & ille minor, vocari posſint. Cum enim unâ nocte excreverint, non poterant pro aliis quibuscunq; quam fungillis haberi: His etiam nullus ſenſibilis ſapor, nullus odor ſive recentibus, ſive ſiccatis; color autem recentibus ex albo ſubrubens.

OBSER-

OBSERVATIO XLV.
D. GEORGII HIERONYMI VELSCHII,
De
TITHYMALOCAMPIS CLAGENFURTENSIBUS.

PRæterito anno auriga *Clagenfurto* attulit nobis erucas ingentes, totas piloſas, & coloribus mirè pictas, præcipue tamen ruberrimis punctis inſignes, quas ajebat in tithymalis colligi, contactu ardorem intolerabilem & pruritum excitantes: Pharmacopœum Francofurtenſem id ſibi impoſuisſe, ut collectas ad ſe deferret in copia, quibus, neſcio cui fini, uteretur. Mihi videbantur ſimillimæ illis *Jonſtoni in opere inſectorum.* Κάμπαια, erucæ ſunt, unde quia in tithymalis reperiantur, tithymalocampas appellavimus. Videntur autem ab illis ipſis tithymalis & lacteo ſucco, vim illam corrodendi traxisſe. Rem non ingratam Naturæ-Curioſis præſtiterit, ſi quis illorum locorum eruditus rem omnem accuratius deſcripſerit, & in vires penitius inquiſiverit. Cui enim rei Pharmacopœus ille Francofurtenſis uſurpare ſoleat, dicere non poterat, & videtur non ſine cauſa idiotam celâsſe. Quid ſi arcanum ſingulare quæſiverit ad arthriticos dolores & paralyſin? Quod valdè veroſimile putamus.

[*In literis menſe Februar.* 1677. *Auguſtâ Vratislaviam ad Collectores Ephem.*]

OBSERVATIO XLVI.
D. GEORGII ABRAHAMI MERCKLINI,
De
GRAVIDÆ IMAGINATIONE FOETUI NOXIA.

HOneſta mulier XXXVI. circiter annorum, aliquot liberorum mater, opificis uxor, anno M DC LXXV.

K pridiè

pridiè Calend. Maji, monſtrum partu enititur; maſculus ne id ſit an vero fœmella, dubitatur inter mulierculas. Hinc me judicem accerſunt: inſpicio accuratius, fœmellamq; deprehendo. Conſiſtebat autem ejus deformitas in his potisſimum: abdomen totum, pellucidum adeò, ut inteſtinorum, ſuo ordine convolutorum, gyri oculis cerni posſent, ingentis herniæ inſtar prominebat: anus pudendaq; præpoſterum atq; inverſum ſitum habebant; ani enim orificium ſupra muliebria extabat, idq; ad latus dextrum nonnihil declinans atq; prominulum, (unde ortum de ſexu dubium,) conſpiciebatur, per quod excrementa alvi liquida, colore ſubviridia, cum obſcurâ flavedine, ſubinde prodibant. In dextro pede duo omnino digiti deſiderabantur, & pollex reflexus metacarpio turpiter incumbebat, ut reliqui duo extenſi digiti gammari ſive cancri fluviatilis chelæ non male comparari potuisſent.

Cum miſella hæc proles poſt XI. diem vivere deſiisſet, ejus corpuſculum cultro aperuimus cum *Nobilisſ. Dn. D. Chriſtoph. Frider. Grubero*, Collegâ noſtro amicisſimo, quem teſtis oculati loco hìc nomino; extisq; probe luſtratis, invenimus viſcera ſatis ſalva, præterquam quod ren uterq; ſubluridus ſerosâ colluvie ſcateret, imprimis ſiniſter, ſub quo abſcesſus, purulentâ ſpurcitie repletus, in meſenterio latebat. Similis penè materia ejusdem lateris os ilei quoq; arrodendo excavabat, & omentum nimia protuberantia inteſtinorum dilaceraverat, quæ flatibus diſtentisſima multum limpidi ſeri continebant.

Hunc naturæ errorem à matris imaginatione originem traxisſe mulierculæ tum adſtantes, uno ore mihi asſeverabant. Cum enim mater medio circiter geſtationis tempore Agyrtæ cujusdam extenſam tabulam, quâ magnæ molis Herniæ, cancriq; gammaris ſimillimi depicti, pro more iſtorum hominum, oſtentabantur, intentiore animo contemplata esſet, ſenſit nonnullam ſui conſternationem, cum continuo dehinc ob-

ver-

verſante metu, ne quod deformius ſtigma inde devolvatur in innocentem fœtum.

Hujusmodi exempla, quæ mirandam prorſus imaginationis vim, quâ prægnantes toties fœtibus ſuis iniquam labem affricant, abunde teſtantur, plurima plurimi hinc inde annotarunt Autores; quorum præcipuos ab Academicis Naturæ-Curioſis in *Ephemerid. Medico-Phyſic. Ann.* I. *Obſ. 135. & Ann.* II. *Obſ. 61.* allegatos videas: quibus, ſi lubet adjungas *Marcell. Donat. hiſt. med. admirab. L. 2. c. 1. Joh. Schenckium. Obſ. Lib. 4. Fabric. Hildan. Cent.* III. *Obſ. 56. ſeqq. & Cent.* V. *Obſ. 3. itemq; Cent.* VI. *Obſ. 75. & 76. Thom. Fienum de Viribus imaginationis tractatu ſingulari. Camerar. Syllog. memorab. Cent.* II. *part. 32. 33. Greg. Horſtium Oper. Med. Tom.* II. *Lib. 4. Obſ. 53. & Lib. 10. Obſ. 6. nec non Lib. 11. Obſ. 3. Thom. Barthol. Act. Haffnienſ. Volum.* II. *part. 1. Obſ. 1. & 82.* &c.

OBSERVATIO XLVII.
D. GEORGII ABRAHAMI MERCKLINI,
De
Infantis Recens-Nati Dente Præcociter Erumpente.

NAta mihi filiola eſt ſuperioris anni *primo Calend. Septembr.* huic tertio ſtatim à nativitate die denticulus inciſorius ex inferioris maxillæ alveolo prodire cæpit, qui duarum ſeptimanarum ſpatio incrementum paullatim quidem ſumſit, ſed ſponte ſuâ mox iterum excidit, ubi intus totum excavatum, re tamen verâ osſeum eleganterq; formatum deprehendimus. Quod autem vulgô (an æquê verè, nolo hìc disquirere,) dici ſolet, illis infantulis qui nimiùm præcoci anticipatione dentiunt, raró maturam ætatem contingere; id Ego quoq; cum mœrore in hâc meâ filiolâ expertus ſum. Vix enim trimeſtre vitæ ſpatium ſupergreſſa, epilepſiâ, illâ plerisq;

infantibus novercali labe, obiit, placideq; in Domino obdormivit.

Similes obſervationes vide ſis apud *Schenckium Obſ. med. Lib.* I. *Obſ. 407. Hildanum, Oper. p. m. 1010. Rhodium Cent.* I. *Obſ. 92.* Et *Plinius Hiſt. nat. Lib.* VII. *c. 16.* ſcribit *M. Curium* non aliam ob rationem *dentati* nomen accepiſſe, quàm quod dentibus armatus ex uteri clauſtro in lucem prodierit: quod ipſum etiam de *Cn. Papyrio Carbone* & *Romanâ illâ Valeriâ* Idem ibidem refert.

OBSERVATIO XLVIII.
D. GEORGII ABRAHAMI MERCKLINI,
De
CEPHALALGIA A LAPILLO INTRA DURAM PIAMQUE MATREM IN CAPITE REPERTO.

PAſtor quidam, ætatis conſiſtentis, eximius hypochondriacus, atrociſſimos capitis dolores, & quidem continuò, inq; ſiniſtro potiſſimum latere, ultra biennium patiebatur, quos plerorumq; noſtratium medicorum cura vel ſaltim quadantenus placare fruſtra planeq; irrito conatu tentavit. Aperto poſt obitum ejus capite, inter duram piamq; matrem è regione ſiniſtri cerebri ventriculi, *duriſſimum ſcrupulum* grani hordeacei magnitudine reperimus, ipſamq; calvariam ibidem loci enormiter extenuatam deprehendimus, hincq; cauſſam hujus immanis capitis doloris non vanâ, uti puto, ſuſpicione deduximus. Rarum exemplum, & cui ſimile non ubivis obvium. Præter enim hoc noſtrum, apud unicum *Panarolum*, quantum ego quidem ſcio, ſimile quid legere eſt; triplicem ſcilicet ſpinam lapideam intra duram piamq; matrem repertam annotavit *Pent. V. Obſ. 14.* ut ut cætera *Marcell. Donatus Hiſt. med. admirab. Lib. IV.* & *Gregor. Horſtius oper. med. tom. II. Lib. 4. Obſ. 47.* aliiq; recentiores in ſingulis partibus humani

mani corporis lapides gigni poſſe, ratione & experientiâ probarint.

OBSERVATIO XLIX.

D. GEORGII ABRAHAMI MERCKLINI, De Ossibus Per Uterum Excretis.

AD illa exempla, quæ *Sennert. Prax. Lib. IV. part. 2. Sect. 6. c. 7.* itemq; *Ronsſæus epiſt. med. I. p. 11. & Diom. Cornarius hiſt. admirab. med. 6. & 8.* nec non *Tulpius Obſerv. Lib. IV. c. 39.* & *Thom. Bartholinus hiſt. med. 14. Cent. IV.* aliiq; alibi vel cumulatim ex aliis collegerunt, vel ipſi annotarunt, ſcriptisq; ſuis inſeruerunt, de osſiculis variæ figuræ & diverſarum qualitatum per uterum excretis, hoc meum quoq; ſimilitudinis ratione non male congruit, quod obſervare contigit, in honeſtâ honeſti cujusdam civis relictâ apud nos viduâ XXXIV. circiter annorum, trium liberorum matre. Hæc per uterum jam annuo ferè ſpatio varia osſicula excernit, nunc unà cum menſium ſecesſu, rectisſimè ſe habentium; nunc ſolitariè; muco tamen quodam pleraq; obducta, omnia certè ſpurcisſimum odorem de ſe ſpirantia, naresq; gravisſimè ferientia, fuſca, & nonnihil carioſa. Plurima eorum humana osſa figurâ ſuâ pulcherrimè æmulantur, ut osſa cubiti, femoris, tibiæ; magnitudine autem digiti articulum nullum excedit. Quotquot fœmina collegit, hiſce meis oculis vidi, manuq; palpavi; unde vero tanta eorum copia ſuppetat, ipſa ſe neſcire fatetur, nec egomet conjecturâ asſequi posſum, niſi ſuſpicari liceat, provenire ea à conceptu in utero retento & putrefacto, cujus duriuſcula osſicula, carneâ maſsâ in mucorem putrilaginoſum jam antea liquatâ, nunc demum ceu magis conſpicua, intervallatâ excluſione ex utero prorumpant.

OBSERVATIO L.
D. GEORGII ABRAHAMI MERCKLINI,
De
Ingentibus Calculis In Mesenterio Et Pancreate Repertis.

HOneſta fœmina, annorum XXXVI. mercatoris cujusdam in hâc urbe Norimbergâ uxor, trium filiarum mater, temperamenti bilioſi, ſæpius, & à prima ſtatim ætate, gravisſimis calculi affligitur doloribus, & duodecim circiter abhinc annis, adhuc innupta, poſt diuturnos, quos tum perpesſa eſt cruciatus, primum calculum, magnitudine nucem juglandem ſuperantem, eumq; aſperum ac inæqualem per alvum ejecit, quem dein ſæpius paullò minores, eâdem viâ ſecuti ſunt, imô per veſicam quoq; unâ cum ſabulo copioſo ſimiles plures lapillos ſuccesſivè excrevit. Tandem cum à ſex ſeptimanis gravisſimê ægrotasſet, (ſcilicet de atrocisſimo lumbum dextrum, totumq; crus occupante, adeoq; potentiam incedendi adimente, dolore conqueſta, urinam plerumq; albam & turbidam, rarius tinctam reddidit, vomitibus ferè quotidianis, nec non nauſeâ & vigiliis penè continuis enormiter vexata, ſine tamen ullâ caloris, quin potius cum frigoris frequentiori in partibus extremis perceptione: adhæc dolores capitis immanes ſuſtinuit, crebrisq; ſudoribus, iisq; frigidis tantùm non diffluxit, mammis interea nihiloſecius nutrimentum octimeſtri ſaniq; habitûs filiolæ ſufficiens ſuppeditantibus) ſuccumbere ipſam X. Cal. Mart. M. DC. LXXVI. oportuit. Cadaver, quod vivens ſæpe petierat, à duobus Collegii noſtri Medicis unoq; chirurgo, præſentibus cognatis & amicis pluribus, apertum eſt, in quo ventriculus quidem & inteſtina inculpata apparuere; ſub his autem, quod mireris, in meſenterio

rio circa illum ipſum locum, quo immani dolore mulier vivens torquebatur, ingens abſcesſus delituit, copioſo pure craſſæ tunicæ incluſo, tribusq; calculis, magnitudine amygdalas ſuperantibus, ac aſperis, ſimilibusq; multis aliis, ſed minoribus, oppletus. Omnium vero maximus calculus itidem aſper ac inæqualis alterâ parte atro colore tinctus, in pancreate disſecto repertus eſt. Hepar in ſuperficie extremâ lividum, pulmonesq; circa extremos lobos purulenti erant, & veſicula fellea bile naturali deſtituebatur. Cor vero, lien, uterus, renes, & veſica urinaria ſanis ſimilia deprehendebantur.

[*In literis Menſe Februario 1677. Norimbergâ Svinfurtum ad Magnificum Dn. Præſidem; & hinc Vratislaviam ad Collectores Ephem.*]

OBSERVATIO LI.
D. CHRISTIANI FRANCISCI PAULINI,
De
SINGULARI MONSTRO MARINO.

RElulit mihi olim in Borea adhuc viventi, idq; ſuâ manu & antiquâ fide, quâ eximiè pollet, hâc ipsâ ſeptimanâ confirmavit fuſius *Cl. D. Ambroſius Rhodius*, Med. & Mathemat. *Chriſtianiæ* in Nor*w*agiâ quondam Regius, amicus ſincerus, nunc *Kembergæ*, in patriâ ſuâ, degens; in viciniâ caſtelli *VVardehuß* (ubi laudatisſimus ſenex, αὐτόπτης καὶ ἀξιόπιστος, integrum conſumſit luſtrum,) monſtrum quoddam marinum, Laplandiæ & Finnmarchiæ incolis, ſub elevatione poli 71. gr. 30. *Seekrabbe* dictum, conſpiciendum ſe dare, mari à ventorum impetu planè tranquillo. Formâ refert *cancrum Heracleoticum* vel *Majam*, ut *Geſnerus* in ſuâ animalium hiſtoriâ hoc cancri genus depingit. At magnitudo ipſius planè eſt monſtroſa, & ſuo ambitu tantum comprehendit ſpatium, ut turma militum in ipſius dorſi plano commodè posſit exerceri. Quando mare

in

in malaciam ſe componit, à ventis eſt tranquillum, & ſol tempore æſtivali ſuis radiis abblanditur, ſolet hoc monſtrum paulatim & pedetentim, motu ferè inſenſibili, ex aquis altius atq; altius emergere, & ſuum dorſum radiorum ſolarium calori exponere. In quâ ſtatione manet, immotum, donec ſol altiores cœli partes deſerat, & horizonti fiat propior, calorq; ipſius remisſior. Tunc, ut motu lento & vix ſenſibili ex profundo maris emerſit, ita ſe lentè quoq; iterum demittit, & ſub undis occultat in profundo. Videntibus videtur esſe ſcopulus muſco obſitus, quamdiu in planitie maris excubat. At ſi quis ſcaphis propius accesſerit, brachia expandit, & ſuis hamis ac uncis, quodcunq; apprehendit, ad ſe pertrahit. Incolæ putant, quod homines tali modo captos devoret. Quando mare à ventis turbatur, latet in profundo nemini nocivum. Addidit alius in ſeptentrione amicus, fide plenus, in dorſo hujus monſtri *arbores ſatis proceras* aliquando fuisſe viſas. Sic *Borellus C. 1. Obſ. 10.* narrat, balænas dorſo viridi & herbis decorato esſe adeo, ut quandoq; anchoras in eas navigantes projecerint, inq; dorſis earum tabernacula poſuerint, ignemq; accenderint, (mole enim ſuâ inſulam ſatis magnam æmulabantur,) ſed, calore tandem penetrante, recesſisſe, attonitos illos relinquentes. Ita omnino eſt ut cum ſtupore dixit *Syracid. c. XLIII. v. 27.*

OBSERVATIO LII.
D. CHRISTIANI FRANCISCI PAULINI,
De
VERMIBUS IN SALE.

SCripſit mihi nuper *Excell. Dn. D. Salomon Reiſelius*, liberæ & Imperialis Reip. Wormatienſis Phyſ.Ord., inclyti noſtri Collegii Curioſi AMPHION, amicus optimus, ſuperiori anno,

anno, in aulâ epiſcopali Wormatienſi magnam *vermium* copiam in *Salis* Colonienſis culinarii ſaccis plenis fuiſſe inventam. Sed ego vim, nequitiam & ſelecta *vermium* myſteria ſtupendis curioſisſimis hiſtoriis prolixius interpretabor in *Cynographia* meâ *curioſâ.*

[*In literis d. 29. Aprilis 1677. Corbeiâ Vratislaviam ad Collect. Ephem.*]

OBSERVATIO LIII.

D. LUCÆ SCHROECKII, LUC. Fil. De ANIMALI MOSCHIFERO.

Cum in *Ephemeridum Curioſar. German. Anni VI. Obſervatione 128.* Exuviarum Capreæ moſchiferæ elegantem delineationem exhibuerit *Nobil. Dn. D. Georgius Segerus*, in fine autem de *Calceolarii* figura, dictum animal exprimente, quam ex *Ejus Muſéi Veronenſis pag. 666.* Diſputationi meæ, Anno M. DC. LXVII. Jenæ, exercitii Academici cauſa, ventilatæ inſerui, vitioſam in pluribus eam esſe, monuerit, ſi taliter in ipſo *Calceolarii Muſéo* ſe habeat, non ingratam me rem facturum ſperavi, ſi ſcrupulum hunc publicè propoſitum, in continuatione *laudatarum Ephemeridum*, Lectori, cui librum iſtum Calceolarianum videre haud contigit, itidem publicè eximerem, & quæ plura de Animali hoc peregrino hactenus obſervaverim, unà communicarem.

Vitioſam in pluribus esſe *Calceolarii* figuram, negari minime poteſt; unde etiam eidem cenſuræ obnoxiam meritò fieri, lubens fateor, quam ab Amico, Theologiæ Studioſo, ob Celatoris qui æreæ lamellæ inſculpere eam potuisſet, defe-

L ctum,

ctum, ligneæ ſaltem tabellæ inciſam, meis de moſcho Theſibus adnexam volui; utpote quæ prototypum ſic ſatis benè repræſentat; modo ſculpturæ gratiam & nitorem exceperis, in ligno, præcipue à tali, qui artificio iſti, oblectamenti ſaltem cauſa tempus, quod in requiem ſeveriorum Muſarum cedere debebat, impendere nonnunquam conſveverat, non adeo imitabilem; & inprimis conſpicuæ in mearum Theſium icone aures obtuſæ, caudæ additio, folliculi nimia protuberantia, atq; pilorum intorta ac villoſa figura, utpote quæ Cenſuram dictam ſubeunt, in *Calceolarii* pariter icone deprehenduntur, ſicq; emendationem poſtulant. Mihi quidem hanc Animalis moſchiferi exteriorem formam ex *Calceolariano Muſéo* mutuari, oculisq; Curioſorum ſiſtere, hanc ob cauſam placuit, quod præ aliis genuinam magis eam judicaverim, verbis *Andreæ Chiocci* permotus; cum *pag.661.* dicti Muſei ſequentem in modum ſcribat: *Animalis moſchum gignentis figura, quoniam à nemine hactenus, quem quidem ſciamus, expreſſa & publicata videatur, hocce loco à nobis libenter dabitur, cum anno ſuperiore M. DC. XXI. Venetias verum animal fuerit advectum, indeq; ad Juniorem Calceolarium transmiſſum, ut ipſiſſima ejus, quam damus, effigies exprimi, & delineari poſſet &c.* Mihi verò nullas tunc temporis, cùm rudiores Theſes iſtas conſcriberem, Exuvias Capreoli moſchiferi, ipſumve animal, licet ſollicitus admodum eapropter fuerim, inveſtigare ullibi ac videre contigit. Nunc autem intra duorum annorum decurſum, tres ejusmodi Exuvias Auguſtam delatas (quarum primas, dum hæc in chartam conjicio, ex Poſſeſſoris, Viri Ampliſſimi, favore præ oculis habeo; ſecundæ Pharmacopœi noſtratis induſtrii, D.J.B. Muſeum exornant; tertiarum verò, jamdudum aliorſum ablegatarum, non adeo quoad ſingula amplius recordor,) perluſtrare datum fuit. Quæ omnes cum prædicta laudati D. *Segeri* deſcriptione, potiori ex parte conveniunt. Potiori ex parte, dum ſcribo, in dubium trahere Viri iſtius Clariſſimi

riſſimi fidem hoc ipſo neutiquam intendo, ſed innuere tantùm, uti in omni fortè animalium ſpecie, ita in hac etiam aliqualem dari differentiam. Sic e. g. non omni moſchiferæ Capreæ eadem eſt magnitudo, nec variegatus ille pilorum color, (*Celeberr. Dn. D. Thom. Bartholinus* pellem nigris pilis ornatam memorat in *Act. Hafniens. Volum. 2. Obſervat. 19.*) lineas ſtriasve in collo & dorſo caſtaninas & albidas eleganter exprimens, maculisq; albicantibus ſparſim latera pingens, eodem ordine & modo locatus conſpicitur.

Quamvis autem pilorum extremitatem colore variè luteo, caſtanino, & albo Natura tinxerit, omnes tamen circa radicem & in medio dilutioris ſunt coloris, magis minusve albicantes, in pedibus verò ad flavedinem inclinantes. Quos cutis, maxillam inferiorem ambiens, tenet, in regione dentium inciſoriorum, omnimodè albi exiſtunt; prout & omnes ferè, quos auriculæ internè alunt, candidi adparent, ſimulq; omnium, lanuginis inſtar, mollisſimi. Brevisſimi ſunt, qui naſum, cujus tamen extremitas depilis eſt, occupant; ut & qui lateribus inferioris maxillæ, eâ in parte, quâ cutis anguli oris latitudinem ex utrâq; parte terminant, inhærent, in quibus ultimis hoc inſuper notavi ſingulare, quod crasſi ſatis atq; duriſſimi ſint, adeo ut à digiti adfrictu ſtrepitum concitent; quos à ſuperioris maxillæ dentibus molaribus, ipſis utpote imminentibus, ſic attritos & conſumtos fuisſe, ſuſpicari licet. Cæterûm omnes, exceptis quos ſupra in auribus & maxilla inferiori molles albosq; indigitavi, ut & minimis, ac qui mutilati, ſed omnimodè cavi jamjam explicabuntur, non tantum circa radicem, ſed & in medio, imo in plurimis ad extremitatem usq; ſinuoſis flexibus oblongè aliquantulùm, non ineleganti ſpectaculo intorquentur.

Nullam cavitatem, ſed potius medullam fungoſam ab *Excell. D. Segero* in ipſis fuisſe obſervatam, equidem credo. Aſt

ſicut pilos humanos &c. esſe cavos, à pluribus proditum fuit, idemq; experimenta per microſcopia facta comprobant, qualia in *Ephemer. German. Ann. I. Obſervat. 13.* recenſentur, ipſeq; Anno M. DC. LXXI. Mediolani apud *Illuſtr. & Humanisſimum Dn. Manfredum Settalam* vidi, dum ope microſcopiolorum, (quorum mentionem facit *Nobil. D. Paulus Maria Terzagus, in Muſéi Septaliani deſcriptione cap. 4.*) non tantùm pulviſculi & ſordes capillis adhærentes, nudis aliàs oculis inviſibiles, ſed quoq; humiditas in cavitate contenta, atq; ſurſum deorſum moveri apta, comparuere: ita hiſce pilis cavitatem non ſimpliciter denegari posſe, exiſtimo. Nam 1. qui circa clunes occurrunt, quos decurtatos quaſi & detritos obſervavi, manifeſtè absq; etiam microſcopii adjumento, cavitatem oſtendunt. 2. Si in pilos hoſce inſuffletur, permeabiles eos esſe, liberè penetrans, & candela accenſa ſi opponatur, flammam ipſius agitans ſpiritus evincit. 3. Si liquori alicui una pili extremitas immergatur, & contentus aër ſuctione per alteram educatur, mox liquor cavitatem ſubit, absq; ullo obſtaculo hinc inde mobilis, iterumq; facilè exprimi aptus. 4. In multis pilis adhuc integris, non quidem per totam eorum longitudinem, cavitas occurrit, ſed luci ubi opponuntur, vacua in iis ſpatiola, medullam inter, mox deprehenduntur, quæ acuto cultello aperta, cavitatem ſuam manifeſtè exhibent conſpiciendam.

Quid verò medulla illa rara vel ſpongioſa ſit; num fortè condenſatus & exſiccatus pilorum humor, ſive excrementum exiſtat? haud determinare audeo. Evacuari autem aliquid per pilos iſtos, majori fiduciâ adſero. Quem in finem cavam iſtam pelliculam, pilos moſchiferæ feræ conſtituentem, innumeris ad rotunditatem vergentibus poris, per microſcopium evidentisſimè, ſive externam, ſive internam ejus ſuperficiem quis intueatur, conſpicuis, & membranulam retiformem effingentibus, pertuſam esſe, autumo. Quæ foraminula etiam

in

in pilis, ſpongioſa iſta ſubſtantia infarctis, ſi hæc abradatur, oculum artificioſo iſto vitro inſtructum incurrunt.

Pilos folliculum moſchi ambientes quod attinet, magna quidem eorum pars rectam figuram obtinet; aſt in illis, abdomini qui ſunt propinquiores, criſpaturam iſtam pariter notavi.

Carunculas in noſtris animalibus circa tuberculum hoc reperire potui nullas, ſed membranulam ſaltem ſive funiculum modicæ crasſitiei, non nihil protuberantem, ad dimidii pollicis latitudinem à folliculo, & quidem circa dextrum ejus latus, in loco planè depili diſtantem, in unius animalis pelle; in alterius verò, ponè vaſculum iſtud locatam. Quamvis in pellis particula, cum folliculo, quem posſideo, adhuc conjuncta, talem carunculam in extremitate prominentis cujusdam glanduloſi, & exterius membranoſi corporis, quod ſi uber esſe dicerem, fortè haud aberrarem, conſpicuam invenerim.

Ipſa receptaculi hujus pretioſi exterior membrana in duritie variat. Inprimis adeo duram, ſimulq; crasſam ſatis in animalis Exuviis ſecundò memoratis expertus fui, cùm meo rogatu, Anno M. DC. LXXV. 20. Julii aperiretur, ut vix acutisſimus cultellus penetrare, eamq; diſcindere valuerit. Unde factum fuisſe judico, quod reperta in ejus cavitate moſchi ad nauſeam usq; fragrantisſima ſubſtantia, ad dimidiam unciam pondere accedens, tanto temporis intervallo, ex quo nempe pellem iſtam animali detractam fuisſe, credibile eſt, non planè exſiccata, ſed notabiliter adhuc humida ſubſiſtere potuerit. Dictum autem inter moſchum membranula, argenteo quaſi nitore radians, flexuoſo ſitu hærebat, & moſchus ipſe, magna ex parte figuram granulatam præ ſe ferens, concretum ſangvinem præſentabat; granula quoq; illa, quæ magis exſiccata erant, ſplendidam intus faciem disſecta habebant. Ut adeo adquieſcere in *Platearii*, aliorumq; deciſione vix liceat, dum moſchi cum ſangvine hircino inſtitutum mangonium ex eo

manifeſtari tradunt, quod talis fictitius moſchus, ubi frangitur, lucidus & clarus adpareat. Genuinũm autem, nec ullo modo adulteratum fuisſe moſchum noſtrum, ipſa folliculi, ullum aperturæ ſignum, per quod factitius moſchus ingeri potuisſet, haud oſtendentis, perquàm diligenter perluſtrata conſtitutio demonſtrat.

Maxilla ſuperior duobus transverſis pollicibus in uno animali, in altero paulò minùs excedit inferiorem; quæ ſuperior nempe, non duobus tantùm iſtis majoribus caninis dentibus gaudet, ſed etiam ad crasſioris pollicis diſtantiam, octo alios, ex utraq; ſcilicet parte quatuor, dentes molares, non multùm ex alveolis ſuis prominentes, nec adeo, prout reliqui ſunt, albicantes continet, qui quidem in primis Exuviarum iſtarum manifeſtè conſpici posſunt; in alteris verò, ob clauſum magis oris hiatum, non adeò promptè oculis ſeſe offerunt, de præſentia tamen ſua, dum ferreo &c. tanguntur ſtylo, ſtridore quem edunt, teſtantes. In mandibula inferiore, præter octo iſtos, parti ejus anteriori infixos minutos dentes inciſorios, nullum aliàs molarem caninumve dentem, nec etiam veſtigium præſepiolorum invenire potui.

Auricularum longitudo quinq; transverſos pollices in nullo attingit, quatuor ſaltem, duræ licet ſint illæ & cartilagineæ, circumſcripta.

Pili iſti ſupra nares in figura Segeriana eminentes, in tribus memoratis Exuviis planè non comparent; alii tamen, duri & rari, coloris ruffi, ex illa pellis parte, ubi caninorum dentium alveoli ſunt, prodeunt, retrorſum ſpectantes; quales etiam, caſtanini coloris, ponè oculos egrediuntur.

Caput lupinam faciem exprimens, in multò acutiores terminatur nares.

Collum longè protractius, dimidiam dorſi longitudinem facilè adæquat, ſi non ſuperat.

Pili

Pili juxta ſcapulas præ reliquis tantopere haud prominent, proximis potiùs in debitâ proportione reſpondentes, & digiti auricularis magnitudinem non excedentes.

Cæterùm effigiem, quam proponit *P. Michaël Boymus* in *Flora Sinenſi*, laude ſuâ orbare minime volo, prout nec alteram, quam ex *Boymo Celeb. Athanaſius Kircherus Chinæ ſuæ illuſtratæ* inſeruisſe videtur; aſt neutra usquequaq; placere poteſt. Etenim præter pedes, quos non ungulis inſtructos, quàm potius in duos veluti digitos, quorum extremitas ungvibus armatur, deſinentes exhibent, ipſum etiam caput, reliqui corporis reſpectu, juſtò crasſius, & ore quaſi porcino præditum adparet; ut alia, quæ deſiderari posſunt, prætercam. Figuræ à *Gesnero, Aldrovando*, & *Jonſtono* productæ vix memorari merentur. Nec vitio caret *Joach. Camerarii* tabula, quæ in *Symbol. & Emblem. Centur. 2. Embl. 45.* exſtat. Præ cæteris magis arridet icon *Johann. Neuhofii*, quam *cap. 16. pag. 373. deſcriptionis regni Sinici* habet. Omnibus autem palmam præripit commendata jam *Nobil. D. Segeri figura.*

Quæ cuncta à me notata fuisſe, Lectori benivolo perſvaſum cupio, non ut quenquam memoratorum, famâ ſcriptisq; illuſtrium Virorum carperem, ſed unicè tantùm monſtrarem, quousq; relationes iſtæ, & picturæ cum autopſia conveniant; qua dum carere, aliorumq; infidæ fidei ſe credere ſæpe coguntur non inutiles alias librorum Conditores, à culpa ipſi immunes proclamari rectius debent. Non immeritò igitur *Jul. Cæſ. Scaliger, de Animali moſchifero* agens, *exercitat. 211. de Subtilit. ſſ. 3.* de ſcribendi periculo *Cardanum* admonet, *quando fides noſtra ex aliorum* (Scriptorum, Pictorum, Sculptorum &c.) *ſæpe numero pendet mendaciis*, vel, ut mitius id proferam, fabulis.

OBSER-

OBSERVATIO LIV.

D. LUCÆ SCHROECKII, LUC. Fil.

De

Catechu.

Quid exoticum illud medicamentum, Cate, ſive Catechu ſit, diverſa hactenus ſententia Eruditos tenuit; aliis pro vera terra illud habentibus, ideoq; in mineralium claſſe, & ſub etymo terræ Catechu, vel terræ Japonicæ (quamvis fortè non tam in Japonia colligatur ac præparetur, quàm ex Cambája, viciniſq; iſti locis in Japoniam deferatur, & hinc ad nos aliquando deportetur, vel deportatum fortaſſe fuerit; ſiquidem ex Cambaja, Bacaim, Manora, Daman, & Goa, mercimonii gratiâ, in magna quantitate Malacam, & in Sinarum regionem, Japoniæ finitimam, exportari, *Garcias ab Orta Lib. 1. hiſtor. aromat. cap. 10.* ſcribit,) proponentibus; nonnullis pro ſucco quodam expreſſo venditantibus; quibusdam verò inter compoſita & vitriolata referentibus; ceu trinum hunc diſcrepantium ordinem *Excell. Dn. D. Georg. VVolffg. VVedelius Ephem. Germ. Curioſ. Ann. II. Obſerv. 128.* recenſet. Liceat mihi quoq;, mentem explicare meam, & quænam ex hiſce opinio videatur probabilior, edicere.

Terrarum ſimplicium, & quidem foſſilium vel mineralium, ac quæ ſigillatæ vocari ſolent, catalogo inſeri debere, nullatenus arridet, cum præter nomen, nihil quod talismodi terram exacte referat, in ea reperiatur.

Succum autem eſſe vegetabilem, tum ex admiſto ipſi ſtramine, lignorum particulis &c. tum quod à diſſolutione ſpiſſum quid, ſive extractum per evaporationem reſtet, benè colligit *Prælaudatus D. VVedelius.* Parvulæ ſiquidem iſtæ particulæ lignoſæ, quamvis in exigua quantitate, ſemper, quantùm

hacte-

hactenus obſervare potui, in eo deprehenduntur, originem dubio procul trahentes (non excluſis tamen etiam aliis extraneis recrementis; prout mihi cortex exterior, ſtriatus & lignoſus oryzæ &c. nuper ſeſe obtulit,) è ramis arborum, quæ ſuccum iſtum largiuntur; dum ſcilicet in minutas partes per inciſionem & contuſionem diſcerpuntur, atq; hinc facilè, ubi minus adcurata colatura vel depletio ſucci accedit, ei commiſcentur. Quamvis enim, qui ſucci hujus collectionem literis conſignarunt, colaturæ, vel liquidæ partis à crasſiore ſeparationis mentionem nullam faciant, & eorum verba, conjunctim omnia exſiccari, potius edoceant; eam tamen exſiccationi præmitti, partium terreſtrium paucitas evincit, quæ larga aliàs esſe deberet, cùm materiam ligni iſtius robuſtam, duram, denſam & ponderoſam esſe, hiſtoria loquatur. Quod etiam *Dioſcoridis, è Lib. 1. de mater. med. cap. 114.* & *Plinii, è Lib. 24. hiſtor. natur. cap. 14.* teſtimonio confirmari posſet, dum ſucci Lycii elaborationem deſcribentes, ramos radicesq; contuſas in aqua coqui, & poſtea abjecto ligno, liquorem reſiduum ad mellis conſiſtentiam inſpisſari, adſerunt; modò Lycium iſtud Dioſcoridéum cum Recentiorum Cate idem esſe, certius conſtaret; quam quidem ſententiam cum *Garçia* nonnulli fovent, meritò tamen à *Carolo Cluſio in notis*, nec non *Joh. Veslingio Obſervat. in Libr. Proſp. Alpini de plantis Ægypt. cap. 12.* in dubium vocatam; cùm arbores, Lycium atq; Catechu ſuppeditantes, magnitudine, foliorum figura, & fructus præſentia inſigniter differant. Quamvis autem lignoſam iſtam ſcobem ipſi arboris *Hacchic* ſubſtantiæ ortum debere ſtatuam, eo ipſo tamen *Garciæ* nihil derogatum volo, dum admiſta ligni cujusdam nigri ſcobe, in paſtillos nonnunquam ſuccum iſtum redigi, tradit; ſiquidem interdum etiam absq; hujus interventu exſiccari, addit; id quod in Catechu ſuccis hucusq; à me viſis ſemper de-

prehendi; ubi videlicet nunquam ſcobs iſta nigra comparuit; cum altera illa rubeat, & aquæ immisſa rubeo quoq; colore illam tingat.

Sed præter crasſiores iſtas lignorum particulas, ſubtiliores etiam, tardiùs, luti quaſi formâ fundum petentes pulviſculi in conſpectum ſe produnt; qui licet terrenam proſapiam convenientius referant, tantæ tamen quantitatis, reſpectu reliquarum ſucculentarum, haud ſunt, ut ſimplex hocce terris propriè ſic dictis adſcribi propterea mereatur. Imò ſicut in aliorum vegetabilium ſucco turgentium, vel in aqua maceratorum, contuſorum & decoctorum extractis, nec prius optime clarificatis vel depuratis ſuccis, ſemper occurrere ſolent hujusmodi minutæ, ab ipſo vegetabilium corpore per contuſionem ac expresſionem diſcerptæ, atq; liquorem turbidum reddentes particulæ, tandem fundum petentes; ceu vel vulgaris ille liquiritiæ ſuccus, ſi in aqua ſolvatur, exemplo esſe poteſt: ita in hoc quoq; ſucco idem contingere, vero eſt ſimilimum. Nec tamen ideo farinæ Nachani additionem, in Catechu præparatione fieri ſolitam, excludo, ſed una cum dicto jam, ab ipſa ramorum ſubſtantia divulſo pulviſculo conjungi, largiri facilè posſum. Aſt quia farina hæc ſeminis cujusdam, conficiendis panibus apti, ſoboles eſt, eo ipſo terram haud esſe, ſponte eluceſcit.

Inſuper, Catechu ſi terra esſet, nullatenus aqua disſolvi ſeſe pateretur. Terræ quidem in aquam projectæ facilè, aquâ poros earum penetrante, concidunt, & in minutum, è quo coagmentantur, pulviſculum fatiſcunt, neutiquam tamen, ſi puræ ſint, ita cum ea uniuntur, ut unum quaſi corpus conſtituentes, liquorem pellucidum relinquant, ſed fundum ſenſim petentes, aqua decantata, vel per filtrationem ſeparata, in ea iterum quantitate inveniuntur, quæ ante aquæ additionem adfuerat. Cùm econtra Catechu in aqua ſimplici, uti alia extracta

tracta vegetabilia, vel ſucci inſpisſati, reſinâ deſtituti, commodè ſolvatur, & totum ferè, remanentibus ſaltem paucis crasſioribus ſupra memoratis particulis, cum ea ſeſe intimius conjungat, non tantùm intensâ, elegantisſimâ rubedine eam tingens, verùm per filtrum quoq; tranſiens, non niſi exhalatione ab ea iterum ſeparabilis; qua nimirum Cate depuratum, ſpisſamenti alicujus ſive extracti ſub forma, remanet.

Certisſimum etiam vegetabilis naturæ indicium præbet ignis, cui Indicum hoc medicamentum expoſitum, in cineres totum redigitur. Id quod de ulla terrarum ſpecie, quantum mihi conſtat, licet diu multumq; flammis exerceantur, nemo ſibi promittere poteſt.

Vitriolicæ verò & metallicæ proſapiæ esſe, vix credo; cùm tale ſal vitriolatum ex eo ſeparare hactenus arte nullâ valuerim; nec etiam ſtatim, quod in vitriolis alias accidere, notisſimum eſt, ab infuſo in Cate ſolutionem, per aquam ſimplicem celebratam, puro tartari aliove lixivio, ſolutio iſta ullo modo turbetur, aut ochræ præcipitatio contingat, ſed clarus potiùs liquor perſiſtat. Econtra ubi ſolutionem vitrioli martialis cum ſimplici iſta Catechu Tinctura quis confundat, turbidum in momento reddi liquorem, atq; ſedimentum aliquod ſenſim deponi, videbit. Et cùm antea nec ſolus vitrioli, nec Catechu liquor nigrum colorem præ ſe tulerint, ſed ille viridi, hic rubro colore comparuerit, jam ſic confuſi crasſiuſculam, obſcuram, (& copioſiori aqua ſi perfundantur, nigricantem planè) induunt faciem, ita ut literas, ex fuſco ad nigredinem vergentes, pingere apti exiſtant. Quæ ſanè qualitates non acidæ vitriolatæ, ſed contrariæ potius & alcalicæ, qualis in gallis, balauſtiis &c. reperitur, præſentiam indicant.

Quamvis, ſi Catechu ad vitriolatorum medicaminum ordinem impropriè, & juxta terminum Paracelſiſtis uſitatum, quatenus ſcilicet per eum ſimplicia ſtyptico ſapore prædita inſigni-

ſignire ſolent, trahere quis velit, cùm potiores ejus vires adſtrictoriæ hucusq; innotuerint, faciliorem ille conſenſum impetrare valeat.

[*In literis 4. Maji 1677. Auguſtâ Vratisl. ad Collectores Ephem.*]

OBSERVATIO LV.
D. CHRISTOPHORI SELIGERI,
De
SINGULARI PRÆGNANTIUM IMAGINATIONE.

QUàm præpoſtera interdum ſit Prægnantium curioſitas, ſubſequentes caſus confirmabunt. Anno 1676. in nundinis noſtris vernalibus hoc Anno ad Nonas Maji incidentibus, ſartoris cujusdam pagani Georgii Enders ex pago Neuhörnitz Uxor, Catharina, Circumforanei hiſtrionem cum Saltatrice ſua in utriusq; manus annulari crotalum geſtante, in publico loco choreas agentem, mirasq; geſticulationes, deformes oris diſtractiones, corporisq; tortuoſas flexiones perficientem, ore, quod dicitur, & oculis, intentoq; animo adſpicit. Ipſis Calendis Julii eadem ex difficili partu enititur puellulam viventem, depreſſis naribus & labiis ad utramq; maxillam duplici modo ſciſſis. De minimo utriusq; manus digito itidem loco cymbali exigua eaq; rotunda carnis portiuncula dependebat. Corpuſculum verò anterius, poſterius, dextrorſum, ſiniſtrorſum, quocunq; lubebat modo projici poterat, ac ſi lumbares vertebræ vel nullam Oſſis conſiſtentiam haberent, vel planè deficerent. Mirandum ergò qua ratione imaginatio matris magnam ſuam Virtutem in fœtum integerrimum & partui ferè vicinum exercuerit.

Alia fœmina Civis cujusdam hujus Urbis, Cuſtodis ad D. Johannis Uxor, ante hoc ſexennium gravida ſub concione, vir-

virgunculæ à dextris aſſidenti & cum pyxide ſua balſamica ludenti, cum oculis mentem aliquoties communicans, tempore debito pariebat puerulum alioquin formoſum, cui in utroq; annulari pars carnoſa dura, rotunda, adnata erat, hanc obſtetrix ſtatim à primo intuitu cultro tonſorio abſcidit, puerq; adhuc vivens, exiguum, carnoſæ pyxidis ſuæ balſamicæ, veſtigium, cuilibet monſtrat.

OBSERVATIO LVI.
D. CHRISTOPHORI SELIGERI,
De
FEBRE PEMPHYGODE SEU BULLOSA.

MInimè rectè eos ſentire autumat *Cous, de ratione victûs in acutis,* qui morbos in minutioribus differentes, uno eodemq; nomine nuncupare, nefas eſſe ducunt. Licitum itaq; erit ſequentem caſum ad febres bulloſas referre, quantumvis ampullæ non tantùm fauces ſed alias etiam corporis partes externas occuparint. Anno 1667. 25. Auguſt. *Fridericus Klimpel,* Quinquagenarius & in ſuburbio noſtro degens, vicino ſuo in tegenda nova domo ſuppetias fert: in culmine autem conſtitutus malignaq; quadam aura perculſus inopinatò dolorem capitis graviſſimum cum calore præternaturali conjunctum perſentiſcit. Sequente manè accerſitus, audio patientem de intenſiſſimo calore capitisq; dolore immaniſſimo cum interiorum horripilatione quadam querelas agentem. Rebus ergo ſic ſtantibus pro more mihi conſveto, ad nobiliora bezoartica & alexipharmaca cum præcipitantibus commixta ſtatim confugiebam, & pro calore præternaturali & fermento febrili compeſcendo, *Antimonium* ad modum *Poppii,* debito modo, calcinatum, nec non cum *ocul.* ♋. præparatis commixtum, ſingulis quatuor horis in aqua *ulmariæ* exhibebam; pro levando

 autem

autem capitis dolore *Oleum ⊖ Sulphureum* per inſtrumentum *Glauberi* deſtillatum cumq; *aqua roſarum* atq; *verbenæ* combinatum ut vertici guttatim affricaretur, curabam. Circa Solis occaſum advolat Uxor ejusdem madidis oculis, faciemq; mariti mirum quantum intumuiſſe refert. Ego, cum virium naturalium præſentiam exquiſivisſem, eandem bono animo esſe jubeo, & continuationem prædicti pulveris impero, additâ inſimul potione panchreſta ſive *Julapio ſambuci myrrhato* cum *Spiritu ⊖ Sulphureo* nonnihil acuato. Auguſti die 27. patientem rurſus viſito, faucesq; ejusdem & faciem bullis adeò defœdatam deprehendo, ut vix cognoſcibilis esſet; immo ipſe etiam collum, manus, thoracem, tibiasq; & alias corporis partes, quæ libero Jovi fuerant expoſitæ, bullis majuſculis inſtar globulorum, quibus pueri ludunt, contectas monſtrabat, ut ne hilum genuinæ & naturalis cutis dignoſcere posſem, Calor verò p. n. nonnihil remiſerat, reliquaq; Symptomata non adeo urgentia erant, ideoq; à prædictis duobus medicaminibus non deſtiti, & ſic intra octiduum hiſce ſolis patientem, DEO benedicente, priſtino vigori reſtitui.

[*In literis d. 30. Maji 1677. Zittaviâ Vratislaviam ad Collectores Ephem.*]

OBSERVATIO LVII.
D. CAROLI RAYGERI, De HIPPOMANE.

DE *Hippomane* diverſi diverſum ſtatuunt. Quidam accipiunt pro herbâ quadam in *Arcadiâ* naſcente, philtris aptâ, quam *Flaviam* putat esſe *Caſp. Reies. in Camp. Elyſ. quæſt. 29.* tamq; valentem ad amatoria prædicat, ut ſi quis ab alio eâ tangatur, occultâ quadam ratione in amorem illius trahatur; idq; experimento comperisſe *M. Aurelium Imperatorem.* Dein-

Deinde, & rectius, accipitur pro humore quodam ex genitalibus equarum dum equiunt ſtillante, de quo ita *Ariſt. Hiſt. Anim. l. 6. c. 18. Tum* (ſcilicet quando libidine incenduntur equæ) *aliquid emittunt, quod* Hippomanes *appellatur, eodem quo illud, quod naſcitur, nomine. Tale ſanè hoc eſt, quale illud Suis, quod Apriam vocant.* Et paulò poſt; *Equæ tempore coitus humorem emittunt ſuis genitalibus, ſimilem geniture, ſed multo tenuiorem quam mares, quem* Hippomanes *nonnulli appellant.* Et *Virgil. l. 3. Georg.*

> Hinc demum *Hippomanes* vero quod nomine dicunt
> Paſtores: lentum deſtillat ab ingvine virus.

Unde forte etiam ipſius nominis deductio, quaſi *τȣ̃ ἵππȣ μανία*, ſive quod Equæ, quando hic humor fluit, amoris furore corripiantur, ſive quod, juxta veterum opinionem, aliis exhibitus in furorem agat eosdem. *Vid. Ariſt. & Colum. de re Ruſt. l. 6.* Tandem *Hippomanes* vocatur Caruncula illa, ſive potius maſſa carnea nigricans lieniformis, quæ cum pullo naſcitur. Quâ quidem de re, an, ubi, & quid ſit, non convenit inter Authores. Communis, ſed & dixerim anilis, fabula eſt, pullum recens excluſum ſupra lingvam habere lienem, quem ſtatim ac primâ vice reſpirat, deglutiat, qui autem ſi priusquam reſpiraverit præripiatur, & auferatur, Equum fieri velocisſimi curſûs. Sed quid quæſo lieni cum velocitate, aut cur lien ſingulare curſus impedimentum? Taceo quomodo deglutitus in ventriculum lien, ſedem ſuam petat extra eundem, venasq; & arterias acquirat tam copioſas. Quidam conſideratiores non lienem dicunt, ſed venam eſſe ſub lingvâ, quæ usq; ad lienem deſcendat, hæc ſi, antequam ſugat equus, rumpatur, lienem arefieri & equum evadere optimum curſorem. Alii *Hippomanes* in fronte ſitum, alii lumbis, alii genitalibus adhæreſcere contendunt. *Ariſt. l. 6. Hiſt. Anim. c. 22. Cum equa peperit*, inquit, *ſtatim ſecundas devorat, atq; etiam quod pulli naſcentis fronti adhæret* Hippomanes *dictum, magnitudine minus caricâ parvâ, ſpecie latiuſculum,*

ſculum, orbiculatum, nigrum. *Et Lib. 8. c. 23. Quod* Hippomanes *vocant, hæret quidem fronti naſcentis pulli, ut narratur, ſed equæ perlambentes abſtergenteſq́; id abradunt. Marcus Fugger* Dominus in *Kirchberg*, & *VVeisſenhorn*, in *libro* ſuo Germanico, quem *de naturâ & curâ Equorum* ſcripſit, certè laudatisſimo, *capite ultimo* ingenuè fatetur & teſtatur, ſe ſæpius talia à probatis & fide dignis Viris, tum audiviſse tum legiſse, ſed ut ut benè attenderit ipſe, alioſq; attendi jusſerit, nihil quidpiam vel in fronte, vel ſub lingvâ pullorum naſcentium invenire potuiſse. Sed pace tanti viri, in reliquis certè accuratisſimi, & verſatisſimi, datur revera *Hippomanes*, & in pleriſq;, auſim dicere in omnibus, ſi probe attendatur, reperitur pullis.

Referam paucis, quid mihi compertum, quidque viderim ipſe. Cum Anno 1676. circa finem Februarii apud Illuſtrisſ. Dominum Comitem *Joh. Sig. à Kollonitſch Levarini* medendi gratia esſem, allatum tale *Hippomanes* recens à fronte nati pulli avulſum, adhuc calens. Non leviter exhilaratus cum ſæpius recens videre optasſem, exiccata enim aliquot & vidi, & ex dono præfati Illuſt. Domini Comitis habebam. Proinde & formam & figuram externam benè conſideravi, quæ exacte lienem referebat, (unde forte fabulæ origo, quod pro equi liene fuerit habitum) niſi quod colore nigricantius quaſi ſubcinericium, cæterum ſubſtantiæ erat laxæ, mollis, extrinſecus undiq; glabrum, membranâ ſatis craſsâ tectum, non orbiculatum, ſed oblongum, non caricæ parvæ magnitudine, ſed eâ & latitudine & longitudine, quâ in adjunctâ tabulâ conſpicitur. Per longitudinem disſectum, interius ſtructuram habuit cordi non abſimilem. Nam & interſtitium in medio erat inſtar ſepti transverſi, ex utraque parte binæ cavitates, ſiniſtra dextrâ profundior, quaſi duo ventriculi, adjunctis fibris carnoſis, ſimilibus iis, quas alii cordis ligamenta, *Veſalius* & *Riolanus* carneas columnas appellant. In cavitatibus humor erat ſub-

ſubnigricans, odore ſuccum quaſi nucum viridium recens expreſſum referebat.

Quid autem natura hâcce tam mirabili & curioſa ſtructura intenderit, aut quem in finem in iſtius particulæ adjectaneæ, quæ cum pullo nullum habet commercium, efformatione, tam ſtudioſa fuerit, aut cui uſui deſtinaverit, explicatu difficile eſt. Sunt qui ad amores illicitos conciliandos, ad philtra & incantamenta alia valere dicunt; ſed magica illa & fabuloſa jam ſuo tempore judicavit *Ariſt. l. ſ. c.* fallacia & nefanda *Naſo Lib. 2. de arte amand.* dum pulcherrime ait:

Fallitur, Æmonias quisquis deſcendit ad artes,
Datq; quod à teneri fronte revulſit equi.
Non faciunt ut vivat amor Medeïdes herbæ,
Mixtaq; cum Magicis verſa venena ſonis.
Sit procul omne nefas. Vt ameris amabilis eſto.

Alii incitamentum amoris dixerunt matris erga pullum, ita ut ſi præripiatur equæ, ad ubera non admittat eundem. Hinc *Virgil. Lib. 4. Æneid.*

Quæritur & naſcentis equi de fronte revulſus.
Et matri præreptus amor. — —

Vid. *Plin. Ælian.* Verum nec hic uſus genuinus videtur, ſiquidem multæ reperiuntur equæ, quarum à pullis hæc particula præripitur, quæ tamen amant, & nutriunt ſuos pullos, quod ipſe vidi in illa equâ & pullo, unde meum accepi *Hippomanes.*

Si quid de meo addendum, cum DEUS & natura nihil faciant fruſtra, credo uſui eſſe fœtui equino adhuc in utero latenti, quo in lucem edito, officio ſuo functum æquè ac ſecundinas deglutiri à matre. Notum quippe, varia naturam in gratiam fœtûs fabricare, quorum uſus nos latet, & divinari magis quam aſſerere licet. In medicinâ uſum, quantum ſcio, habet nullum, niſi quod Epilepſiæ mederi ſiccatum, pulveriſatum, & in aquâ appropriatâ exhibitum dicant noſtrates.

Probavi & dedi quibusdam cum aliis Anti-Epilepticis ſed dubio eventu.

EXPLICATIO FIGURARUM.

FIG. I.

Exhibet Hippomanis formam, figuram & magnitudinem naturalem.

FIG. II.

Hippomanes ſecundum longitudinem disſectum.

a. a. a. *Interſtitium carneum inſtar ſepti transverſi in corde.*

b. b. b. b. b. *Quinq; fibræ carnoſæ ab interſtitio illo tendentes in binas cavitates.*

c. *Cavitas ſiniſtra profundior.*

d. *Cavitas dextra minus profunda.*

OBSERVATIO LVIII.
D. CAROLI RAYGERI,
De
FOETU CANINO A PUERO PER ALVUM EXCRETO.

Duos catellos à viro octuagenario vomitu rejectos ex *D. Rumbaum Epiſt. ad D. Schulz.* obſervavit *Schenckius.* Et Illuſtrisſima Domina *Budiana* Anno 1638. oretenus retulit *Dn. D. Spindlero*, ſe propriis obſervasſe oculis, mulierem ex morſu canis rabidi diu rabidam, aliquando ultra 18. fruſta albicantia ejecisſe, catellis nuper natis ita ſimilia ut ovum ovo, pro ut ipſe fuſius annotavit in Obſervationibus ſuis lucem propediem viſuris. Simile quid, niſi quod per inferiorem gutturem, (ut *Plaut. ait in Aul.*) præterito Autumno Menſe Octobri, in vico trans-danubiano *Raickendorff* duobus milliaribus hinc diſtante accidit. Puer quinq; annorum tormini-

Ad Observ. LVII.

Fig. I.






Fig. II.



Ad Observ. LVIII.

Fig. III.



BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.

bus ventris correptus alvum depoſuit. Accurrens mater inſpectura excrementa, an non aliquid dyſenterici ſubesſet, nihil quidem tale, ſed fruſtum invenit carnis membranoſum, albicans, illud ut, quid contineat videret, disſecans, fœtum caninum benè conformatum cum ſtupore extraxit. Conſternata mater, rem novam & inſolitam ſtatim ad Dominum illius loci Illuſtrisſ. & Excellentisſ. Dominum Comitem *Adamum Forgatſch.* detulit; hic miſit *Dn. D. Schilpachero*, Collegæ meo honoratisſimo, & iſte mihi monſtraturus, in domo mea habuit, ſed quia peregrê aberam, ipſe videre non potui. Poſt aliquot dies revertenti mihi omnia retulit oretenus, & quia præfatus Excell. Dominus Comes interea depingi ad vivum curavit, picturam exhibuit, unde iſta delineatio quam adjungo. Puer quidem poſtea adhuc tormina ſenſit alvumq́; crebrius depoſuit, ſed ſine tali partu. Vivit autem adhuc ſalvus & incolumis.

FIGURÆ EXPLICATIO.

a. *Fœtus caninus.*

b. *Membranæ fœtum involventes.*

OBSERVATIO LIX.
D. CAROLI RAYGERI,
De
Morphæa Nigra.

SI quis cutim humanam Noſodochium ſeu receptaculum omnium morborum dixerit, næ ille brevi multa eaq́; veriſſima exprimet. Qualis enim in corpore intus deliteſcit morbus, talis effloreſcit in cute. Hinc ſqualet in *Hecticâ*, æſtuat in *Febribus*, flaveſcit in *Ictero*, pallet in *Cachexiâ*, tumet in *Hydrope*, deformatur variis maculis in *Scorbuto*. Nec ſatis eſt

 alia-

aliarum partium in ſe ſuſcepiſſe atq; notaſſe vitia, ſuos proprios inſuper patitur manes & innumeris deturpatur modis. Quis enim omnes ejus defœdationes, impetigines, vitiligines, lichenes, variolas, papulas, maculas & ſexcenta alia enumeret exanthemata. Inter quæ non extremum locum occupat ſpecies illa vitiliginis, quæ *Morphæa nigra* dicitur, affectus primo aſpectu magis terribilis quam periculoſus, apud nos ſatis rarus, à me nunquam adhuc obſervatus, niſi hoc præterlapſo anno binis vicibus. Nam circa initium Januarii cum *Dn. D. Schilpachero* collegâ meo honoratisſimo, accesſi puellam quandam trium annorum ex morbillis convaleſcentem. Huic tota cutis unâ nocte maculis nigris conſperſa, ſine calore aut dolore. Dubitavi ad quodnam exanthematum genus referrem, extra periculum tamen conſtitutam puellam videns, ſvaſi ſi fortè quid ſcorbutici ſubesſet, ut *Mixt. ſimpl. cum ſpir. cochl. & ſyr. de fumar.* ad aliquot dies propinetur, quo facto brevi omnes evanuerunt. Circa medium Auguſtum eædem iterum obſervandæ venerunt maculæ in filiolâ trienni Chirurgi noſtri *Alexandri Schele.* Laboraverat illa prius dyſenteriâ, epidemialiter tum temporis apud nos grasſante, ſat pertinaci, inde autem convaluit: poſt aliquot ſeptimanas, cum benê de nocte quievisſet, manè expergefacta toto corpore maculis nigris defœdata reperitur. Vocatus à terrefactis Parentibus, agnovi ſtatim morbum, priori penitus ſimilem, nec dubitavi amplius *Morphææ nigræ* nomine hæcce inſignire jam melius à me conſiderata exanthemata, quia exactè conveniebant omnia cum deſcriptione, quam habet *Joh. Tagault. l. 1. Inſt. Chir. c. 2. & Celſ. l. 5. c. ult.* Nulla quippe aderat cutis vel exaſperatio, vel exulceratio, ſed ſuperficies tantum ejusdem maculis nigerrimis guttatim quaſi aut ſquamulatim ſine inæqualitate defœdata; aberat calor, dolor, pruritus omnis, ungvibus aſperius aut acu etiam punctim tractatæ ſangvinem fundebant,

quod

quod pro ſigno habet *Celſ. d. l.* Puella cum ad interna medicamenta ſumenda valdè fuisſet refractaria, neglectis etiam externis, quæ varia deſcribit & commendat *Aetius Tetr.* 4. *Serm.* 1. *c.* 132. brevi iis liberata, non multò poſt tamen in variolas incidit, unde jam jam convaleſcens importunâ balneatione & lotione, ad nitorem corpori conciliandum, recidivam pasſa obiit. Recordor ſæpius me vidisſe maculas cum variolis erumpentes hiſce ſimillimas, ſemperq; funeſtas, quas ex communi ſententia pro Petechiis nigris habui, illas tamen extra variolas in multis aliis Petechiis laborantibus nunquam inveni; forte idem eſt, affectus, niſi quod quandoq; cum malignitate conjunctus pernicioſior.

OBSERVATIO LX.
D. CAROLI RAYGERI,
De
Utero Putrefacto Illæso Foetu.

PAupercula quædam hujus loci in Suburbio habitans, uterum ferens, toto difficilis geſtationis tempore ſemper de doloribus in abdomine querula, juſto appropinquante partûs tempore, inter ingentes conatus cum parere nequiret, 21. Januarii Anno 1676. exſpiravit. Ad ſectionem altero die mane vocatus, cum propter alia negotia ipſe venire non potuisſem (quod tamen maxime poſtea pœnituit), miſi Chirurgum noſtrum *Alexandrum Schele*, ut aperiret eam, & referret, ſi quid rari occurreret. Hic ergo ſtatim poſt peractam ſectionem me accedens recenſuit, aperto abdomine & remotis integumentis parum effluxisſe aquæ putridæ, mox in conſpectum venisſe infantem omni ex parte liberum, in abdomine extra uterum ſitum, mortuum quidem ſed cætera abſolutum, perfectum, nullâ parte contaminatum, ſub ipſo autem

uterum apparuiſſe ſemiputridum & ſphacelo ita abſumptum, ut fruſta ejus nigricantia fœtida exemerit, adſtantibusq; monſtraverit. Admiratus rei novitatem, ſtudioſius inquiſivi, an non, quia fœtus illæſus ſalvus & integer, uterus forte in muliere, continuis laboribus & geſtationibus victum quærente, fuerit ruptus, ſicq; infans in abdomen prolapſus, id quod ſæpius fieri poſſe concedit *Vesling. in Syntag. Anat.* & exemplis probat *Hild. c. 1. Obſerv. Chir. 64. ut & Dn. D. Fauſius in Epiſtolâ ad D. Strausſ. de fœtu Musſip.* Sed ille reverà uterum putrefactum, unà cum obſtetrice, & aliis adſtantibus à me interrogatis, conſtanter affirmavit, adeò ut fidem amplius denegare non potuerim. Similem prope caſum recenſet *Fr. Rosſet. de part. Cæſar. S. 4. c. 4.* de infante qui, putrido uteri fundo relicto, in abdomen tranſiit, unde poſt quatuor annos extractus, nondum adeò computruit, quin maſculum fuiſſe agnoſci potuerit. Quod ſi itaq; hic, quatuor continuos per annos in putrido loco moras nectendo, non penitus fuit abſumptus, credibile, etiam Noſtrum ſine labe aliquot menſes potuiſſe manere, quamvis, quomodo vivere, nutrimentum & augmentum ſumere potuerit, non concipiam. Cæterum ex putrefacto utero, etiam infectum fœtum computruiſſe, & perforatâ matrice hinc inde per partes exiviſſe, vid. *præfat. Rosſet. l. c. & Clar. Th. Barthol. de inſol. part. hum. viis.*

OBSERVATIO LXI.
D. CAROLI RAYGERI,
De
Phthisi Et Morte Ex Vulnere Pulmonum.

Vulnera Pulmonum etſi inter lethalia non referat Cous noſter Senex *6. Aphor. 18.* ex illis tamen, ſi magna & penetrantiora, mori, docet in *Coacis.* Rationem reddit

Dn. D.

Dn. D. Melch. Sebiz. in Exam. Vuln. quod licet homines non ſtatim ex vulnere intereant, tamen fiant Phthiſici, Empyici, ſicquè lentâ pereant morte. Verisſimum hoc esſe, ſequens probat hiſtoria. Circa medium Julii, allatus eſt Excubiarum quidam Magiſter natione Borusſus, Phthiſicus deploratus, cui per literas ſvaſi, ne ſe huc curaret portari, potiusq; in loco ubi ſit, Medicamentorum à me ordinatorum, uſum continuaret, nam certo certius ipſum ex motu, & agitatione, acceleraturum ſibi mortem. Id quod factum. Nam vix per quatuor vel quinque dies hic commoratus tabe confectus extingvitur. Transfosſus ille ante triennium in duello, gladio, ſub mammilla dextra, unde male à Medicaſtro Apellâ tractatus, vulnere quidem extrinſecus brevi coaleſcente, gravitatem ſubinde in pectore ſenſit, donec elapſis aliquot Menſibus in ſangvinis ſputum incideret. Hinc diverſa adhibuit pectoralia, vulneraria, conſolidantia; nihilominus tabidus factus eſt, abdomine & lateribus ita induratis, ut vix manu comprimi potuerint. Apertus poſt mortem infimus venter nihil quidquam continebat, quod cauſa posſet esſe hujus duritiei, præter ſerum aliquod ſubcitrinum ſat copioſum, quod ſæpius jam in thoracis & pulmonum obſervavi vulneribus, quâ via autem, ſalvo & integro diaphragmate, ſerum hoc, procul dubio ex grumoſo ſangvine reſultans, inventrem delabatur non video. Remoto ſterno, pulmonum ſiniſter lobus prope totus erat abſumtus, quod reliquum erat pugni magnitudine putridum, ſangvinolentum, nec formam nec figuram pulmonum habebat. Dexter lobus integer adhuc, ſed tamen exulceratus, purulentus, inq; hoc apparuit ictus gladii adeò recens, ac ſi eo demum die factus fuisſet. Quod autem non hic prius quam ſiniſter computruerit, credo factum, quod gladius usq; in ſiniſtrum mucrone penetraverit, ibiquè concidentibus partibus laxis & mollibus extravaſatus ſangvis, dum evacuari nequivit, ul-

cus excitaverit, ſenſimq; depaverit illam partem, cum ê contrario dexter per foramen ſatis magnum ſe purgare potuerit. Conſtat itaq; vulnera profundiora pulmonum ut plurimum esſe incurabilia: nam quæ afferuntur hiſtoriæ ex *Hildano*, *Fallopio*, *Foreſto*, & inprimis ex *Plateri Obſ. l. 3. p. m. 735.* de Phthiſico à Pulmone vulnerato, & corrupta illius portione per vulnus exeunte, curato, raræ ſunt, magisq; in admirationem quàm conſequentiam trahendæ.

OBSERVATIO LXII.
D. CAROLI RAYGERI,
De
MIRABILI QUADAM ODONTALGIA,
ET INNOXIA OPIATORUM CONTINUATIONE.

NObilis & honeſta fœmina à longo tempore valetudinaria, ob ſuppresſos menſes & regurgitationem ſangvinis ad ſuperiora, hæmorrhogiâ narium, quandoq; ſatis enormi, ſæpius afflicta, cum duritie laterum, inflatione ventriculi, pedumq; tumore, ante duos annos convenientibus tractata remediis, & inprimis ex *Acidularum Egranarum* uſu, penitus convaluit, & per integrum annum optime ſe habuit. Præteritâ autem æſtate ex mœſtitia & fletu largiori, dentium acquiſivit dolorem, quem uno vel altero medicamento adhibito ſuppresſit. Non multo poſt tamen recruduit malum, miris ſtipatum ſymptomatibus. Nam quotidie circa veſperam rediere dolores, quorum prodromus fuit materia quædam crasſa, viſcida, ſangvinolenta inter dentem caninum primumq; molarem in maxilla ſiniſtra ſuperiori effluens: hanc excepit limpidisſima pituita, continuo ſtillans, adeò copioſa ut vaſculum ſatis magnum impleverit, cum cruciatibus totâ nocte

nocte durantibus. Obſervavi, quo ſputum limpidius eò acriores fuisſe dolores; illo cesſante, remiſisſe etiam iſtos. Adhibui quæ concipere poteram, revellentia, repercutientia, appropriata, ſed omnia fruſtra. Nihil magis conduxit quam *Laudanum Opiatum*, quo dolores & fluxûs iſtius pituitæ ſuppresſi, ſomnusq; procuratus optimus. Dum hæc ita fiunt, in oculo ſiniſtro extrinſecus naturaliter conſtituto, omnia apparuere duplicata, ſine quidem dolore, ſed cum magnâ moleſtiâ: applicatis veſicatoriis reſtitutus viſus in integrum, quem tamen elapſis aliquot ſeptimanis penitus in eodem oculo amiſit, itidemq; exiguo temporis ſpatio elapſo recuperavit, perſeverantibus in eodem ſtatu doloribus. Dentes quos inter hæc materia effluxit ſine labe erant, alterum tamen eorum, quia vacillare videbatur, evelli curavi, absq; ullo emolumento. Tandem omnium pertæſa, ſolis, me licet quàm maximè disſvadente, inhæſit opiatis, ſumendo illa quotidie. Sic allevata Menſe Decembri *Viennam* concesſit, unde mihi ante ſex vel ſeptem ſeptimanas ſcripſit, quod in illum usq; diem quotidie antequam cubitum eat bolo ex granis tribus *Laudani cum Confect. Alkerm.* parato utatur, quo vel una vice omisſo, ſtatim percipiat dolores majores.

OBSERVATIO LXIII.
D. CAROLI RAYGERI,
De
Quibusdam In Dysenteria Observatis.

PRæteritâ æſtate, cœlo maximè æſtuoſo, per integrum Julium, Auguſtum, mediumq; Septembrem dyſenteria apud nos epidemialiter grasſata promiſcuè Senes cum Pueris corripiebat, nec paucos jugulabat. In quà ſequentia obſervare licuit. 1. More morborum epidemiorum multos

ſimul æqualiter ſine datâ cauſa invaſit. Nam licet aliàs flagrante Sirio apud nos dyſenteriæ aut alvi fluxûs non adeò infrequentes ſint, ſed ab uno vel altero ex eſu Peponum aliorumq; fructuum horæorum contrahantur: hâc tamen vice omnes indiſcriminatim, ſive fructus comederint ſive non, quin imò parvulos recensnatos, aut demum ablactatos invaſit; multos ex hauſtu aquæ frigidæ; quàm plurimos absq; ullâ prævià causâ acquiſivisſe recordor. 2. Infantibus quàm adultis pernicioſior fuit: Ex his quippe paucisſimi interiere, illi autem ſtatim in primordio vel circa nonum diem interemti ſunt. 3. Paucisſimi, dixerim prope nulli, qui nonum diem ſuperarunt mortui ſive parvuli ſive adulti. 4. Nulla tamen adfuit malignitas; Alexiteria namq; & ſudorifera nec profuere nec nocuere. 5. Quin potius qui ab initio ſtatim *Manna in decocto cort. Myrob. cit.* ſoluta aut *Rhabarbaro toſto* cum *iisdem Corticibus pulveriſatis* exhibito purgati, ſervati fuere omnes, quæ purgatio locum non invenisſet in malignitate. 6. Quos cum vomitu bilioſo invaſit, ægrè evaſere, juxta *Hipp. in Coac. dyſentericis vomitus bilioſus in principio malus.* Indicium ſiquidem, tonum ventriculi esſe læſum, illumq; compati inteſtinis *vid. Sennert. l. 3. p. 2. ſ. 2. c. 7.* Contra hunc tamen vomitum quandoq; cum fructu dedi *Balſamum Peruvianum cum Saccharo albo* vel *Magiſterio Corallorum* mixtum. 7. In quibusdam moribundis, inprimis adultis, obſervavi quandoq; viginti quatuor horis ante mortem, totalem tùm pulſûs tum caloris extinctionem, ſalvis ſenſibus, motuq; membrorum illæſo: refrigerationem autem iſtam non percipiebant, ſed potius de calore interno & ſiti inexplebili conquerebantur, ut manibus glaciei inſtar rigidisſimis ſubinde loca petierint frigidiora; ob inflammationem forte, & exinde contractum ſphacelum inteſtinorum. Hanc dyſenteriam Menſe Octobri excepit febrium quoddam genus ſingulis diebus inſtar tertianæ duplicis cum omnibus ſymptomati-

mati-

matibus, ſed paribus horis, invadens. Præter tamen morem Autumnalium, nec longæ, nec lethales erant, intra quatuordecim quippe dies evaſere omnes.

OBSERVATIO LXIV.
D. CAROLI RAYGERI,
De
PUELLA SINE CEREBRO VITALI.

DE Puero ſine Cerebro Pariſiis mortuo excluſo, & publice diſſecto Anno 1671. mentionem feci. Nunc ſubjungam Puellam itidem ſine cerebro, & cranio natam, ſed vitalem. Sub initium hujus Anni 1677. 3. Januarii mane inter ſecundam & tertiam, hic *Poſonii* in Suburbio nata Puella vivens, benè conformata, quoad corpus & cætera membra, ſine tamen cranio & cerebro, cujus loco habuit maſſam aliquam carneam in ſupremitate pulſantem, & neſcio quid ſeroſi ſtillantem. In lucem edita more infantum non vagiit, ſed vagitus loco quaſi ſtertens aliquot rhonchos duxit. De reliquo caput & membra in mea præſentia decenter movit, quin & immisſo ab obſtetrice digito in os, parum, ſed debiliter, ſuxit. Circa mediam noctem convulſionibus correpta epilepticis, prope eâdem horâ, quâ ante 24. horas nata, diem clauſit. Affirmarunt adſtantes, tam potentes habuisſe convulſiones, ut nunquam vehementiores viderint in adultis. Diſſecta poſt mortem caro illa parenchymatica, binos continuit ſinus inſtar ventriculorum cerebri, tota autem ejus ſubſtantia erat laxa, mollis, ſpongioſa. Spinalis medulla erat nulla, idq; quod in ſpina continebatur ſangvini concreto ſimile videbatur. Nervi optici juſto rubicundiores, oculis exertis & orbitâ in ſuperiori parte carentibus inſerebantur, ex illa maſſa carnea egredientes, ex qua etiam innumera alia hinc

inde ſpargebantur filamenta itidem rubicunda, nervos æmulantia, aut illorum locum & defectum ſupplentia. Similis planè eſt hiſtoria quam recenſet *Excell. Dn. D. WVepfer. Anno III. Eph. Cur. Obſ. 129.*

[*In literis Menſe Junio 1677. datis Poſonio Vratislaviam ad Ephem. Collectores*]

OBSERVATIO LXV.
D. DANIELIS LUDOVICI,
De
ANTIMONIO MARTIALI COMPENDIOSO.

EFficax & polychreſtum, certè Bezoartico Martiali vulgari ſimilibusq;, ſi participationem intuemur, ſaturatius hinc eſt medicamentum *Antimonium cachecticum* ſeu *Martiale*, quod è limaturâ martis purâ vel magneſiatâ & in crucibulo prius candefactâ præparatur, Antimonii pulveriſati anà ſuperinjiciendo, & poſt mixtionem, dum follis adjumento fluunt, rudicula continuo agitando, ne Regulus inde, ſed ſcoriæ-formis tantum maſſa prodeat: quæ exemta & pulverata cum nitri triplo detonatur, ac edulcatur, modo in Antimonio diaphoretico communiter uſitato: ceu iſtud in Pharmacevticis noſtris deſcripſimus; ſimulq; notavimus obſervabile edulcati pulveris ſuperpondium, à ſolis vulcani effluviis, arreptisve poſtliminio ab extremè (per calcinationem) exhauſto corpore aquoſis particulis, vel abſorptâ ſenſim inter agitandum rudiculæ portione in ſolidum vix deducendum. Si cui tamen hæc in ſcorias reductio tædioſior, aut ſecedentis forſan Reguli cauſa incertior habita fuerit, erit hic compendium: ſi ſcilicet limatura martis, à venereis aliisq; quisquiliis Magnetis ope ſequeſtrata, aliterve ſat pura, cum anà Antimonii boni pulverati, (ponamus utriusq; ſeorſim uncias tres,) probè miſceatur, productumq; hoc

hoc denuò cum nitri pulveriſati triplo: (quod erit hìc octodecim unciarum.) Tum exacta hæc mixtura per ſucceſſivas, ut in Antimonio diaphoretico, ingeſtiones in olla aut crucibulo, ſaltem vulgatioris argillæ, ſed (ob validas ebullitiones) capaciſſimo ac prius candefacto, ritè, continuatisq; per rudiculam ſubactionibus, detonetur, relictaq; maſſa, (rejectis tamen circa oras crucibuli ſcoriis quibusdam minus calcinatis, ſurgentibusq; ſimul floribus Antimonii infectis,) elutrietur & edulcoretur; remanente quidem Martis non adeo reſoluti parte: (unde etiam uncia ſemis vel una ejus omitti forſan poſſet;) reliquo tamen Antimonio inter ſubitaneum iſtum conflictum vel congreſſum ſufficientiſſimè hinc ſaturato; ut nec colore nec effectu à ſupradicto paulo operoſiori differat; & in Eryſipelate, Cachexiis, Ictero, ipſâ Dyſenteriâ malignâ præcipue, &c. quod methodica cum aliis applicatio promittit, profecto ſufficienter præſtet.

OBSERVATIO LXVI.

D. DANIELIS LUDOVICI,

Tentamina Circa Majorem Olei Rosarum Veri Copiam.

Quod Roſæ, utut fragrantiſſimæ, etiam diverſimodè tentatæ, parum tamen dent olei, hodieq; paſſim querimur. Additis quoq; ſecundum recentiorum quorundam præſcriptum antheris, ſuperpondium nihilominus perquam eſt exiguum. E ſalitis citius tardiusve deſtillatis, ſimiliter adſcendit pauxillum, inſtar Aniſi ſemi-congelatum, mediocris (vel Rhodini non falſati collatione) fragrantiæ; ceu *Sala* quoq; minus hinc id æſtimavit. Fermentatæ (per ſe, vel cum ſacchari non refinati ſuboctuplo,) ſpiritum quidem fragrantiſſimum, oleum verò ſubſequens dant pauciſſimum: nec

operæ pretium inveniet, qui ſuper rectificati ſpiritus reſiduo, ceu in gravioribus aliis quibusdam contingit, quærit pluſculum. Spiritui vini ſimpliciter (etiam à magna roſarum copia) abſtracto, (Lilia tamen convallium, in propinquo, ferê magis quàm roſas ſpiranti,) ſi ſubſequum phlegma accedat, aliquid ſed turbidiori hinc ſupernatat; verùm & hoc exiguum eſt. Per ſpiritum ſalis olim, ſecundum *Furni Glauberiani I. caput VII.* odoram ſaltim aquam acidulam, cum ſupernatante tandem quaſi aranearum tela, tam ê ſemi-quàm totaliter (curioſê tamen ſatis) ſiccatis habuimus. Odoratiorem adhuc per roris continuatum intenſumq; balneum; at nihil amplius. Interea nihilominus Roſæ, quævis etiam, oleo in ſe affluunt; ceu ſub primordiis laborum, aquæ pro roſaceæ deſtillatione affundendæ aliquando obliti, & inde liquorem primò perquàm odorum, hinc autem oleum empyreumaticum copioſiſſimum per veſicam nacti, fortuita obſervatione tunc didicimus; atq; proceſſus inſuper oſtendit, quo recentiorum quoq; aliqui oleum, & ex eo Eſſentiam cardiacam (per ſpiritus & ſalis proprii mixturam) proponunt; ê cornutâ ſimilive vaſe totum deſtillando, oleoſitatemq; ab empyreumate, repetitis ſuper alcali quoddam, (aut operoſius ipſum proprium,) vel ſuper caput mortuum vitrioli abſtractionibus prius liberando; nobis ſingulariori forſan enchiriſi feliciores, qui ſemper & repetitò quoq; clarius & minus quidem olens, olens tamen, (etiam Rhodino ſuperaddito) habuimus. Num itaq; per extractionem tandem, ſecundum allegati *Furni c. II.* modum, in oleoſioribus nonnullis aromaticis aliquid interdum (forſan autem non ſine complicati olei vini aſſociatione) ſeparantem experiri tum temporis placuit. Atq; hinc Roſarum ſelectiſſimarum moderateq; ſub fragrantiæ vigore ſiccatarum ℔ j. cum rectificatiſſimi ſpiritus vini ferê decuplo digeſſimus, liquori ſaturatiſſimo ℔ j. ſpiritus ſalis poſt filtrationem ſuperinfudimus; ſed

neq;

neq; digerendo quidpiam ſupernatavit, neq; poſt abſtractionem ſpiritus (qui acidulus erat inſtar aquæ temperatæ, & deflagrans, phlegma aliquantum roſas redolens relinquebat,) oleoſi aliquid alicubi apparuit: ſaltim in fundo magiſterii reſinoſi ℥j. aut paulo amplius ſubſidebat, parum tamen roſacea; ut tædio & paucitate moti ulterius per veſicam aliterve tentare magma illud noluerimus. Referre verò hæc placuit, ut exercitatiores moveant modum mage ſufficientem communicandi. Sed & deviationum ſeu fruſtrationum recenſio ſua habet commoda; fereq; credimus myſteriorum maximum iſtud longe explanatius hucusq; fieri potuisſe, ſi quivis in perveſtigationem ejus occupatior, errores infelicioresq; ſuos (circa materiam enchiriſesq;) ſuccesſus publico retulisſet: æque ac ê partium morbis inter Praxin multa nonnunquam colligimus aut deducimus, quæ uſum earum, conductus, communicationes, &c. longè melius illuſtrant vel evincunt, quàm puræ (citra talem obliqui collationem) ſpeculationes, præſertim ê Traditionum præſuppoſitis.

OBSERVATIO LXVII.
D. DANIELIS LUDOVICI,
De
APUM ICTU.

CUm de axe, Sereniſſimo cuidam haut ita pridem ſub continua citatioriq; vectura accenſo, cum amicorum aliquo contulisſemus, ac conſequenter confrictorum in America lignorum & arundinum, ſcintillarum illiſo ſacchari fruſtis piſtillo, ſimiliumq; fieret mentio, vulgarium quoq; ſcintillarum iconem oſtenſuri, *Ephemeridum Gallicarum* latinam verſionem evolvimus; & cum ſub continuatione lectionis etiam de aculeo muſcarum (uti verba habent) quædam occur-

occurrerent, in nomine iſto tantiſper hæſitantibus, occaſione ſic datâ incidit, quod olim in apibus hunc in finem obſervaveramus; & dum Exterorum Curioſi circa eas libelli nondum ad nos pervenerunt, referri hic poſſe putavimus.

Quidnam proin esſet, quod præter ſimplicem inſufficientemq; ſic ictum, ſubitaneum iſtum exquiſitisſimumq; dolorem, cum ſubſequo & ad alterum ſæpe diem (in calidioribus præcipuè ſubjectis,) extenſo tumore, (planè nonnunquam eryſipelatode) excitaret, paulò planius reſcire conati, (præſertim quia bullulas quasdam in aculei irritatorum oleoq; merſorum ſcorpionum extremitate interdum notaveramus;) arreptas (prout obferebantur) alarum intermedio apes ictum ungvi pollicis intentare adegimus; quò aliæ ſtatim, aliæ (an reſiſtentiam percipientes?) poſt tertiam demum vel quartam adactionem cum ictu guttulam illic depoſuere, ſaporis admodum mordacis & excesſivi, ut aquæ regiæ vel ſolutionis ſublimati quidpiam lingvæ incidisſe videretur; idq; per horam unam alteramve: tumultu, ſi hujuscemodi liquamen quaſi ſemitoxicum ſangvini communicetur, facile hinc concipiendo: ſive urinoſi quid ſit, ſive peculiaris generis excrementum, quod non ſine conatu (unde aculeus interdum infixus cum appenſi, ad inteſtinulum, utriculi parte remanet,) cuti injicitur, aut in fruſtraneis ictibus inſtar bullulæ per ſpiculi extremitatem erumpit: ceu intentior intuitus, & poſt evulſionem concavi iſtius & ſenſim in indurationem aculeumq; (velut urticæ ſpicula) abeuntis utriculi conſideratio, deprehenſaq; olim in ſcorpionibus conformis, ab *Illuſtriſſ.* vero *Rhedi* adhuc planius certiusq; nuper in Experimentis ſuis demonſtrata excretio, item exiguarum illarum ſangviſugarum culicum proboſcis, haut parvam ſangvinis è cute guttam ſubducens ac transmittens, ſatis oſtendit: niſi forſan quis ex eo, quod nec mediocri microſcopio meatus aliquis per dictum aculeum

obſervari queat, & fuci quoq; tale quidpiam, (ſed profectò longê remisſius) deponant, extus ſaltem circumcirca allini, ac per alternativam iſtam citisſimamq; retractionem & exertionem hinc ad extremitatem quaſi propelli judicaverit.

OBSERVATIO LXVIII.
D. DANIELIS LUDOVICI,
De
DORMITIONE PUELLÆ QUASI LUCUMORIANA.

LUcumoriæ gentis hyematio, inter mucum & nives à 27. Novembr. ad usq; 24. Aprilis extenſa, jam tum verò ab ipſo *Illuſtr. Barone Herberſtenio*, (relata ſaltem referente) *p. 90.* expreſsè pro fabula habita, nec aliter ante quadriennium à Magni Moſchoviæ Imperatoris ad Serenisſimum noſtrum Legato æſtimata, planius autem nuper quoq; ab *Excellentisſ. Dn. D. Pechlino c. 6. de Aëris & Alimenti defectu* deducta, nihilominus in memoriam nobis revocavit conforme ferè, quamvis brevioris periodi exemplum, ſuperioribus annis in quodam territorii hujus pago notatum, relatu forſan haud indignum. Puella præterpropter octennis, (cui pro more domi durus pater, quia injuſta noverca,) pugnis prius probè dedolata mittebatur ad merendam patri bubulco deferendam. Eſuriens panem adoritur, pauloq; poſt ſemeſum videns, verbera denuo verita, proximum nemuſculum ingreditur, & prona concidens inter lachrymas atq; ſuſpiria, facie muſco undiq; merſa obdormiſcit. Deſiderata, quæſita, tandem pro deperdita eſt habita usq; ad diem ſeptimum; quo quidam ejusdem pagi pueri eò venêre, pedicas aviculis autumnali tum tempore paraturi. Vident ex arbuſto quodam dependens ſubrepentis puellæ

P peplum,

peplum, noſcuntque: paulo ulterius progresſi ipſam inveniunt pronam cum panis ad latus fruſto, mortuamq; rati parentibus nunciant: accurrunt iſti, & in pagi proximam domum, ubi cum affine fortê fortuna aderamus, deportant. Artus omnes adhuc molles flexilesq;, reſpiratio verò ad ſenſum nulla, facies glutinoſa pituita, muſco deciduisq; foliis intermixta totaliter obducta, os naresq; undiq; muco crasſisſimo oppleta. Corpus nihilominus frictionibus & fornacis ope poſtliminio calefieri, velamen illud mucoſisſimum calidâ removeri, & viſcidum in ore naribusq; coagulum eximi curavimus: hinc ſpiritus vini cochlear, quia aliud ad manum non erat, infudimus, qui deſcendere videbatur; repetitionem ejus ſuſpirium ſequebatur; poſt tertium cochlear aperiebat oculos, per horas tamen aliquot adhuc inſtar attonitæ jacens, donec recollectis paulo magis viribus ſupramemorata, & quod lachrymis ſuperindormierit, referret: amplius nil norat. Haut ita pridem adhuc vixit, ſed in actionibus animalibus obtuſior; ſeu hinc, ſeu parentum inſtar, aut per utrumq;.

Addamus autem huic conſimilem obſervationem, ex alio tamen capite. Puer ſeptem vel octo annorum variolis hìc grasſantibus aliquando corripiebatur: cumq; eruptio jam inſtaret, impatientisſimo cochlearia duo vel planê tria haud mediocria, de *ſirupo papav.* (forſan ex immaturisſimis parato) vicinæ ſvaſu dedit mater. Indormivit brevi poſt ille, ore plerumq; hiante, calore tolerabili ſatis, pulſuq; pro morbi ratione ſat conſtante. Potum interea & jurulenta, tandem etiam medicamenta liquida, (cùm parentes continuatione ſomnolentiæ perterriti me vocasſent,) lentê deglutiebat; cætera inclamantes palpebrasve diducentes haut advertens, nec manu voceve ſignum perceptionis reddens. Jacuit ita ferê per quintiduum, ubi ſuppuratarum forſan variolarum ardore ſuperatus ſenſim ad ſe & actionum animalium munia redire

cepit,

cepit, brevi poſt integræ valetudini reſtitutus, citra reſiduæ cujusdam ſtupiditatis notam. De cætero, ſi cum judicio, debita proportione & Bezoarticorum conſociatione fit, equidem non eſt de nihilo, ſed præſentanei planè ſubſidii opiatorum ſub tempore eruptionis, (ab inquietudine Patientis, inter nimiam confuſamq; ſangvinis efferveſcentiam impeditæ,) accesſus; admodum tamen accidus, ad decimam, octavam, ſextam, quartamve doſis Tincturæ vel Pulveris anodyni, (pro ætatis ratione) partem, ſemper ſi pote, alexipharmacis temperatam: ceu ſane parili ratione ſub ipſa talium aliarumq; Malignarum (cum vomitu profluviisq;) invaſione plus proficitur una vice, quàm ſiſtentium roborantiumq;, (in ſe fermentante acrimonia magis irritantium) mixturarum, juleporum &c. congiis. Noſtro verò huic dormitatori, circa tertium vocati, bis tantum *Tinct. Bezoarticam ammoniacalem*, guttis aliquot *Eſſ. caſtorei* ſociatam, & in potu *ſpir. ſalis* è muria ſpontaneè inſpisſata ſubtiliorem dedimus; ſicq; ſucceſſivè ſe recollegit.

Dubitamus autem num referre huc liceat, cùm incideret, ridiculam variolarum aliquando in Nigritis curam, nec diligentisſimo in his *J. Bontio*, nec aliis, (quod recordemur) itinerariis diariisq; notatam; quam vir probe hìc notus, bonæ fidei & à nugis perquàm alienus, præſente non uno Sereniſſimi Regiminis Conſiliario, magnâ conteſtatione, cauſamq; ſimul rogans, inter alia orientalia recenſuit. In *Javæ Novâ Battaviâ*, ubi tùm mancipiis quoq; plurimis dives vixerat, variolæ ab Europeorum, ni fallimur, novellis quibusdam etiam ad Æthiopes ibi pervenerunt, periereq; ipſi quoq; hujuscemodi ſervorum haut pauci. Conterranei eorum accurrentes quæſivere, cur morbo haut tanti momenti obierint? Ille: ſibi hoc longè esſe perniciosius; de cætero nil fecisſe reliqui; medicamentorum ſatis oblatum &c. Petierunt hi, ut ſi denuo è ſociis quispiam corriperetur, notum faceret. Invaſit affectus

ctus poſtero die duos; quos in ipſo febrili fervore ſublatos in proximum Civitati profluentem merſere: ſecundo lacticinium oxygalæ noſtrati conforme; tertio acetarium è cucumeribus, quaſi noſtro more paratum, utrumq; liberalius asſumere adegerunt: quarto imminentis eruptionis die denuo in profluente merſos ſtragulis ſuis, uti ſemper, repoſuerunt facilem morbi decurſum pasſos, breviq; cum ſubſequis omnibus ea methodo (quam enixæ quoq; ac puerperæ in Africa ac Aſia ex parte ſequuntur,) reſtitutos: ſaltim quod ob perſiſtentia ſubalbidaq; variolarum veſtigia reliquis immunibus, (æque ac ejusdem Æthiopisſa, per totum corporis latus fervidâ perfuſa, poſt ſanationem quaſi dividua,) aliquandiu fuerint deridiculo. Interea rebus ſic ſtantibus, causſam rogati, putavimus forſan nimiis diaphoreticis ad noſtrorum tractuum normam, ſub eo climate eoq; Nigritarum temperamento ac conditione adhibitis, ſangvinis inconditum fervorem (quem miſera mancipia moderatâ ibi attemperatione, intus ac extus, ad faciliorem ſecretionem, vel noſtratium fermentantium liquorum ſemiexemplo ſic interea diſpoſuerunt,) fuisſe eo magis exaltatum, ut mors anticipando quaſi facilè ſupervenire potuerit: æquè ac complures fortasſe puſiones terræ cedunt nimiâ illa cubiculorum exæſtuatione, potûs denegatione vel calefactione, expulſivorum anticipatione, multitudine, inordinatione, refectivorum juleporum, aquarum perlatarum &c. ingurgitatione &c. qui cæteris paribus, vel ruſticorum exemplo, parciori conſideratioriq; medicatione forſan ſervari potuisſent; ante eruptionem ſc. nil aut parum ſaltem, per abſorbentia bezoartica fixiora, (ni malignitas, vomitus, diarrhææ ſubtilius cum anodyni tantillo exegerint) movendo; expulſionem poſtmodum volatilioribus (ſolitariis, aut dicto modo exaltatis) ſemel aut bis, hinc fixioribus denuo adjuvando, circa nonum vel undecimum novas interdum exacerbationes acciſa *tinct. bezoar-*

tica

ticæ mixturæve ſimpl. doſi moderatioribusve infringendo, reliquum per vulgatisſima præcipitantia (mixto interea potui *ſpiritu Salis* ſubtiliori, *clisſo* &c.) tranſigendo, non neglecto poſt recollectionem laxativo. Quæ incipientium ſaltem gratia notare voluimus.

OBSERVATIO LXIX.
D. DANIELIS LUDOVICI,
Ad
PARTUS SEPTIMESTRES ANNOTATIO.

INtra paucorum Annorum decurſum vel decem ſcimus, quæ nobis, uxori, aut necesſariis noſtris, copulam ante copulationem, (illecebris imò minis quandoq; ſic ab amaſiis ſeductæ) fasſæ ſunt; riſeruntq; tacite in ſinu Judiciorum, (id quod ſecundum quid hic dictum fuerat, ſimpliciter nonnunquam accipientium) abſolutiones; dum octimeſtres interea & adhuc recentiores nihilominus durius haberentur. Homo eſt animal ſociabile; & ſi Reſpublicæ ex hoc fundamento naſcuntur, quidni & Puellus? Faciunt & non dicunt; æquè ac alii dicunt & non faciunt. Quot novimus ab obſtetrice ſocruve ſua objurgatos, quod puerperas, nec ſub primis fervoribus renitentes, vel tertio quartove die nimium & ultra ſcamna amaverint? Sanè haut ita pridem hyſterica pruriensq; vidua laudi ſibi ducebat, decimo tertio anno peperisſe, & hinc ni fallimur ſepties non niſi per ſeptimanas plerasq; gravidam, prima vota pro puerperarum more ſolvisſe. Septimeſtris partus ſuo modo quaſi quidam adhuc abortus eſt; & uti bruta, præſertim quæ uno actu dieve implentur, ordinarium tempus in paucis ſaltem diebus interdum præveniunt; uti revera ultra decimeſtres plerumq; ſingulare, abjectum aut ex adverſo excesſivum quid habent: ita revera-ſeptimeſtres, quos quidem

vidimus, octimeſtribus (quibus tamen id citra contradictionem conceditur,) adhuc magis langvent, in ſe conquiniſcunt, & ad ſtatum usq; tempus ſingulari plerumq; diligentia refocillari poſtulant, nonnunquam inſuper in perfectionis conſummatione aliquantulum deficientes, aut aliàs debiliores, valetudinarii, brevioriſve vitæ. Sed hæc nihilominus tanquam quæ ut plurimum, & inprimis modificationis penitioriſq; inquiſitionis cauſſa, circa publicas illas cenſuras, tantiſper dicta ſunto: ſalvo confirmatiorum judicio, ſalvoq; quod ajunt, errore calculi; quem obſtetrices etiam neogamis nimis quandoq; levant, dum conjugio adſvetis illa duarum ſeptimanarum anticipatio facilius applicetur.

[*Die 24. Junii 1677. Gothâ Vratiſlaviam ad Collectores Ephemeridum.*]

OBSERVATIO LXX.
D. NICOLAI GVILIELMI BECKERS,
De
COLICA A CALCULIS.

DEſperatæ valetudinis ſenem pluribus annis poſt modica corporis exercitia atroci inteſtinorum dolore cruciatum, & variis ad Colicam facientibus remediis defatigatum, Colica non humorali, neq; flatulenta, uti plures opinati, aſt, autoritate *Julii Cæſaris Scaligeri, Gvainerii* ac *Benivenii de abdit. Morb. cauſis* Pſeudo-Colica, â calculis anfractibus inteſtinorum inhærentibus, laborare conjecturatus, communioribusve nihil proficientibus, *emulſione therebintinata* cum *decocto Foreſti parata & ſucco citri* acuata, ac *clyſteribus ex ſagapeno & bdellio* in *decocto emolliente disſolutis*, quatuordecim, avellanam mediocrem adæquantes muco viſcoſo oblinitos eliminavi Calculos, bonumq; Senem â diris cruciatibus liberavi. Calculos illos in inteſtinis genitos eſſe, quia colore,

pon-

pondere & figurâ à Choledochi lapillis diſtincti, arbitratus ſum. Etenim cum ab *Ariſtotele*, Philoſ. parente, *Hippocrate*, *Galeno*, *Avenzoar*, *Marcello Donato*, *Zacuto Luſitano*, *Capivaccio*, *Foreſto*, *Fernelio*, *Platero*, *Paræo*, *Schenckio*, *Sennerto*, *Bartholino*, aliisve noſtri temporis, in cerebro, aſperâ arteriâ, pectore, ſtomacho, hepate, liene, meſenterio, utero ac articulis æquè benè ac in renibus & veſicâ calculi obſervati: id circo nullam, cur, poſita viſcosâ, quâ inteſtina abundant pituitâ, veluti causâ materiali, & calore eorundem tâm innato quàm adſcititio ut efficiente, vel ſecundum Neotericos mucilaginoſo, quo referta, tartaro, accedente ſpiritu lapidifico, Calculi in anfractibus inteſtinorum generari nequeant, adesſe video implicantiam.

OBSERVATIO LXXI.
D. NICOLAI GVILIELMI BECKERS, De Convulsione Admiranda.

Virguncula decennis à fulgure & tempeſtate conterrita, tâm vehementibus brachii ac cruris ſiniſtri correpta eſt convulſionibus, ut neutiquam ab asſiſtentibus contineri posſet, ſed mentis compos alteri innixa cruri cubiculi penes parietes diſcurrere cogeretur: per venæ ſectionem autem, aliaq; anti-convulſoria ab iisdem vindicata eſt. Quod concitatiori gresſu per cubiculum diſcurrerit, nemini mirum videatur; nam ſicuti *Avicen. Sententia Prim. 3. tract. 5. cap. 8.* ubi ait, imposſibile esſe hominem Epilepſiâ detentum erecto posſe permanere corpore, verisſima eſt: ita illa *Galeni*, l. *de Sympt. cauſ.* ubi nullum in convulſione functionum principum fieri nocumentum docet, intaminata manet atq; ſtabilita, per *Marcellum Donatum*, qui Convulſum non cadentem; *Benivenium*, qui

qui ſtantem; *Dodonæum* qui ſedentem; & *Eraſtum* qui curſitantem obſervavit.

OBSERVATIO LXXII.

D. NICOLAI GVILIELMI BECKERS,

De

HÆMICRANIA ARTERIOTOMIA SPONTANEA CURATA.

TEmperaturæ calidioris, ac rarioris corporis habitûs, annorum ſeptendecim, Mulierculæ, hæmicraniâ circa menſtruorum tempus biliosâ afflictæ, & per eorundem effluvium curatæ, ſecundo geſtationis uteri menſe recurrente hæmicraniâ, in Crotaphitâ lateris dextri, cruſtulâ ſuper arteria exortâ, arteria ſponte adaperta eſt, & ſangvinis primô tenuioris ſubflavi uncias quinq;, dein totidem circiter atri evomuit: coaluit arteria & patiens convaluit. Ex quibus non tantum *Hippocratis* variis in locis Naturam morborum medicatricem esſe docentis, ſententia, quam *2. de morb.* de ſuperevomitu venarum tulit; ſed & *Galeni Lib. de cur. per ſangv. miſſ. Andreæ Laurentii, Paræi, Veſalii* & aliorum, qui in hæmicraniis contumacioribus arteriotomiam, ratione non minus quàm experientia edocti conſulunt, doctrina confirmatur.

OBSERVATIO LXXIII.

D. NICOLAI GVILIELMI BECKERS,

De

ANASARCA PER ABSCESSUS TERMINATA.

INgenuus annorum viginti Adoleſcens, poſt inordinatam victus rationem & largiorem aquæ potum, Levcophlegmatia correptus, atq; juxta *Hippocratis* Decretum *Lib. de inter. affect.*

affect. hydragogis, diætâ exſiccante & hepar roborantibus, quinq; menſibus tractatus eſt. Tandem Natura à crudorum humorum ſaburrâ quadantenus ſublevata, reſiduam cauſam morbificam à centro ad circumferentiam propellens, quinq; magnos diverſis in locis produxit abſceſſus, quibus ſuppuratis, & ultra libras tredecim materiæ purulentæ effundentibus Adoleſcens reſtitutus eſt.

OBSERVATIO LXXIV.
D. NICOLAI GVILIELMI BECKERS, De HEPATITE VOMITU CURATA.

Mulier, quintum completura clymactericum, inflammatione hepatis cum tuſſiculâ ſiccâ, ſpirandi difficultate & pungitivo in hypochondrio dextro laborans dolore, phlebotomiis aliisve non obſtantibus remediis, juxta effatum *Hippocratis 4. Acut.* eodem in latere ſuppurata eſt, atq; quadrageſima die puris craſſioris ſangvine ſtriati libras ſex ſponte evomuit & convaluit.

OBSERVATIO LXXV.
D. NICOLAI GVILIELMI BECKERS, De ASCARIDIBUS UTERI.

Vetula ſeptuagenaria, ſalaciori quondam *Meſſalinæ* non abſimilis,

Quæ reſupina jacens multorum abſorbuit ictus,
Et laſſata viris nec dum ſatiata receſſit,

labiorum ac colli uteri pruritu intolerabili laborabat. Evacuata primùm, hinc *Clyſteribus uterinis* primò ex *abrotano* & *lacte*, dein *abſint.* ac *tanaceto* metrenchytâ applicatis, ingentem, potiori

tiori ex parte adhuc viventium, ex utero Aſcaridum excrevit turmam, & à pruritu liberata eſt.

[*In literis d. 20. Julii 1677. Viennâ Vratislaviam ad Collectores Ephem. datis.*]

OBSERVATIO LXXVI.
D. DANIELIS ANGELI,
De
ABUSU TABACI.

FOEmina quædam, nomine *Maria Antonia*, annorum circiter triginta, temperamenti maximè ad bilioſum inclinantis, è Communi Paderni oriunda, unde lucidus lapis habetur, *Bononiam* venit, ubi nullâ ſervatâ victûs ratione, liberè genio ſuo indulgens, incidit fortè in *Tabacum* ſeu Nicotianam, cujus ſapore, neſcio quî, adeo ſtatim ineſcata eſt, ut ſpatio duarum ſeptimanarum ejusdem in funem contorti *ulnas tres cum ſemiſſe* maſticando abſumſerit. Contractâ hâc ratione ſangvinis dyſcraſiâ, cordisq; ac cerebri Regiâ tetris tabaci fuliginibus infectâ, adeoq; ſpiritibus turbatis, mox ſub initium æſtatis febre ardente corripitur, cum inſigni præcordiorum anguſtiâ, cordis palpitatione, virium langvore, motibus convulſivis, ventriculi & capitis dolore, maximaq; faucium ac tonſillarum inflammatione: aderat item quædam mentis commotio, quâ meditabunda ſemper, quandoq; etiam ferè attonita jacebat; ita quidem, ut propter ſymptomatum vehementiam jam jam animam videretur exhalatura. Vocatus ego in auxilium, ſtatim, præmiſſo de ancipiti eventu prognoſtico, liquoribus cordialibus internè æquè exhibitis, ac externè cordis ac pulſuum regioni applicatis, vires refocillare tentavi: mox paullò ad ſe redeunte meliusq; habente ægrâ, cholagogo humores peccantes, ori ventriculi, præcordiis, primisq; viis inhæ-

inhærentes eliminavi: cujus ope magnam nigricantium humorum copiam ἄνω καὶ κάτω, non ſine evidenti allevatione, excrevit. Tertio die elapſo, baſilicam brachii dextri, non tàm evacuationis quam ventilationis gratiâ, ſecari curavi, quò ſcilicet vapores tetri, cor adhuc opprimentes, quodammodo disſiparentur. Sequentibus diebus ad profligandam penitus malignitatem alexipharmaca ſudorifera, ſpecifica & appropriata exhibui: ſimulq; inflammationi faucium & tonſillarum *mucilagine ſeminum cydoniorum, malvæ, pſillii*, cum *aquâ plantaginis* & *ſempervivi majoris* extractâ, cui *ſyrupus violaceus* & *ſal prunellæ* miſcebatur; nec non gargariſmo ex *decocto hordei* cum *rad. tormentillæ, biſtortæ, fol. ſalviæ, hysſopi, rutæ, mell. roſat &c.* parato obviam ivi. Sic fœmina hæc ex orci faucibus, DEO annuente, erepta, ac priſtinæ ſanitati reddita, Tabacum (ſexui fœmineo ſponte ſuâ aliâs abominabile) voto ſolemni abjuravit.

OBSERVATIO LXXVII.
D. DANIELIS ANGELI,
De
Tumore Brachii Ex Scabie Retropulsa.

SCulptor quidam, juvenis robuſtus, nomine *Paulus Olmetus*, Mediolanenſis, Annos XXVII. circiter natus, temperamenti ſangvineo-bilioſi, cùm moleſtisſimum ſibi affectum, Scabiem, fœditate non minus quàm pruritu intolerabili eum vexantem, ungvento quodam (Balſaminum vocant,) hydrargyrico curare vellet; incidit in febrem peracutam, cum inſigni capitis & brachii dextri dolore, perpendiculariter ad extremitates digitorum usq; ſe extendente, nec non tumore ſublivido inflammatorio, puſtulis hinc inde ſtipato fermê cadave-

daveroſis, indies in majorem molem ſurgente motumq; brachii prorſus inhibente. Accerſitus ego, atq; rem ut acta erat, percipiens, causſam hujus mali aliam non esſe judicavi, quam motum naturæ impeditum. Quippe materia morbifica, quâ masſa ſangvinis aggravata fuerat, per lymphæ ductûs ad ſuperficiem ac poros corporis protruſa, inunctione illâ intempeſtivâ, non prius decenter evacuato corpore, fuit retropulſa; quæ verſus partes principes ruens, rigores & febrim; ac intra vaſa lymphatica glandulasq; reſtagnans, mole & acredine ſuâ partes diſtendens, ac lancinans, tumorem brachii, hujusq; ac capitis dolores illos facilè producebat. Curam ergo ab enemate ventrem laxante orſus ſum, mox phlebotomiam in parte oppoſitâ adminiſtravi; hinc alterantibus levioribusq; pharmacis, præcipuê catharticis, ſangvinem purificantibus inſtiti, ac tandem ad propellenda miaſmata corruptiva virulenta ſudoriferum exhibui, ex *antimonio diaphoretico fixo, aquâ bezoarticâ. rohob ſambuci, & mixturâ de tribus*, compoſitum. Intereà, dum hæc internê adminiſtrantur, tumori topicum ex *lacte caprino, medullâ panis triticei, oleo lumbr.* & *ovi vitello* tepidè applicatum eſt, nec non lac virginis, ex *lythargyro, alumine crudo, myrrha, aceto roſarum* & *vino rubro* paratum: quorum ope mordicans ablatus eſt humor, totius brachii epidermide abſcedente, ac digitorum ungvibus cadentibus. Sicq; æger exactâ victûs ratione ſervatâ, divinâ gratiâ favente, à periculoſo iſto brachii tumore, jamjam gangrænam ac ſphacelum minitante, liber, ac priſtinæ ſanitati reſtitutus, ad opera ſua artificioſa lætus rediit. Malè itaq; ſibi conſulunt illi, qui ſcabiem intempeſtivo ungventorum illitu, non præmiſsâ corporis purgatione, ſanare nituntur. Cum enim ab inunctione tali cutis pori claudantur, & latex bilioſus acer, quem natura foras ejicere contendit, è glandulis cutaneis intrò pellatur, regurgitansq; fermenteſcat, corrumpi ſangvinem, & infici nerveum ſuccum, hincq;

varios

varios morbos, & varia ſequi morborum ſymptomata neceſſe eſt.

OBSERVATIO LXXVIII.
D. DANIEIS ANGELI,
De
Bubonibus Venereis Inunctione Retropulsis.

ADoleſcens quidam, Veneri maximè deditus, cum in hujus caſtris ſtrenuè ſatis militasſet, dolore correptus & tumore inflammatorio in utroq; ingvine, ab initio quidem non admodum gravi, partem affectam (neſcio cujus ſvaſu) inunxit *oleo olivarum, nymphææ* &c. quo tumor & dolor ſublatus eſt. Verum induciæ erant, hoſte mox ferociùs ingruente: fermentum quippe luis Gallicæ, quod in impuro concubitu à partium genitalium meatibus apertis ac dilatatis hauſtum, perq; venas proximas ad majores & hepar delatum masſam ſangvinis & tandem ſuccum nerveum quoq; inficiens, à naturâ, ut partes nobiles conſervet, cum pravis inde ortis humoribus ad loca hæcce propellitur, ac in bubones abit, ſi hiſce non ſuppuratis in vaſa retrogredi contigerit, vagis utplurimum doloribus impuros hoſce milites excrucians enervat atq; elumbes reddit. Id quod etiam huic noſtro paullò poſt contigit, quippe qui dolores modo capitis cum ophthalmiâ, modo brachiorum pedumve, ipſa perioſtia occupantes, perſenſit adeò graves, ut dies noctesq; clamoribus ac lamentis transegerit. Adverſus dolores hoſce per aliquot ſeptimanas ab homine quodam, ſpem quidem amplam faciente, ſed rudi & artis planè imperito, nullâ præmiſsâ corporis evacuatione, decoctum quoddam hydroticum propinatum eſt, ſine tamen fructu: quin potius, cum nec urinæ nec ſudores ſuccederent,

decocto in habitu corporis reſtante, tota ejus œconomia adeo perverſa eſt, ut in præcipitem atrophiam inſignemq; contabeſcentiam rueret. Ad tantam ergo redactus miſeriam ægrotus, me tandem vocari jusſit, & præter alia ingentem ſcroti tumorem œdematoſum, caput pueri facile æquantem oſtendit; & ut vel extremum tandem malo remedium adhiberem obnixè rogavit. Ratum mihi viſum eſt, curam ab inciſione ſcroti, antequam alia remediorum genera adhiberem, ordiri; quam, licet periculo non vacare oſtenderem, ægrotus tamen experiri maluit, quàm vitam adeò miſeram tot inter tormenta diutius trahere. Aperuimus itaq; ſcrotum, ut in herniâ aquosâ moris eſt, in parte inferiori, acuq; filum ſericum grosſius ducente trajecimus, inſtrumento chirurgico, ne membrana erythroidea læderetur, teſtes ſurſum attollentes. Aperto tumore, mox humor guttatim exſtillavit, tenuis albus, ſerum lactis referens: poſt paucos dies, ſcroto notabiliter detumeſcente, illud linteo multiplici ſpiritu vini myrrhiſato fovimus, quo latex ſeroſus citius erumperet; fomento hoc aliquandiu continuato, tumor ſcroti turgens prorſus evanuit. Hydragoga itaq; blandiora ad uſum vocavimus, interq; alia vinum abſinthites chalibeatum, ex *ſummit. abſinthii Pontici, gratiolâ, ſoldanellâ, centaur. min. rad. quinq; aperient. maj. ireos, polypod. Jalappæ, mechoac. turbith, hermodact. fol. ſennæ, bacc. juniperi, cinamomo, galangâ, calamo aromatico, ſem. aniſi, fœniculi, carvi, tartaro albo, chalybe limato,* conſtante, optimo cum ſuccesſu adhibuimus, ac æger, qui ſupernè totus emaciatus, infernè vero tumefactus erat, ſenſim convaleſcebat, & nunc dum hæc ſcribo, floridus ac vegetus, integrâ ſanitate fruitur.

[*Bononiâ Vratislaviam ad Ephem. Collect. Anno 1677. Menſe Julio.*]

OBSER-

OBSERVATIO LXXIX.

D. JOH. SIGISMUNDI ELSHOLTII, De AQUA RUBICUNDA FOSSÆ BEROLINENSIS.

I. Hiſtoria.

ANnus labitur vigeſimus, ex quo ſedem ſuam Electoralem *novis munimentis* cinxit Sereniſſimus FRIDERICUS GUILIELMUS, Dominus noſter Clementiſſimus: reſtitit tamen *Foſſa Vrbis vetus*, mœnibus vicina, in cujus ea parte, quæ ponti Portæ Stralovienſis fornicato ſubſtat, conſpecta fuit d. 1. M. Junii St. Jul. Anni labentis *Aqua rubicunda*, & colore ſangvinem recens mactati animalis prorſus referens. Foſſa hæc ſtagnat alias, nec movetur, niſi ventus ex *Sprea* flumine vicino undas impellat, aut motu contrario reducat: atqui coccinea, aut, ſi loqui ita licet, *ſangviformis* illa *Aqua* non quieſcebat, ſed per vices uno plerumq;, interdum pluribus locis, non admodum tamen diſtantibus, ebulliens quaſi proſiliebat, adeo ut à loco ebullitionis *Rivulus rubens*, pollicemq; unum aut alterum latus manifeſte proflueret, & ad cubiti circiter longitudinem ſuo conſpicuus rubore maneret: ultra vero promanans, intra aquarum copiam paulatim abſorptus evaneſcebat.

Cæterum *Tinctura* illa *fluens* haut manebat undis permiſta: ſed ob gravitatem fundum ſenſim petebat, rubedine interim illum adeo obducendo, ut Aqua ſuperſtans, etſi per ſe clara, rubicunda tamen appareret. Subſedit autem pedetentim tanta illius Tincturæ copia in fundo, ut Foſſa ibi ad octo circiter paſſus tandem ruberet.

Ebul-

Ebullitio non erat perpetua, nec horas ſervabat ſtatas: contigit tamen tempore plerumq; matutino, quemadmodum ex ſequenti Janitoris, prope Portam illam habitantis, Diario patet:

D. 1. Junii inchoabat uno tantum loco fluxus hora V. matutina, & poſtquam tota die duraverat, circa veſperam deſinebat, aquâ Foſſæ more ſolito rurſum clareſcente.

D. 2. Junii mane hora ſexta fluor rubicundus uno iterum loco redibat, ſed mox circa ſeptimam rurſus diſparuit.

D. 3. Junii, prima ſcilicet Pentecoſtes feria, proſiliit H. XI. antemeridiana, & ad primam pomeridianam perſeveravit. His binis horis non uno, ut pridie, ſed pluribus locis intra memoratum illud octo paſſuum ſpatium prodibat. Numeratæ fuere tunc in illo ſpatio ſive *Circulo* Scaturigines diverſæ, ita ut unâ parte una exſiliret, & ea deſinente altera parte binæ, & iis diſparentibus alibi ternæ ſimul fluentes: adeo ut numerus ſingularum collectus ad viginti intra illas duas horas aſcenderet. Scaturigines autem, uti ſupra quoque relatum fuit, non erant magnæ adeo, ſed quæ Rivulum ultra duos pollices latum vix ſpargerent: nihilo minus fundum illius Circuli totum ſedimento ſuo rubente adeo inficientes, ut aqua Foſſæ ſupernatans per refractionem tota ibidem rubra, non ſine ſtupore plebis, conſpiceretur.

D. 4. Junii ebullitio rediit H. VII. veſpertina, ad nonam usq; protracta: ſed una ſaltem, aut altera intra illum Circulum ſcaturigine, veluti etiam diebus ſubſequentibus contigit.

D. 5. Junii reverſa circa V. matutinam, binas manavit horas.

D. 6. Junii mane iterum circa quartam fluxio cœpit, & quintâ auditâ deſiit.

D. 7. Junii mane paullo poſt tertiam, ad quintam usq; continuato per vices fluxu. Quod ſi fides dicto ſupra Janitori haben-

habenda, materia hâc die longe intenſius, quâm ſex præcedentibus rubuit. Ultima certe fuit iſtæc, neq; ſequentibus diebus ebullitio reverſa: quamvis aqua Circuli iſtius aliquot poſt dies, ob ſedimentum in fundo hærens, rubicunda eminus intuentibus videretur. Illud *Sedimentum*, ſi forte lapidibus injectis turbabatur, aſcendebat & Aquæ claræ miſcebatur ad tempus, paulo poſt fundum denuo repetiturum.

De loci *profunditate* obſervandum, extra Pontem in Circulo memorato ſat profundam eſſe Aquam foſſæ: at ſub Ponte, propter diu ibi aggeſtam terram ac alias ſordes, dodrantem ſive ſpithamam parum excedere: hinc evenit, ut ſub Ponte hauriri commodius *Aqua tincta*, quam extra illum in Circuli voragine, potuerit.

II. Experimenta.

Durante hoc fluxu miſſa ad me fuit à Janitore lagena, quam ipſe *ſangviformi* hac *Aqua* d. 2. Junii repleverat: & nos præterea aliam ipſi quoq; replevimus d. 4. Junii, excipiendo *Rivulum rubentem* pelvi prius ex fundo, & deinceps lagenæ infundendo. Lagenâ etenim ipsâ haurire non licebat, quod materia bulliens profundius paullo flueret, neq; ſuperficiem undarum ſemper attingeret.

Ad Experimenta autem inde capienda utramq; Lagenam in menſa repoſuimus, cogitando interea de indole hujus *Liquoris purpuriſſantis*, Sangvini ea debeatur, nec ne? Ideoq; pro rei veritate indagandâ ex variis rebus in diverſis vitris *Tincturas* paravimus *ſangvinis æmulas*, quarum aliquot hic recenſuiſſe juvat.

1. Accepi lagenam menſura Aquæ communis una plenam, admiſcui ſangvinis recens *mactati pulli* cochlear, & per noctem cum prioribus binis repoſui Lagenis. Mane differentia

rentia mox apparuit, dum binæ illæ Lagenæ parte ſuperiori clareſcere incepisſent, in tertia vero Sangvis pulli Aquæ conſtanter mixtus permanſisſet: evidente argumento, Aquam hanc ſangviformem, de Sangvinis propriè dicti indole haut participare.

2. Cum non deesſent, qui arbitrarentur, Tincturam hanc provenire à *corticum arborearum ſcobe*, qua pro parando corio utuntur Sutores, quod in fosſa illa olim Mola talis extiterit: ſcobi ejusmodi ſuperfudimus aquam fontanam, & tingi illam eleganter obſervavimus. Verum cum tinctura hæc ſcobis itidem conſtans, nullo depoſito ſedimento, perſiſteret: ac præterea illa Mola tum procul à Porta Urbis hac ſita fuerit, tum ante hos octodecim annos jamdum diruta, nihil inde certi elici potuit.

3. Per linteum porro *colavimus* Aquam hanc *purpurantem*, & collegimus inde ſpisſamentum aliquod, Roob ſambuci conſiſtentiâ referens: color vero brunnus ſive ſpadiceus erat, non tamen absq; miſtura violacei. Ad explorandam analogiam (imprimis, quod nonnulli de rubris radicibus herbarum aut arborum in fundo fosſæ putrefactis multum blaterarent,) disſolvi in aqua fontana *Roob ſambucini* particulam: cujus ſolutionis color non multum quidem abludebat, deerat tamen etiam Præcipitatio.

4. Magmatis hujus ex *Aqua purpurante* collecti portionem in aqua communi ſolvimus, advertendo, crasſioribus nigricantibusq; partibus ad fundum ſenſim præcipitatis, in aqua remanere tincturam violaceam ad album vergentem: nativi vero ſive ſangvinei, aut prope coccinei illius coloris ne veſtigium amplius apparere.

5. *Aquam purpurantem* vitreæ Cucurbitæ indidimus, qua per deſtillationem abſtracta, *crasſamentum* ſimile illi, quod per colaturam obtinueram, tam colore, quam conſiſtentia, in

fundo

fundo reſtitabat. Quod nec per colationem, nec per deſtillationem integre denſabatur, ſed aquam innatantem claram ſubinde deplendo, in liquorem duntaxat crasſiuſculum, ac conſiſtentiâ ſangvini ex vena fluenti ſimilem redigebatur: is in vitro obturato aliquot dies repoſitus, *fœtorem* humani prope ſtercoris æmulum concipiebat. Cum vero Aqua hæc rubicunda ex ſe non fœteret, niſi quatenus paluſtris naturam habebat: oportet utiq; ſingularem hunc fœtorem accesſisſe ab obturatione vitri, quoniam ſalinum vel ſulphureum internæ fermentationis principium evaporare libere nequibat.

6. His tentaminibus non quadrantibus, accerſivi *Bolos, Ochras, Rubricas, Terrasq; ſigillatas*: quibus equidem in aqua fontana ſolutis requiſitam illam præcipitationem inesſe, colorem contra ſangvinis aut cocci pene æmulum minime, obſervavi.

7. *Laccam* deniq; igitur *pictoriam*, cui globulatæ ac roſaceæ nomen Officinæ tribuunt, vulgari aqua temperavi, & poſtquam noctu ſtetisſet, nullam ex præcedentibus mixturam propius accedere ad Aquam hanc ſangviformem conſpeximus.

Conveniunt ſane in eo, quod 1. Utraq; agitata ſangvinem referat. 2. Utraq; ſedimentum deponat. 3. In utraq; poſt ſedimentum aqua clareſcat.

Differunt in eo, quod 1. Aqua fosſæ magis purpuret, adeoq; ad colorem ſangvinis propius accedat: cum mixtura laccæ de violaceo tantiſper participet. 2. Sedimentum illius paullo ſit obſcurius, & ad nigredinem aliquantum vergat: hæc vero ſedimentum plane coccineum deponat. 3. Aqua poſt ſedimentum ſupernatans in illa penitus excolor ſit, in hac tantillum violacei albidi retineat.

Differunt inſuper, & quam maxime in hoc, quod *Mixtura laccæ* ſedimento ſemel præcipitato quieſcit, nec unquam, niſi mota, iterum elevatur: cum contra *Aqua ſangviformis* etiam in lagenis repoſita, proprio internoq; motu aſcendat atq; ite-

rum ſubſideat. Profecto *Lagena prima*, d. ſcilicet 2. Junii repleta, primis ſeptem diebus quotidie fere mane clareſcebat, rubicundo ſedimento ad fundum compacto: à meridie ſedimentum quaſi attenuatum aut rarefactum, extendi iterum, & Lagenam ultra medium tingere ſolebat: noctu rurſum ſubſidere. Nec tamen exacte adeo ſervabatur hoc tempus, quin potius mane interdum motum illum *aſcenſorium*, & veſperi contingere *deſcenſorium* memini. Finita hac hebdomade imminui cæpit hic motus, & infra mediam Lagenam duntaxat Aqua tingi: donec, quotidie decreſcente quaſi principio illo intrinſeco, elevare ſe amplius tinctura non poſſet, ſed in fundo fixa maneret, multum etiam evaneſcente colore illo coccineo vividoq;, & ad ſpadiceum vergente ſedimento.

Ad *alteram*, d. nimirum 4. Junii repletam *Lagenam* quod attinet, idem in ipsâ motus obſervatus, niſi quod ob majorem rubicundæ materiæ copiam Sedimentum aſcendens non mediam, ſed integram Lagenam primis ſeptem diebus tingeret: ſequenti vero hebdomade paulatim itidem motus ille reciprocus imminuebatur, & indies minus alte aſcendebat Tinctura, quousq; tandem Sedimentum partim coccineum; partim ſpadiceum fundo fixum adhæreſceret.

III. Judicium.

DOcent recenſita hactenus Experimenta, cuinam ex tribus Phyſicorum celebratis Regnis natales ſuos debeat *Aqua* hæc *rubicunda*. Nimirum ad ANIMALE regnum haut poſſe referri, oſtendit Experimentum *primum*: adeoq; de Sangvine genuino, & qualis in animantium venis continetur, opinio vulgi penitus labaſcit. Neq; enim ſolus color Sangvinis eſſentiam exhaurit, ſed requiruntur inſuper cæteræ etiam qualitates.

Ad VEGETABILIUM quoq; claſſem non ſpectare purpurantem hanc Materiam, monſtrat Experimentum II. III. IV.

atq;

atq; V. idq; ante omnia ob defectum Præcipitationis ſive Subſidentiæ.

MINERALE igitur regnum unice ſupereſt, quatenus ſcilicet illud junctim complectitur Terras, Lapides, Metalla, iisq; finitima, una cum ſuis Recrementis, Salia deniq;, atq; omnis generis Sulphura. Terrarum porro ſpecies oppido variæ numerantur: in tabernis autem Pharmacopolarum cumprimis proſtant ſequentes: Creta, Marga, Tripolis, Sigillata, Ochra, Rubrica, atq; Bolus. Huic familiæ ſane adſcribendam esſe *materiam* Fosſæ *purpurantem*, oſtendit Experimentum VI. ſumto inſigni à ſubſidentia argumento: licet elegantia illa coloris ſangvinei noſtris in univerſum *Terris bolaribus* deſit.

Eam ob cauſam in ſubſidium Experim. VII. vocavimus *Laccam*, non illam *in Surculis*, quippe quæ in arborum ramis reperitur: verum eam, quam in uſum pictorum arte parant. Id vero haut ita volumus intellectum, ac ſi temere crediderim, in fundo Fosſæ noſtræ *Laccam* delituisſe *pictoriam*, atq; inde motu Aquæ exſiliisſe: ſed ut oſtendam ſolummodo, Laccam hanc reddere Tincturam, ad genium *Aquæ* illius *rubicundæ* inter cæteras maxime appropinquantem. Et quamvis nobis hucusq; non conſtet, dari in rerum natura Terram bolarem ejusmodi, quæ colore propemodum coccineo aquam tingere posſit: meminisſe tamen oportet, NATURÆ nondum exhauſtos esſe theſauros, & latere in Mundo ſubterraneo plurima nobis hactenus incognita.

Conſtat videlicet, & noſtro ævo accurate ſatis tum oſtenſum, tum pictum eſt in admirando Opere Athanaſii Kircheri *de Mundo Subterraneo*, Terræ globum venis, meatibus, canalibus, cavernis, ductibus, anfractibus, rimis, poris, quin etiam pyrophylaciis, aërophylaciis, atq; hydrophylaciis variis esſe pervium, & non tantum in Puteis noſtris ac Fosſis hinc inde latere Scaturigines, aquam perpetim ſuppeditantes: ſed prorum-

pere interdum Fontes, Rivos, Acidulas, Thermas iis etiam locis, ubi nunquam antea extiterunt. Quamobrem haut adeo abſurdi erimus, ſi in fundo Foſſæ Berolinenſis eâ parte latuiſſe ſtatuamus *Terram* quandam *bolarem* (vocabulo nimirum latius accepto) tincturæ purpuriſſantis aut prope coccineæ, quæ ſucceſſu temporis à Scaturigine novâ per canales Terræ impulſa atq; undis Foſſæ commiſta proſilierit, ſpectaculumq́; hoc rubicundum, etiam diverſis in locis, ob diverſos ejusdem Scaturiginis tubulos aut ſiphones, nobis exhibuerit.

Ad *ebullitionem* illam non continuam, ſed per *intervalla* revertentem quod attinet, conſiderandum arbitror, Scaturigines *antiquas* ſibi dudum jam paraſſe viam, & propterea ſalire perpetim: aliam vero eſſe *novarum* rationem, quippe quæ facilius obſtrui ab impedimento valent aliquo, eodemq́; (propter pellentis impetum Scaturiginis) remoto iterum reſerari.

Verum enim vero, ſi *motum* illum *Tincturæ in Lagenis* ipſis aſcenſorium, deſcenſoriumq́; ruminor, manifeſta ejusdem vix ſuppetit ratio. Neq; enim Rubrica, aut Ochra, aut Terra bolaris ulla, nec Lacca deniq; pictoria hanc ſpontaneam movendi poſſident virtutem: quin potius ſemel præcipitatæ æternum quieſcunt. Cogor itaq́; agnoſcere hic aut Sympathiam cum motu Aquæ in Foſſa, quamdiu ille durabat: aut reliquias Spiritus univerſi vel, ſi mavis, Ignis ſubterranei, qui in hauſta recens Aqua rubicunda adhuc abundantior, fermentationem ſuam ſive motum particularum per modum condenſationis atq́; rarefactionis libere exercere valebat: ſucceſſu vero temporis evaneſcens, corpus ſuum ſive Terram bolarem coccineam, natam jam atq; in lucem quaſi editam relinquere cogebatur: unde fieri aliter non poterat, quam ut Spiritu recedente, ac fermentatione deſinente, cadaver vel caput mortuum in fundo relictum, quieſcere tandem inciperet.

Non piget hic mentionem quoq; facere *Terræ*, quam *Adami-*

Adamicam Philoſophi nonnulli appellant, quoniam rubet. Vox enim Hebraica *Adamah* Terram ſignificat rubram. Ejus origo ex Aqua putrefacta, ſicut obviam eſt in piſcinis aut lacubus, qui ſubtractis undis ſicci evadunt: quod ſi annos aliquot hoc ſtatu permanſerint, ſuperficies ipſorum rubente terra obducitur, quam dixere Adamicam. Tali vero Foſſam Berolinenſem, quod nonnemo opinabatur, obductam quoq; fuiſſe, atq; inde rubuiſſe Aquam, vero ſimile vix videtur: cum Foſſa iſtæc nunquam tota ſicceſcat, & præterea Aqua hæc rubicunda haud per Foſſam integram, ſed una tantum parte promanarit.

Nec defuerunt etiam, qui de *Terra martiali* ſive *ferraria*, qua Marchia Brandeburgenſis alicubi abundat, nonnihil ſuſpicarentur: præſertim ſi ipſa Spirituum mineralium interventu ad fermentationem ſive ebullitionem concitata, atq; in rubedinem exaltata ſingularem fuerit. Profecto magis ominoſa hæc foret origo, quod Martis ictum Sangvis ſequi ſoleat. Quinimo pluſcula alia ominari hic, ſi animus eſſet, liceret: haut equidem ex parte *materiæ*, quam nullatenus per miraculum credo fuiſſe creatam, utut ipſi par hoc colore purpuriſſante nobis hactenus non ſit nota: ſed ex parte *loci* potius, quo profiliit, nec non *temporis* bello flagrantis, atq; omnino ferrei. Ominoſum quin etiam videri poſſit, quod d. 1. Jun. prima vice erupit, quod feria prima Pentecoſtes pluribus locis manavit, quod ſeptem dies fluxit, quod ultimo die Materia fuit intenſius, quam præcedentibus tincta. Verum divinationis iſtoc argumentum iis relinquo, quibus per prodigia populum exhortari ad pœnitentiam, divinitus eſt mandatum. Si quid tamen prodigii omnino ſubſit, faxit divinum Numen, uti *Hoſtis* peſſundati cruorem notet cruentum in fundo Sedimentum: Aqua pura innatans *Victricis* Aquilæ Brandenburgicæ juſtiſſimam cauſſam! Berolini, d. XX. Junii, A. Æ. C. cIↃ IↃc LXXVII.

OBSER-

OBSERVATIO LXXX.
D. CHRISTIANI FRANCISCI PAULLINI,
De
Ovo In Tumore Ingvinali.

IN pago *Leuenfœrden*, ad primum lapidem ab urbe noſtra *Hüxaria*, ancilla quædam nobiliſſimi Domini Satrapæ *à Spiegel*, trium circiter ſupra viginti annorum, in dextro ingvine tumorem geſtavit valde ſibi moleſtum, & craſſitie duos ferè pugnos æquantem, qui, impoſitis prius emollientibus, ferro tandem apertus *album* quendam *globulum* evomuit, qui accuratius inſpectus nihil aliud fuit, niſi *ovum*, & magnitudine & figurâ ovo gallinæ in omnibus ſimillimum, vitello ac albumine conſtans, ſed erat ſine teſtâ. Malum hoc excluſiſſe genium ovum, ſuſpicatur, hæc qui bonâ & antiquâ fide mihi narravit, vir ἀξιόπιστος & αὐτόπτης *Vitus* Meyer, chirurgus noſter peritiſſimus, quiq; ovum hoc inter rariora ſua non ſemel monſtravit Curioſis.

SCHOLIUM.

OVa quinquaginta tenuiſſimam intra tunicam, limpidiſſimam aquam continentia, ex fabri cujusdam Bononienſis abſceſſu dorſali prægrandi, Magii novaculâ aperto, prodiiſſe, ex *Laurentii Scholtzii* relatione *Schenckius* annotavit *Lib. V. p. 662.*, & ex eo *Sennertus Lib. II. Pract. part. 2. cap. 24. p. 303. Hœferus Lib. 3. cap. 2. p. 176. M. A. Severinus de recond. abſceſſ. naturâ Lib. III. cap. 9. pag. 108.* & fortè alii, referunt, & de cauſſâ generationis ſententiam ſuam aperiunt.

In Lupia Mammæ Paræus materiam reperit, Ovum gallinaceum craſſitie æquantem Lib. VI. cap. 21. p. 213, non quid intus latuerit, narrat.

Quæ

Quæ obſervationes ex parte quidem cum hâc *Dn. Meyeri*, *Dn. D. Paullino* communicatâ conveniunt, nulla earum tamen omnimodè. Ipſa ſi attentius conſideretur, boni viri bonâ cum veniâ dicere liceat, ovum ſic dictum, ovo gallinaceo vero haut adeò ſimile videri, ut nulla intercedat diverſitas; tantoq; minus locum invenit ſuſpicio de dæmoniaco præſtigio, ſcilicet revocatis in memoriam, quæ *Paræus c. l. cap. 19.* admonet, ſcribens, varia corpora in tumoribus reperiri (videlicet naturaliter,) immò & animalia viva quandoq;, quarum rerum generatio per humorum corruptionem neminem debeat reddere admodum attonitum, ob cauſſas ibidem prolixè indicatas.

Num vero humor albumini, quà lentorem & albedinem, aut etiam vitello, quâ flavedinem ſimilis, ad ovi veri conſtitutionem ſufficiat, hìc determinare nolumus. Sufficiat indicaſſe, quod *Severinus laudatus de effic. Medic. p. 130.* annotavit, *glandulam* gallinæ ovo non minorem, è coxâ cujusdam, & *Marcellus Donatus Lib. IV. hiſt. medic. mirab. cap. 30.* ex femore mulieris lapidem album, magnitudini ovi gallinacei proximum (quem Severinus c. l. de rec. abſc. nat., ovum vocat; nos glandulam, lapidis inſtar, induratam diceremus,) extractum eſſe.

In talem molem ubi tumefiunt glandulæ, in iisdem cumulatum ſerum ac lympham, non omni excluſo ſangvinis feculenti appulſu, lenteſcere, putreſcere, & in ſaniem tàm albumineam quàm vitellinam mutari poſſe ac ſolere, vel argumentis vel exemplis ut evincatur, operæ haut pretium eſt, quanquam vel ipſimet ex tonſillis ſuppuratis ſimilem ſaniem vitellinam cum peſſimo fœtore profuſam, hìc, Vratislaviæ, viderimus.

OBSERVATIO LXXXI.

D. CHRISTIANI FRANCISCI PAULLINI,

De

SPICA SILIGINEA IN TUMORE CIRCA COSTAS.

INfans unius anni in pago *Natzungen*, Diœceſis Paderbornenſis, dolores cum inflammatione in collo ſentiens ad nobilisſimum *Dominum Chriſtoph. Juden* defertur, qui emplaſtro quodam malum iſtud ad coſtas usq; derivavit. Hinc tumor notabilis. Imponitur ejusdem Nobilis ſvaſu, cataplaſma ex veteri fermento: mentitur carbunculum: tandem rumpitur. Imploratur auxilium veterani noſtri Chirurgi *Viti Meyeri*, (ex cujus ore cuncta refero) qui, tumore accuratius inſpecto, ſpicam quandam ſiligineam in eo latere vidit, quamq; feliciter extraxit, & adhuc ſibi ſervat, Egoq; hoc ipſo die his meis oculis vidi. Quid de miris hiſce tumoribus ſentiant Curioſi, ſcire velim. Mihi ſatius eſt diſcere quàm dicere; Davus quippe ſum non Oedipus.

SCHOLIUM.

SPicam hordei immaturam luſu ore detentam, à juvene deglutitam, per apoſtema in ſiniſtro latere ſupra zonam oborto, cum pure, integram, tum luteam, extractam eſſe *Helmontius Tract. de inject. mat. ſ. 7. p. 477.* refert, ſimilemq; hiſtoriam ex *Fernelio* allegat. Quin & D. *Vollgnadius* recordatur, à Sereniſſimi Ducis Altenburgici FRIDERICI WILHELMI Chirurgo aulico, viro artis ſuæ perquam gnaro, & probatæ fidei, ſæpiculè relatum eſſe, quod ſuæ curæ commiſſus olim fuerit adoleſcentulus, ruſtici filius, qui pariter ſpicam alicujus ariſtæ frumentaceæ in os luſu immiſſam deglutiverat, eamq; per apoſtemâ ſub axillâ excreverat.

Num

Num ab infante *Dn. Meyeri* ſpica illa ſiliginea deglutita fuerit, an vero illi forte præſtigiis immiſſa, obſervatio tacet: an vero illa propriâ naturæ fictione (quemadmodum præter alias res mirimas, caſtaneas per apoſtemata excretas *Cabrolius obſ. 27.* memorat) producta fuerit, illius nempe in microcoſmum univerſæ materiæ, ex quâ major mundus contextus eſt, portiones indentis *Paræo Lib. XIX. cap. 3. & Lib. VI. cap. 19.* aut aliis, in ejus ſententiam ire qui volent, non adeô contradicemus, quin in tantum ſobriè eam admitti poſſe putamus, donec manifeſtior facti ratio eruatur, ne diaboli aſtutiam mox allegare cogamur. Dicamus ergo cum *Helmontio Tract. cit. §. 6. p. 476.* Neſcitur modus, quo id natura faceret. Æquê neſcitur modus quo id Satanas faceret. Lucrantur ergo nihil, qui opus naturæ in diabolum referunt. An vero peccent, viderint alii. Pigritiæ ſaltem enim immenſæ inventum fuit, omnia in diabolum retuliſſe, quæ non capimus, &c. Rectius fortê dicamus Deum ex ſingulari directione, ut natura etiam per modum extraordinarium agat, & in pœnam malitiæ hominum, vel peccatorum terrorem talia producat, permittere. Præſtat enim, in talibus etiam, Deo quâm diabolo habere honorem.

Collect. Ephem.

OBSERVATIO LXXXII.
D. CHRISTIANI FRANCISCI PAULLINI,
De
Integra Drachma Gummi Gottæ
Incorrecti Pro Una Dosi Data.

Cum ſtupore nuper miratus ſum inſanam Chirurgi iſtius temeritatem, hydropico cuidam, ſine ſucceſſu tamen, *duos ſcrupulos gummi guttæ* propinantis in *Ephem. German. Curioſ. Ann. V. Obſ. 166. p. 210.* At gravius eheu! peccavit quidam

è noſtris barbitonſor. Hic enim honeſto cuidam civi *integram drachmam* ejusd. *gummi*, non correcti, ſed *crudi*, (vera dico) *pro unâ doſi* ingesſit. Sequebantur (ut quivis conjiciet facile,) purgationes ἄνω καὶ κάτω ineffabiles, lipothymiæ horrendæ, & ſexcenta alia mala, cruentis lachrymis deflenda. Ipſe quidem ægrotus à faucibus orci ægrè tandem retractus, inter lachrymas tamen & ſuſpiria vitam traxit miſerè, donec brevi poſt excederet. Sic monſtra naſcuntur in arte ſaluberrimâ! Sic experimenta fiunt per mortes! Et mundus tamen vult decipi? DEUS meliora!

[*Corbeiâ Vratislaviam ad Collect. Ephem. Menſe Auguſto* 1677.]

OBSERVATIO LXXXIII.
D. JOHANNIS SCHMIDII,
De
MORTE REPENTINA A VULNERE OCULO INFLICTO.

Ruſticus quidam quinquageſimum ſextum circiter ætatis agens annum, in viâ ordinariâ prope Gedanum noſtrum, à quodam qui obvius ipſi fiebat, ut cederet ſollicitatur cum comminationibus & tandem jurgiis: iſte, vel nolens, vel, quod credibilius, ob oneris ponderoſioris gravitatem non potens, modis ſe omnibus & precibus excuſans, denegat; alter laceſſitus propterea & ira commotus, ſcutica ruſtici ſcapulas impetuosè ferit, quâ fractâ, partem baculi quam in manu adhuc tenebat, ſatis acuminatam in faciem vi forti protrudit. Ruſticus ex verberibus nihil mali metuens, carrum ligno, quod venale advehere volebat, onuſtum paſſu lento ſequitur, penè per miliaris quadrantem; cùm in forum, nobis dictum lignarium appuliſſet, derepente exanimis corruit, ita ut in momento quaſi naturæ debitum exſolveret.

Delata

Delata ſubito res ad judicium noſtrum eſt, quod, ut in tam repentinæ mortis cauſam ex officio inquirerem, me advocari jubet. Adſum, & externam faciem undiq; examino, invenio extremitatem baculi acuminatam in canthumOculi dextri majorem intruſam fuisſe: exile exterius apparebat, & vix notatu dignum vulnus; explorabatur ſtilo num profundè in cerebrum deſineret, ſed cognoſci id propter vulneris exilitatem & anguſtiam non poterat. Aperiebatur itaq; cranium; meninges cum cerebro primo intuitu benè ſe habere conſpiciebantur, cum autem in parte anticâ cerebrum tolleretur, circa radicem naris, procesſus falciformis in extremitate læſus conſpiciebatur, vulnus autem ad tertium usq; cerebri ventriculum intraverat, in quo grumi ſangvinis ſatis copioſi apparebant: exhauſtis ita ſpiritibus, vulgo animalibus dictis, non potuit non mors ſubſequi; mirum autem quod pedes currum ſequi potuerit, & non ſtatim à læſione animam efflarit.

OBSERVATIO LXXXIV.
D. JOHANNIS SCHMIDII,
De
Variolis Post Decimum Septimum Diem Demum Suppuratis.

GRasſabantur Epidemio malo præterita hyeme apud nos variolæ, ita ut vix aliqui contagium evitare potuerint pueri; liberabantur tamen pleriq; à malignitatis vehementia, & priſtinæ reddebantur ſanitati, generoſioribus adhibitis remediis, quamvis periculosê ſatis laborarent quamplurimi. Hos inter erat puer quidam circiter quinquennis viri conſularis J. K., Patroni ſummè venerandi, filiolus unicus, qui graviter etiam cùm ex variolis laboraret, opem medici requirebat. Vocatus itaq; invenio miſellum, miſerè decum-

bentem, convulſionibus affligi: Adhibebantur ſtatim, quæ ex arte adhiberi poſſe judicabantur, remedia; melius etiam natura ferebat in principio morbum, calor nimirum remittebat, virium jactura præceps, ardor lingvæ inextingvibilis, convulſivi motus, ἀγρυπνία, deliria, *&c.* imminuebantur; puſtulæ indies incrementa ſumebant, quæ tamen nullâ refertæ materiâ conſpiciebantur, exteriores piſorum exuvias referentes. Duodecimus jam morbi aderat dies, nec ulla in puſtulis apparebat materia, quæ mihi res non levem mali exitûs peperit metum; ſuccumbentis enim naturæ indicium eſſe judicabam. Nec me fefellit opinio; nam ſubitò decimo quarto die horror novus eum corripiebat, hunc calor excipiebat, pectoris anguſtia, cordis anxietas, ſitis intenſa, artuum ob malignitatis vehementiam inquietudo & jectigatio; ſudor ſubfrigidus colliquationem minabatur; verbo ad interitum omnia vergere manifeſtè conſpiciebantur. Propino expellentia fortiora, & inter alia *ſal C. C. volatile*, cujus præprimis ope decimo ſeptimo demum morbi die materia ſeſe in puſtulis monſtrare incipiebat; qua apparente ſymptomatum ferocia remittebat, ſicq; ſuppuratione factâ æger viceſimo die melius habere incipiebat, & ſenſim priſtinam recuperabat ſanitatem, quæ tàm in Parentum Nobiliſſ. animis, quàm propria etiam opinione valde erat dubia, cum toto praxeos tempore neminem ex tali variolarum genere unquam viderim ſervatum.

OBSERVATIO LXXXV.
D. JOHANNIS SCHMIDII,
De
VARIOLIS VERMINANTIBUS.

FIliolus annorum trium *Michaëlis Ouſel*, viri apud nos optimæ notæ, febre laborabat continuâ, non ſine inſignis malignitatis metu, ob ſymptomatum in principio morbi gravi-

gravitatem: convulſiones ſubinde aderant, deliria itidem & ἀγρυπνία puerulum moleſtè divexabant, ſupervenerunt tandem in abundanti copia variolæ; quibus apparentibus meliuſculè habere cœpit: de colli autem pruritu, quod continuo vehementer fricabat, conqueritur. Mater de pueri tædio & ploratu ſollicita, monſtrari ſibi digito, quâ in parte pruritum ſentiret, rogat, ipſe manum collo admovet, ſequitur ducentem mater, & in colli plicis vermes plus quam L. tineas referentes, articuli digiti magnitudinem æquantes, reperit. Perterrita ad inſolitum ſpectaculum mater, ligno in ſcatulam à cute vermes abradit, vivos & ſalientes, quos cûm accederem monſtrabat. Liberatus ſic miſellus ab occaſione pruritûs, commodius habuit, & poſt aliquot dierum decurſum, ſuperatâ malignitate, & variolis decidentibus ex orci faucibus ereptus eſt.

OBSERVATIO LXXXVI.
D. JOHANNIS SCHMIDII,
De
LACTE RECENS NATÆ PUELLÆ.

LAc in mammis prægnantium ordine naturæ generari, quotidiana docet praxis: extra ordinem virginum quoq; mammillas lac reddidisſe, immo nonnunquam viros lac è mammis fundentes viſos esſe, varii fide digni autores teſtantur, quos citatos vide *Ephem. Germ. Cur. Ann. II. Obſ. CXXXV. p. 218.* quibus ſi lubet adde *Alex. Bened. l. 3. c. 4. Ariſt. Hiſt. Anim. Lib. I. c. 12.* & *Lib. III. c. 20. Marcell. Donat. de variol. & morbill. c. 8. Andr. Laur. Anat. l. 2. c. 2.* Ipſeq; vidi in juvene quodam πεττραγόνῳ *Joach. Chriſtoph. Riccio* Cognato meo, cui mammæ protuberantes compresſæ lac reddebant copioſum, aquoſum tamen; ſæpius etiam ſpontaneo fluxu induſia madefaciens. Inverſo planè naturæ ordine infantes quoq; lac in mammis habuisſe rarò legimus:

nec

nec aliud occurriſſe mihi memini Exemplum, præterquam illud quod *Cardanus* acutiſſimus *Lib. 12. de ſubtil.* habet, de infante, primo menſe mammis manifeſtè tumentibus lac copioſum è papillis emittente; itemq; alterum, trimeſtris puellæ, è mammillis conſpicuis lac fundentis, apud *Joach. Camerarium de illuſtr. Norimb. Med. Exempl.* Liceat ergo mihi tanquam rariſſimum quiddam, hic notaſſe, quod non ita pridem hic apud nos obſervare mihi contigit, in filiolâ duarum ſeptimanarum, nobiliſſ. cujusdam viri S.K. νῦν ἐν ἁγίοις, cujus papillæ per octo & amplius dies album præbebant liquorem lactis æmulum; cætera rectiſſimè in hunc usq; diem valente.

OBSERVATIO LXXXVII.

D. JOHANNIS SCHMIDII,

De

Urina Nigra Nil Funesti Indicante.

Vir apud nos Præ-conſularis Dominus ac Patronus mihi maximus G. K. nullâ datâ cauſâ externâ, urinam dum redderet, nigram illam egredi cernit; ipſe ad inſolitum urinæ ſuæ colorem perterritus, vocari me jubet: accedens video colorem, examino ſubſtantiam, nulla aderat pelluciditas, nullum ſedimentum, imo nec cum aliquandiu in receptaculo vitreo communi ſtetiſſet; atramentum ſcriptorium urinæ loco ſubſtitutum judicaſſem, ſi non ſerio & ſcrupuloſè ſatis eam mihi monſtratam eſſe animadvertiſſem. Indiſpoſitionem gravem ſentiebat nullam, niſi quod circa lienis regionem tenſionem aliquam perciperet, & circa diaphragma ſeſe cingulo quaſi ligatum incedere conquereretur. Permanebat color toties, quoties reddebatur urina, nigerrimus per dies quinq; continuos; poſt ſenſim remittens, ad obſcurè rubrum

rubrum accedebat, donec decimo die ad ſtatum rediret naturalem. Ex eo tempore, quamvis cum hypochondriaco malo ſatis graviter conflictaretur, utcunq; habere cœpit. Poſt menſium plurium decurſum iterum præter ſpem nigram reddidit urinam, quæ per dies aliquot talis permanſit, donec ſine adhibitione ullorum remediorum naturalem iterum reciperet colorem.

Criſin fuiſſe naturæ, quæ melancholicum huncce humorem per naturales urinæ vias evacuaverit, dubium non eſt, cum excretionem hancce benè tulerit Magnificus & Generoſus Dominus, & ab excretione hacce ſatis copioſa meliuſculè valere inceperit: ſed quia ſal acidum in copia urinæ permiſtum fuit, mirum forte, quod nec ad excretionem ſæpius ſtimularit, nec in excretione ipſa dolorem, pruritum, aut acrimoniæ alicujus ſenſum moleſtum conciliaverit. Notum eſt magni *Hippocratis* de urinis nigris judicium, quod pernicioſas eas pronunciaverit: ita ille *Sect. 2. Coac. Prænot. verſu 580.* Ὀλέθριον δὲ οὖν τῶν οὔρων τότε μέλαιναν τὴν ὑπόστασιν ἔχον, καὶ τὸ μέλαν. Rationem dat interpres ejus non infelix *Fœſius*, quod incendii magni & exſtinctionis caloris nativi nota ſit. Sunt tamen apud Autores exempla contraria. *Hippocrates* ipſe *Lib. 1. Epid. Sect. 3. Ægrot. 3.* Herophontem febre acutâ laborantem, cui οὖρα μέλανα reddebantur, καὶ σπλὴν ἐπήρθη, lien intumuit, evaſiſſe notavit; & *Ægrot. 7.* de Metone meminit, οὖρα ὑπομέλανα εἶχεν, urinam ſubnigricantem habuit; *Lib. 3. Epid. Sect. 3. Ægrot. 9.* de Heropytho ſcribit, quod οὖρα habuerit λεπτὰ καὶ μέλανα, & *3. Epid. ejusdem Sect. Ægrot. 11.* de muliere aſpera & auſtera in Thaſo ſcribit, quod ad tertium morbi diem habuerit οὖρα μέλανα λεπτά, evaſiſſe autem omnes. Conciliavit *Hippocratem* immortalis *Proſper Martianus*, maximus Divi Senis Interpres, in commentario loci ſuperius allegati *Sect. 2. Coac. Prænot. Hujus*

Ann. VIII.

diverſitatis , inquit, *ratio eſt , quia etiamſi hæc humoris nigri præſentiam ſupponat , hujus tamen malitia non eſt eadem , cùm longè deterior ſit niger & exuſtus humor , qui proprio vocabulo atra bilis dicitur , melancholiâ naturali , fex ſangvinis dici posſet , imo utriusq; humoris non ſemper æqualis eſt conditio , cùm levior ille ſit , quem natura jam ſuperavit , eo qui crudus adhuc perſiſtit* &c. *Cl. Bartholinus* ex eſu immodico uvarum lotium nigrum redditum fuisſe exemplum habet. *Cent. 5. Hiſt. med. Obſ. 10.* Unde autem color iſte ater latici communicetur, plurimorum torſit animos: An ſulphuris & ſalis portiones aduſtæ coctione longiore colorem ſaturatiorem ſero ſuppeditant, qui mora longiore ad nigredinem vergit? An fæculentiæ melancholicæ, queis ſuperabundare melancholicos conſtat, ubi in eam excreverint quantitatem, ut à naturâ ferri amplius non posſint, vel fermentationem aliquam vel motum etiam à causâ externâ, diureticis nimiis, acceperunt, masſæ ſangvineæ communicatæ, vel confuſæ potius, per loca urinæ dicata evacuantur? Sic turgentem in corpore bilem flavam lotium in ictero flavo ſaturate rubrum reddere videmus, in nigro autem impenſe rubrum, &, ut *Hippocratis* mihi uti verbis liceat, ὑπομέλανα conſpici practicis notum eſt: unde plerosq;, de quibus Autores referunt, quod nigras excreverint urinas & reſtituti fuerint, hypochondriacos fuisſe apparet. Maximè huc facit hiſtoria, quam ex *Valerio* ad *Hollerium Schenckius* refert *Lib. 3. Obſ. 7. p. 469.* Religioſum nimirum fuisſe, cui ter aut quater in anno lien intumuit, unde dolore hypochondriaco maximè infeſtabatur, nigricantibus tandem & atramento ſimillimis apparentibus urinis, quæ per 5. vel 7. durabant dies, ſalvus evaſit & incolumis, cesſante tumore & gravitate hypochondrii, qui, repetito ſubinde ejusmodi per intervalla profluvio nigro ab hypochondriorum & tenſione & lienis duritie liberatus eſt. In aliis, in quibus lethales judicantur urinæ nigræ, à ſumma veneni alicujus vel

epoti vel geniti in corpore virulentiâ aut malignitate colorem nigrum provenire exiſtimo, abſumptis nimirum vel exſtinctis ſangvinis ſpiritibus, ſicq; mixtionis ſoluto vinculo, ſangvini quaſi *νέκρωσις* conciliatur, unde corruptum cum ſangvine ſerum colorem recipit nigrum. Res patet exemplo; ulcus ſordidum ubi in gangrænam & hæc in ſphacelum abit, ſanies quæ initio alba erat, flava primùm, mox fuſca & tandem conclamatis omnibus nigra evadit.

OBSERVATIO LXXXVIII.

D. JOHANNIS SCHMIDII,

De

Olei Succini Nimis Largiter Hausti Noxa.

OPtimæ apud nos exiſtimationis Juvenis Mercator *Chriſtophorus Memſen τετράγωνος*, nephriticis doloribus ſæpiuſculè ferè oppresſus, *εὐπόριστον* me rogat, quo necesſitate urgente in abſentia etiam Medici tutò uti posſit. Recommendo *oleum Succini*, cujus aliquot ſubinde asſumere guttas non abs re fore inculcabam. Annuit, neq; ingratum ſibi hoc remedium fore reſpondet. Poſt ſeptimanarum aliquot decurſum obvius mihi fit in platea, & pro communicato conſilio grates agit prolixas, ſcatulam mihi monſtrans variis repletam calculis, minimis ſabuli inſtar, mediis cicerum magnitudinem referentibus, & maximis piſa æquantibus, plerisq; autem acuminatis. Ecce, inquit, hoſtes hoſce omnes una profligavi operâ, compendium rei faciens: Tu aliquot me guttas asſumere voluiſti, ego medium & amplius cochlear oleo iſto repletum vice una exhauſi, firmiter credens, ex parva doſi parum me levaminis ſenſurum, ex copioſâ autem majus me emolumentum habiturum; nec fefellit me mea opinio, nam

uno impetu, non quidem ſine dolore, illam, quam monſtro, excrevi quantitatem. Malê, reſpondeo, tuæ conſuluiſti ſanitati, & certam temeritatis tuæ certo augurio pœnam lues; ex inordinato enim & impetuoſo diuretici hujus vehementis uſu, veſicæ orificium ita læſum deprehendes, ut nullis remediis impresſa hæcce labes corrigi valeat. Et quamvis in prognoſi hâc me errasſe maluisſem, tamen eventus docuit, certisſimum ſatis fuisſe hocce præſagium: nimirum brevi poſt tempore exulceratam esſe veſicam, ſigna monſtrabant non obſcura; namq; urina cum dolore excernebatur, eadem cruenta primùm apparebat, poſt crasſum album, matulæ lateribus firmiter adhærens, ſedimentum ſeſe monſtrabat, quod ſæpius cum & ſine dolore in copiâ excernebatur, quæ copia ad eam tandem creſcebat molem, ut mediam matulæ partem non ſemel adimpleret: & cùm potentisſimi illius diuretici uſu labes veſicæ impresſa esſet, inflammatio tandem loci affecti accedebat, cum febre continua intenſa, unde maxima pectoris anxietas oriebatur, quam extremorum mox infrigidatio, ob nervoſarum partium læſionem, hanc mors poſt paucorum dierum decurſum excipiebat.

OBSERVATIO LXXXIX.
D. JOHANNIS SCHMIDII,
De
Infarctu Sabuloso Urethræ Lethali.

CIvis apud nos non inter poſtremos *N. Krickel*, Nephriticis doloribus, per longum tempus miſerum in modum excruciatus, urinæ ſibi denegari profluvium animadvertit, ita quidem, ut nec gutta tandem excerneretur. Perterrita conjux me advocari curat: video omnimodum urinæ defe-

defectum, inquiro in cauſas omnes, an aliqua affectui medela inveniri poſſit; ἰσχουρίαν adeſſe vitio renum obortam, nulla monſtrabant ſigna; in mentulâ ipsâ contumaces ſentiebat dolores, hinc calculum adeſſe conjiciebam, quem in urethrâ urinæ exitum præcludere exiſtimabam. Sed visâ mentulâ, meatum urinarium totum ab extremitate penis ad pubem usq; ad digiti minoris craſſitiem diſtentum eſſe video: inſtrumento immiſſo viam ad exitum urinæ accommodare Chirurgus meo conſilio tentat; ſed fruſtra: adeo totus meatus ſabulo firmiter occluſus erat. Curo fomentari mentulam lacte, in quo emollientes herbæ coctæ fuerant, ad contemperandos dolores, & meatum humectando amplificandum; mox blandâ digiti ad ſuperiora frictione ſabulum lentè exterminare conor, ſed irrito ſucceſſu: acuminato inſtrumento terebræ ad inſtar ſenſim in mentulam immiſſo, ſabulum quaſi ſcindere, & illud, extrahendo iterum inſtrumentum, ſurſum tento educere; ſed, quamvis in principio penis res benè ceſſerit, ulterius tamen progredi non licebat, ita enim urethra diſtenta & indurata conſpiciebatur, ut copiam ſabuli à renibus per veſicam magis magisq; amandari colligere non obſcurè liceret. Unde prognoſticum mortis certum ſatis erat; nam doloribus intolerabilibus fractus, & viribus ſenſim exhauſtis animam efflavit. Si cultello Anatomico Renes mihi ſcrutari licitum fuiſſet, refertos eos ſabulo ſine dubio inveniſſem: prout in Viro Conſulari νῦν ἐν ἁγίοις Magnifico Domino *Gabriele Borckman* videre mihi contigit, qui per plures annos ſæpe miſerè à Nephriticis doloribus diſcruciabatur, tandem phthiſi conſumptus obiit. Hujus Pulmones cùm examinari Dn. N. Hæredes vellent, quos ulceribus innumeris refertos & à purulentâ materiâ, quam compreſſi manibus largiſſimè præbebant, tantùm non abſumptos inveniebam, factum eſt, ut hâc occaſione reliqua quoq; examinarem viſcera, & cùm ad renes deventum

esſet, eos non in tubulis tantùm calculos & ſabulum continere obſervabam; ſed ipſum quoq; parenchyma & omnes quaſi poros ſabulo refertos conſpiciebam; ita quidem, ut cùm hinc inde parenchyma ſecaretur, quaſi ſabulum humidum ſcindi appareret.

OBSERVATIO XC.
D. JOHANNIS SCHMIDII,
De
TALPA VOMITU REJECTA.

Villici cujusdam in pago aliquot milliaribus ab Urbe noſtrâ diſtante *Bankau* dicto, Uxor *Eliſabeta Krügers*, mulier conſiſtentis ætatis, mediâ æſtate, in rure ſupina ſomno ſeſe committit, quo oppresſa, viſa ſibi eſt aliquid per apertum os irrepens excepisſe: expergefacta ex profundo ſopore, dolores ſentit ventriculi, qui incrementa indies ſumebant, & ad eam tandem excreſcebant vehementiam, ut perpetuas lancinationes ſentiret, ferè ad animi deliquium. Ob dolorum iſtorum acerbitatem ad ſveta munia penè in idonea reddebatur, emaciabatur corpus. Varia quæſivit paupercula remedia, ſed quæſivit tantùm, invenire cùm nulla potuerit, miſeram hancce per annos 15. trahebat vitam. Tandem vellicationes ventriculi ſentiebat intolerabiles, cardialgiam, anxietates ad animi usq; deliquium patiebatur maximas, ita ut extrema inſtare adſtantes judicarent: ſuboriebatur autem nauſea primùm, vomitus demum enormis, quo cum talpam vivam, obeſam, digitos octo transverſos longitudine æquantem rejecit, quæ apprehenſa per horas aliquot ſupervixit, mulier autem paupercula doloribus partim fracta, fortè nec commodè tractata, nec convenientibus roborata, cum partu hoc præternaturali poſt 24. horarum ſpatium exhauſtis ſpiritibus animam efflavit.

OBSER-

OBSERVATIO XCI.
D. JOHANNIS SCHMIDII,
De
Polypo Curato.

PAtiebatur virgo quædam conſiſtentis ætatis E. V. H. Polypum naris dextræ, qui in eam excreſcebat quantitatem, ut non ſolùm cavitatem naris impleret, ſed, quod moleſtisſimê omnium ferebat, penè extra propenderet, & quia per nares trahere aptè ſpiritum non poterat, in reſpirando difficultatem percipiebat non levem: quid quod ad ſiniſtram etiam narem reperet. Radices Polypi narium partibus affixæ conſpiciebantur, circa pinnas autem naris dextræ ad pollicis transverſi longitudinem carnis fruſtulum propendebat; hæmorrhagias ſubinde patiebatur ſpontaneas largisſimas, quæ nec internis nec externis ſiſti poterant remediis. Vocatus ad ægram, corpus evacuationibus per ἐπίκρασιν factis præparabam, revulſionem ſangvinis venæ ſectionibus tentabam, nec infelici progresſu: reſtabat opera chirurgica: ſectio, ob moleſtisſimæ hæmorrhagiæ metum, locum non inveniebat, quæ ut plurimùm ſponte propria accidebat, interdum tamen motu etiam vel levisſimo Polypi, qui conſpicuis admodùm abundare venis videbatur, interdum etiam acriorum remediorum ad partem adfectam adhibitione facilè concitabatur; unde impetuosè tractare Polypum, ſectionibus, ligaturis, auſus non ſum. Tentabam quidem vicibus aliquot locum attingere, num excitatâ per mortificationem eſcharâ, imminui ſenſim posſet; ſed non reſpondebat voto conſilium, hæmorrhagia enim ſtatim ſubſequebatur, quam vix compeſcere iterum licebat: ſuperſedere itaq; remedio hocce necesſitas ſvadebat. Tandem placentulas parvas & tenues ex ☿*ii ſublimati* optimi

& viri-

& *viridis Æris* ana q. ſ. *cum fermenti* tantillo curabam præparari, harum unam parti prominenti imponi, & ne decideret goſſypium admoveri; eſcharam, poſt horarum aliquot moram, conciliatam, blandâ manu ſeparari, & iterum iterumq; novam imponi placentulam, idq; toties repeti, usq; dum totaliter ablatus Polypus appareret, nec veſtigium amplius relictum conſpiceretur. Redibat quidem non ſemel hæmorrhagia; ſed levis ea admodum erat, ut placentularum impoſitionem vix ſemel atq; iterum turbaret. Et ita quidem à moleſtisſimo & periculoſo affectu liberata, ſana, ſine ſymptomatibus, ſine nova excreſcentia, vivit & incolumis, bis tamen circiter in menſe pilulis quibusdam magiſtralibus caput ab humorum ſaburrâ, quâ repletum id esſe ſigna non obſcura commonſtrant, liberatur.

OBSERVATIO XCII.
D. JOHANNIS SCHMIDII,
De
Caruncularum Gallicarum In Urethra Curatione.

BAtavus quidam *Lovanio* ortus, juvenis ſanè egregius, lue venerea inveteratâ per longum tempus laboraverat, quam Medici pluribus in locis plurimi optimis tollere remediis non ſemel tentârunt, ſed tollere integrè malum nullo potuerunt modo. Maximum, de quo anxius ſatis conquerebatur, ſymptoma erat, quod carunculæ quædam in meatu urinario ad eam excrevisſent quantitatem, ut exitum urinæ non ſemel præcluſerint omnem, unde cereo in urethram immiſſo depresſis carunculis urinæ exitus parari debuit, quod ubi negligeretur, vel ob hoſpitum præſentiam pudor facere prohiberet, tantam percipiebat anxietatem, tantum ardorem, ut animi

animi penè pateretur deliquium: quare ut à tædioſiſſimo hocce liberaretur áffectu, plurima quæſivit ſollicitus conſilia, multa etiam tentavit remedia, ſed optatum conſequi finem non potuit. Tandem meum quoq; implorat conſilium, meam opem: præmisſis univerſalibus ad topica perveni: nimirum cereum urethræ immitti curabam, blandâ tamen admodùm manu, ut animadverti posſet, quo in loco obſtaculum tranſitum liberum præpediret: quod cùm obſervabatur, cereus in ſummitate penis notabatur, ut diſtantia carunculæ exactè cognoſceretur, in extremitate cerei magma ex *viridi æris* & ☿*io ſublimato* paratum apponebatur, ad locum affectum blandè intrudebatur, & morâ aliquâ illic factâ, caruncula ſine gravi dolore, inductâ ſine dubio eſcharâ, tollebatur, quâ ita abſumptâ urina liberè profluebat, nec ullum ampliùs impedimenti vel remoræ tædium apparebat. Æger immane quantum gaviſus, leniter per ἐπίκρασιν purgabatur: ſed poſt aliquod tempus, novâ ſeſe rurſus monſtrante carunculâ ſimilem in modum tractabatur, donec tandem omnibus carunculæ partibus exactè abſumptis, optimè nunc, Dei O. M. adjutus ope, cum uxore, quam poſtea duxerat, vivat.

OBSERVATIO XCIII.
D. JOHANNIS SCHMIDII,
De
Ilei Curatione.

ILiacam pasſionem, *miſerere mei*, dictam, gravisſimum esſe affectum, eumq; ut plurimùm lethalem, practicorum docent libri, & quotidiana confirmat experientia: pro diverſitate autem cauſæ curam quoq; variare certum eſt; nunc enim ob fecum indurationem ſummam colicæ pasſioni ſupervenire ſæpius conſvevit, quæ ſpecies curam non rarò admittit:

tit: nunc ab inteſtinorum contorſione, aut mutuo eorundem ingreſſu; nunc ab inflammatione; nunc ab hernia originem ſuam trahit; quæ ſpecies curam ut plurimum omnem reſpuunt. Et quamvis quædam apud Autores curati ilei inveniantur exempla, rara tamen ea ſunt, & colicam pertinacem tantùm fuiſſe, ileum minantem, plurimarum obſervationum confirmat deſcriptio. Quoties in ſequiori ſexu affectum huncce videre mihi contigit, contigit autem non ſemel, ſemper herniam vel umbilicalem, vel ingvinalem adeſſe, nec monitus quidem, prædixi; nec me unquam fefellit opinio: hanc tamen præ exilitate interdum nec patientes ipſæ obſervaverant; ſecus quàm apud viros, in quibus plures præter herniam, in Practicorum libris copiosè, imo & curiosè paſſim deſcriptæ, cauſæ aliæ miſerrimum hunc affectum excitant. Horrenda certè mors eſt, cum *σκύβαλα* ipſa per os rejici conſpiciuntur, mors inquam; nam infallibiliter eam hoc in ſtatu prædici poſſe non ſemel obſervavi. Unicum tantùm toto praxeos meæ tempore exemplum contrarium videre mihi contigit, in matrona quâdam ſeptuagenariâ, Præ-Conſ. apud nos *νῦν ἐν ἁγίοις* N. P. vidua, quæ aëri ſeſe exponens frigidiori, dolores patiebatur circa umbilicum & ingvina atrociſſimos, cum vomitu & nauſea. Vocatus perquiro, numquid hernia etiam laboraret; affirmanti ſtatim enema emolliens ex oleis cum cereviſiæ tantillo injici curo, non ut ſtimulem & acrimonia inteſtina ad expulſionem ſuperiora verſus irritem; ſed ut humectando eadem demulceam: nam tali ratione implicata in hernia inteſtina explicari poſſe opinabar. Subſequebatur operatio commoda ſatis, cum excrementorum etiam aliquali excretione: Repetebatur enema ſimili cum effectu; vomitûs tamen non ceſſabant, certo indicio, eam tantùm quæ in craſſioribus hæſerat inteſtinis materiam evacuatam fuiſſe. Tandem vomitûs in tantum augebantur, ut *σκύβαλα* ipſa, moleſto ſatis ſpectaculo,

rejice-

rejicerentur. In præcipiti hocce & deſperato penitus caſu, obſtetricem vocari jubeo, quæ herbis à me præſcriptis emollientibus & anodinis in lacte coctis herniam fovebat indeſinenter, herbas ipſas calidas adhuc affecto loco imponebat; poſt ad repoſitionem inteſtina blandâ admodum diſponebat manu; locumq; affectum ſubinde humectantibus oleis illinebat; ſicq; labore indefeſſo tandem inteſtina in abdomen omnium præter ſpem reponebantur; & momento, dolores ingentes, & vomitus enormes ad miraculum ceſſabant. Hac ratione ex orci faucibus DEI ſummi ope erepta, adhibitis roborantibus & flatus, à quibus inſigniter vexabatur, diſcutientibus, & ſubligaculo inteſtinis, ne iterum prolaberentur, firmatis, integrè convaluit.

OBSERVATIO XCIV.
D. JOHANNIS SCHMIDII, De ΑΝΑΦΡΟΔΙΣΙΑ SOLUTI MATRIMONII CAUSSA.

VArias *ἀναφροδισίας* cauſas in utroq; dari ſexu Practicorum docent obſervationes, docet quotidiana experientia. Uſitatiſſima apud Viros cauſa vel defectus eſt ſeminis, & partium ad ſeminis generationem facientium læſio; vel membri virilis, quod genitum ſemen in uterum deponere debet, vitium. In viro ſingulare hiſce diebus videre exemplum mihi contigit. Accuſabat juvencula quædam ſucciplena, cui nuper nupſerat, maritum, quod ad actum matrimonialem prorſus ineptus eſſet, coram Conſiſtorio, & propterea vinculi ſolutionem petebat. Dominus Officialis loci hujus, ut ex officio in rei veritatem inquirerem, rogari me curat, ſimulq; Conjuges ad me mittit. Examino uxorem, quæ

cauſa querelæ in maritum esſet, quæro; ipſa, nondum me ex eo tempore quo ei copulata ſum, cognovit, reſpondet; imò quod magis eſt, nec digito quidem me tetigit; ſed trunci ad inſtar immobilis ſemper in lecto jacuit: quæro, numquid non ſalibus vel illecebris ſtimulum veneris interdum excitare tentaverit? Num non contrectatione mammillarum, vel pudendorum, vel ſvaviis, maritalem teſtatus fuerit amorem? Nihil horum omnium quicquam factum unquam fuisſe ſeriò affirmat: quæro num illa non ad negotium conjugale anſam præbuerit? Non ſui hoc ſed mariti fuisſe officium replicat; nam cum adeò eum inſenſibilem deprehenderem, cur plus juſto ei me exponerem, vel ad amores invitarem, cauſam habui nullam. Devenio ad maritum, exploro genitalia, optime ea in figurâ & magnitudine conſtituta invenio: de veneficio ſuſpicari incipio; quæro, numquid unquam penis erectionem? ejaculationem ſeminis? vel pollutionem nocturnam antehac ſenſerit? pernegat omnia: numquid ullam aliquam libidinem perceperit? inſomnia venerea unquam habuerit? numquid virgines amplexando, vel oſcula eis præbendo non ſtimulum perceperit amoris? nunquam ſe clandeſtinis amoribus deditum fuisſe, nec virginum expetiisſe converſationem; multo minus ullas veneris illecebras unquam amasſe reſpondet. Cur ergo, inquam, uxorem duxiſti? quia moris ita esſe exiſtimabam replicat; nec conjugale, quod nunc â me exigitur, officium, in rebus venereis ſitum esſe putabam. Cum promptum eum adeò ad matrimonii ſolutionem invenirem; quæro, cur tam facilis fuerit coram Conſiſtorio ad ſolutionem? quia, inquit, odio me habet uxor, quæ ſi tranquille mecum vivere vellet, mihi esſet exoptatisſima. Cum ergo ſeminis defectum cauſam viderem impotentiæ hujus, quamvis in habitu athletico defectum talem mirarer, ſolutum fuit â Conſiſtorio matrimonium.

OBSER-

OBSERVATIO XCV.
D. JOHANNIS SCHMIDII,
De
Tumore Lienis Partu Soluto.

VArias morborum fieri metaſtaſes, varias materiæ morbificæ ſolutiones, Practicorum loquuntur libri. Tumores meſenterii per alvum, pus in Empyemate per urinam evacuatam eſſe obſervationes docent: Lienis intumeſcentiam per urinam nigram ſolutam eſſe ex *Schenckio* ſupra allegavi; mihi ſolutionem morbi aliam videre hic contigit.

Virgo quædam formoſa, non inter poſtremas, hypochondriaco malo corripitur, tenſione inſimul hypochondriorum, alvi conſtipatione, cordis tremore, imo gravi non raro palpitatione, compreſſione oris ventriculi, vomitu humoris acidi: queîs cum ſymptomatibus diu multumq; cûm conflictata eſſet, non neglectis licet remediis variis ex arte præſcriptis, dolorem tandem ſplenis ſentit acerbiſſimum, hunc tumor ejus loci excipit manifeſtus, qui tandem in verum deſinit ſcyrrhum: quo facto dolor quidem amplius urgebat nullus, ſed hypochondrium totum lapidis ad inſtar durum percipiebatur, nec quicquam digiti compreſſioni cedebat. Varia adhibita ſunt remedia, tam in-quàm-externa, martialia, tartarea intus; extus fomentationes, linimenta, emplaſtra, balnea, &c. ſed morbi vehementia vim eludebat medicamentorum omnem: & licet ſcyrrhus ad mediam penè abdominis partem, & uteri regionem usq; ſeſe extenderet, ſatis tamen commodè alias ſeſe habebat; agilis enim choreas ducebat, & ſine ulla anhelitûs difficultate ad celerrimas etiam corporis agitationes aptiſſima erat. Ineptam autem ad conjugium illam fore valdè metuebam, cùm quomodo uterus extendere

ſeſe posſit non viderem, propter abdominis totius ſaltim non integram duritiem & repletionem. Accidit ut Procus optimæ conditionis eam ambiret; vocor itaq; in conſilium à matre timoris plenâ, num tuto viro deſponſari posſit; ego dubius licet, cùm virginem amore ſponſi captam animadverterem, ſvaſi tamen, ut virginis ſatisfieret deſiderio. Cecidit meam præter opinionem res optimè: nam poſt nuptias imprægnata, ſatis quidem malè primis menſibus habebat, ſucceſſu autem temporis *ἀνορεξία*, nauſea, vomitus, palpitatio cordis, deliquium, & quæ alia aderant ſymptomata, imminuebantur, imò tandem totaliter ceſſabant. Ipſo autem quaſi partûs tempore, de anxietate, calore inſigni, lipothymia conqueri incepit; accedebat febris continua, vomitus, icterus, *&c.* ut malum ſibi morbi hujus exitum mater mœſtisſima cum propinquis metuerent. Obviabatur ſymptomatibus gravioribus convenientibus quantum posſibile erat, & per artem licebat, remediis, nec irrito ſucceſſu; nam licet inter calores & anxietates nimias fœtum ederet, ſanus tamen is erat, & ab omnibus quibus cum hactenus conflictata erat malis ſimul illa liberabatur. In puerperio lochia fluebant copioſisſimè, imo præter ſolitum abundanti in copia, unde materiam quæ per uterum indeſinenter effluebat aliunde provenire colligere non difficile erat. Nec me fefellit opinio; nimirum ita detumuit ſplen, ut tumoris nec minimi, minimum tactu perceptibile reſtaret veſtigium, & ſic cum fœtu, moleſtam ex ſplene depoſuit ſarcinam.

OBSERVATIO XCVI.
D. JOHANNIS SCHMIDII,
De
Exanimata Ad Senſum In Vitam Revocata.

NObilisſimi Domini *Henrici VVahl* filia ſeptennis, tusſi gravi graviter per ſeptimanas aliquot divexabatur, adeò ut ſuffocationis metus Parentes non rarò terreret. Liberata à moleſtisſimo affectu, commodè ſatis habens, & cum ſuis confabulans, circa ſeptimam pomeridianam, quaſi fulmine tacta, derepente corruit: perterrefactæ ſororculæ opem clamore extraordinario Parentum implorant; advolat mater, & exanimem in amplexus recipit filiam, meq; ſubitò advocari jubet. Accurro & ægram mortuam esſe ex ſignis omnibus judico; pallebant enim cum ore genæ, pulſus percipiebatur nullus, tempora erant collapſa; commota, vellicata, nec minimum ſenſus præbebat indicium. Cùm tamen membra flaccida adhuc animadverterem, anceps potius quàm nullum adhibendum remedium judicavi, tùm ut deſiderio conſternatorum Parentum ſatisfieret, quos inopinatus hicce caſus maximè animo affligebat; tùm quod in morbis miracula fieri non ſemel expertus fuerim. Medicamenta exhibere occluſum os non permittebat; quod nec minimum halitum emittebat, ut ex admoto gosſypio pro explorandâ vita, aſtantibus omnibus patebat: injiciebatur ſtatim enema refellens acre, carpi manuum cum aquâ cordiali ad uſum hunc præſcriptâ forti, fricabantur fortiter & indeſinenter ad ruborem usq; ; ſed præſentis vitæ nec minimum ſentiebatur indicium. Injiciebatur ori per vim levem aperto aqua ad ſpiritus reficiendos aptisſima, fortisſima; ſed per fauces aliquid deſcendere obſervare

vare penitus non licebat. Curabam tandem pedum plantas ſetaceo fortisſimæ muriæ immerſo fortisſimè fricari, idq; continuo, ne ullum temporis præterlaberetur momentum: poſt tres horæ quadrantes continuata perpetuo frictione, leve trahebat ſuſpirium; quo viſo frictio plantarum repetebatur indeſinenter, ſed cum attritu fortisſimo; aquæ per os ſpirituoſæ vires reficientes injiciebantur, quas facilius deglutire conſpiciebamus: ſicq; tandem omnium præter adſtantium opinionem altum trahebat ſemel atq; iterum ſpiritum: reficiebatur interea indeſinenter remediis ſpirituoſis, *eſſentia ambræ ſicca* in *aqua cinamomi borraginatâ* ſoluta ſæpius exhibebatur; *eſſentia caſtorei* cum *ſpiritu florum tiliæ*, vel *liliorum convallium* propinabatur, & ſic viva tandem & incolumis, exequias jam parare paratisſimis Parentibus, exhibebatur, quæ adſtantium omnium & meo etiam judicio exanimis credebatur.

OBSERVATIO XCVII.
D. JOHANNIS SCHMIDII,
De
VOMICA A TRANSSPIRATIONE SUBITO PROHIBITA.

VOmica Pulmonum ut rarus eſt affectus; ita notatus quidem ſubinde apud Autores invenitur, dubio tamen ſemper cum exitu, ut plurimum lethali. Singulare videre affectus hujus experimentum mihi contigit non ita pridem: Medicus quidam apud nos quinquageſimum ætatis annum, & quod excurrit, agens, ob mortem Conjugis lugubri pallio, ſecundum conſvetudinem loci hujus, per diem totum, in æſtu ſatis vehementi ægros viſitando incedens, hinc ſudore diffluens, auram frigidiorem non rarò captabat, exhauſtos ſpiritus hac ratione reſtauraturus. Accidit, ut ſomno

ſeſe

ſeſe circa undecimam veſpertinam committere volens, horrorem maximum ſentiret: quem dolores lateris ſiniſtri punctorii excipiebant, qui ita exacerbabantur, ut in pleuritidem, quamvis ſpuriam, deſinerent. Unde ſangvinis uncias 8. ſibi ſtatim mitti curat, ſperans inde levamen, quod per mediam horam etiam ſentiebat. Recrudeſcebant autem puncturæ tam graviter, ut nec ſpiritum trahere posſet: unde denuò ſibi venam incidi curabat; topica etiam ex *verbaſco* in *lacte cocto*, veſicæ ſuillæ probè deligatæ incluſo admovebantur: calor autem inſignis, pectoris anguſtia, & intolerabilis cordis compresſio & angor tantâ cum ferociâ miſerum torquebant, ut ad anodina & narcotica tandem confugere opus haberet. Nox ducebatur inſomnis, dies cum anxietate tantâ incipiebat, ut facies imò corpus totum ſudore quaſi difflueret: pulſus erat concitatus perpetuò, febris continua, dejectiones frequentes. Durabant hæc ſymptomata per 7. dies: vehementia poſt remittebat, manente nihilominus anxietate, quæ per intervalla tâm die quàm noctu per horam ita torquebat miſerum, ut extrema ſibi inſtare initio putaret, poſt non ſemel voveret. Durabant hæ anxietates periodicæ per tres ſeptimanas. Mirabatur non ſemel, cum viſitantibus illum Medicis aliis, quod ἀνακάθαρσιν non experiretur: cum dejectionibus aliquid ſecesſiſſe dubium non erat; materia tamen pleuræ jam impacta cum tusſi rejici debuisſet.

Poſt duarum ſeptimanarum decurſum in parte affectâ gravitatem, cùm ad latus ſiniſtrum inclinaret, proritationem ad tusſim, ſiccam tamen, ſentire incipiebat, quæ ſuccesſu temporis magis magisq; augebatur, ut per horam plus minus ſæpius ad tusſim incitaretur. Rejiciebatur ſemel atq; iterum materia cruenta, ſed pauca admodùm, unde pulmonum vitium Medici omnes metuebant: pulſus perpetuò manebat

concitatus, ſomnus erat interruptus cum melancholicis inſomniis, appetitus proſtratus permanebat. Circa quintam ſeptimanam Natura ad ſe redire videbatur, vires ſenſim augebantur, manente tamen tusſi ſatis gravi tàm de die, quâm noctu moleſtante: rejiciebatur quidem maximâ cum difficultate, cum pituitâ penitus dulci, purulenta materia, ſed pectus repletum manebat; manebat pulſus celer, ut hecticam cum putridâ junctam esſe Medici non ſemel opinarentur. Patiens tædii impatiens aëri ſe committit, poſt ſextæ ſeptimanæ decurſum, ægros ſuos inviſit, lento licet ob ſummam imbecillitatem pasſu. Octavâ poſt morbum ſeptimanâ ad Carmelitas vocatus, quandam in faucibus ſentit titillationem, & caloris dulcis ſenſum, & ex illo tusſim levem, cum quâ indeſinenter puris albi liquidioris, ſubdulcis, quantitatem maximam rejicit; quæ rejectio toto, quo in via erat, rhedâ ob debilitatem vectus, tempore, indeſinenter durabat. Mirabatur quantitatem materiæ, & vomicam pulmonum ruptam colligebat. Durabat purulenta hæcce excretio per dies aliquot: neq; tusſis toto tempore exaſperabatur acrioribus cibis, aceto, ſalſis, piperatis: Pulmones interim roborabantur, calor ſubdolus temperabatur, ſicq; cesſante tusſi omni, ſanus per DEI gratiam & incolumis, â Phthiſi, quam metuebat maximê, liber vivit.

[*In literis Menſe Octobri 1677. Gedano Vratislaviam ad Collect. Ephemeridum datis.*]

OBSERVATIO XCVIII.
D. SALOMONIS REISELII;
De
ADSCENSUS QUASI SPONTANEI AQUÆ IN FILTRO CAUSA.

AQuam *gravitare* ſeu deorſum & ad terræ centrum tendere ſuâ naturâ, manifeſtum eſt ubique ex pluviis, in culinâ,

culinâ, menſâ, & ex caſu perennium fluviorum, qui declivi ſuâ viâ hanc gravitatem monſtrant; aut certè ſphæram ſuam & fines, ut in maris effluxu, â Divinâ providentiâ determinatos non transgredi: *Adſcendere* contrà ultra terminos iſtos & æquilibrium, nonniſi *violenter*, à motore aliquo fortiori & externo provectam, nubes, meteora aquea, variæ hydroſtaticæ & pneumaticæ machinæ probant, ſive illæ presſione, ſeu tractione, ſeu ſuctione, ſeu alio modo operentur, vel *miraculosè* & ad nutum Dei ſingularem, ut in Jordane & mari rubro factum. Aliquando tamen etiam *ſponte* videtur adſcendere contra naturam ſuam in chartâ bibulâ, in linteis ſuſpenſis ipſamq; attingentibus, in limbo lineo laneoq;, quo pharmacopæi ex vaſe ſuperiori in inferius ſeparandos aut depurandos à fæcibus liquores deliquant, vel hortulani ex vaſe aquâ pleno ſuas humectant plantas, quodq; *Filtrum* nominant, (Philtrum quidam minus rectè ſcribunt, quod amatorium poculum *Cicero* appellat) per quod, ut universè per omnem rem filamentoſam aut ſcisſam, ita ut interhiatio perexilis ſit, ſurſum tendere & adſcendere aquam & oleum, expreſsè ſcribit *Laur. Strausſius in Epiſt. ad Dygbæum.* Similiter & in panis medullâ, ſacchari metâ & in aſtaco, caudâ ſuâ curvatâ vitri marginibus appenſo & ſtillante. Cujus *ſpontanei*, ut videtur primâ fronte, *adſcensûs* veram *rationem* indagare non inutile fuerit. *Τολμητέοντε* cum *Galeno*, *καὶ ζητητεόν τὸ ἀληθὲς, εἰ γὰρ καὶ μὴ τύχωμεν αὐτοῦ πάντως· δήπου πλησιέστερον ἢ νῦν ἐσμὲν, ἀφιξόμεθα.*

Filtratio ergo, ut totam primò operationem conſideremus, *definiatur* liquidi aquoſi (& oleoſi) per madidum filum & lingulam ſeu laciniam lineam, laneam, pileaceam ejusq; extremum alterum exteriùs dependens unicum vel plura deſcenſu, & per alterum immerſum ſupra margines vaſis adſcenſu; atq; ſic *diſtingvenda*, ab illa depuratione liquoris cujuslibet oleoſi, ſpirituoſi, aquoſi, qui vel chartæ emporeticæ, vel

 lineo,

lineo, cannabino, pileaceo, laneo, bombycino, gosſypino velo aut ſacco, quem colum & *manicam Hippocratis* vocant, vel ſpongioſo, lignoſo, arenoſo poroſove alii concavo infuſi penetrant, colantur & decidunt in vas ſuppoſitum, atq; nominanda *Filtratio lacinioſa*, cujus figuræ & uſus apud Chymicos occurrunt.

Hujus laboris *cauſas* ut quæramus; audiamus primò *Renatum des Cartes*, qui *part. 2. Epiſt. 108.* hæc habet: Aqua per limbum panneum aſcendit, prorſus ſicut per tubum retortum: primò enim pannus iſte aquâ probè imbuitur, & absq; hoc non posſet pro filtro adhiberi; partes verò exteriores aquæ, quâ imbutus eſt, filis ejus ita ſe implicant, ut pelliculæ ſpeciem, quam aër penetrare nequit, ibi faciant, atq; interim conſequentes ſe mutuò interiores fluunt verſus partem illam panni, quæ infimê demisſa eſt, non ſecus quam in tubo (cujus cauſam non vacui metum, ſed *circularem corporum*, aëris & aquæ contiguorum & ſeſe *conſequentium motum* ponit ingenioſisſimus Author.) Eumq; ſequitur *Henr. Regius Philoſ. Natur.* L. I. *c. 12.* ubi ſtatuit, aſcenſum deſcenſumq; aquæ in filtro ſive panno laneo crasſiore fieri propter eandem cauſam ut in tubo retorto, folle, antliâ, aliisq; motibus, qui ob fugam vacui aliàs fieri crediti fuerant; nempe ob *circulum corporum*, qui in motu requiritur, cum unum in alterius locum deturbatur. Qui idem negat in filtro ſicco ut & ſpongiâ ſiccâ adſcenſum aquæ à propulſione vel ſpontaneâ ſublatione posſibilem. In tubo autem retorto credit liquorem attolli ideo, quod in crure longiori aqua non tàm propter majus pondus quàm majorem protenſionem ad centrum terræ gravitans magis & decidens aërem deturbet è loco, hic premat aquæ in vaſe contentæ ſuperficiem, hæc aquam in crure breviori attollendo in locum aquæ ex longiori delabentis, quia omnia alia circumſtantia corpora, utpote locum in quem cedant non habentia, ingresſui aëris & aquæ reſiſtunt.

Aſt

Aſt hic circulus quomodo in filtro, in liberâ aquâ & ſub aperto aëre locum habeat, non video, cum nulla hîc circumſtantia ſint corpora, quæ ingredienti & prementi aëri reſiſtant. Et quamvis cauſam differentiæ (quod per tubi retorti foramen minimum ab aëre ingrediente & premente illicò fluxus impediatur; in filtri verò innumeris porulis perpetuò adſcendat & continuetur) alleget in tubi retorti cavitate unicâ eâq; magnâ, atq; filtri poris innumeris anguſtis & anfractuoſis, per quos aqua facilius adſcendat & deſcendat, quâm aër externus illos lateraliter ingredi poſſit: quid tamen hic dicatur, & an verè dicatur, non agnoſco.

Schwenterus Delic. Mathem. part. 1. ſect. 13. probl. 14. deſcribit etiam & depingit filtrum, diſquirens, quomodo aqua ſine ullo impulſu ſponte adſcendat; ſed nullam aliam reddit rationem, niſi quod ad *Siphonem* refert: quemadmodum & *Harsdorffer Continuat. part. ſect. quæſt. graviori ponderi*, ut in ſiphone, trahenti levius cruris brevioris adſcribit. *Merſennus in Phœnom. Pneumat. fol. 166. aëri* in telâ, ut in mica panis, contento aquam ſecum *trahenti* adſignat adſcenſum. *Kenelmus* autem *Digby* in *Theatro Sympathetico*, quod *Laur. Strauſſius* latina induit veſte, hoc primo intuitu apparens myſterium & proceſſum ac rationem ejus ad *Attractionis* modum manifeſtum referens prolixè explicat & evolvit, ut (verba ejus ſunt) qui rem â capite ad calcem perveſtigarit, ita ut ne unicam quidem ejus circumſtantiam negligenter omittat, luce clariùs viſurus ſit, nihil æquè naturæ conſentaneum, imò verò impoſſibile eſſe, ut aliter eveniat. Ponit nimirum Illuſtriſſimus Author cauſam in *facilitate aquæ ſurſum eundi* per fila *ſicca attrahentia*, intumeſcentia & quaſi manum invicem ſibi porrigentia, conjunctâ cum aquæ *fluiditate* & *naturâ quantitatis* eo ſemper tendentis, ut ſubſtantias & corpora, quæ circumſcribit veſtitq;, in unum cogat, unde aqua nunquam non *contiguitatem* ſuam ſervet, marginem vaſis per-

 fluat,

fluat, & quando tranſiit, nullâq; aliâ cauſâ fortiore ad diviſionem aquæ promovendam interveniente naturaliter iterum deorſum tendens facilius delabatur in terram aut vas ſuppoſitum usq; ad commune æquilibrium aquæ in vaſis. Ad exactam verô ejus demonſtrationem alias circumſtantias adjungendas esſe addit , idq; *aliâ in Disſertatione*, ubi hanc materiam expreſsè tractaverit, fecisſe, ut adeò actum agerem, ſi porrò aliquid ea de re conſignarem. Ea igitur Disſertatio, quæ continetur in *Demonſtr. Immort. An. Ration. tract. 1. c. 19. fol. 158. & ſeqq.*, conſulta prolixê ſatis edisſerit totum negotium, cujus ſumma hæc eſt. Puriores per ſubſidentiam factæ, adeoq; leviores aquæ partes ſupernatantes, caſu viciniores factæ ad lingulæ ſiccæ extremitatem interiorem immisſam ſtatim adhærent, & ſic adhuc propter ſuſpenſionem leviores à reliquis ſuperficiei aqueæ partibus gravitantibus & comprimentibus impelluntur & attolluntur ad erectæ lingulæ infimum gradum & filorum ordinem inſtar coni, hinc obliquè ad alterum, tertium usq; ſupremum protruſæ ſequentibus ſemper & impulſis novis partibus donec ultra faſtigium transgresſæ adhærentesq; adhuc, propter gravitatem ſponte decidant.

Quæ an aliis ſatisfecerint, ipſi videant: mihi certè dubia adhuc mens hæret. Nam 1. in hoc ipſo capite, ubi de tribus aliis motibus ad particularia corpora pertinentibus, filtratione, reſtitutione & attractione electricâ, præter attractionem, de quâ in priori capite actum, agit, nullam facit Nobilisſimus Scriptor mentionem attractionis cujusdam tanquam necesſariæ & efficientis primariæ in filtratione; ſed filtrationem hanc ipſam ad alium motum refert, quem ex contextu *Impulſum* esſe elicies. 2. Caſu aliquo viciniores factas aqueas particulas leviores ſtatim adhærere lingulæ ſiccæ, ibiq; facilius impelli ſurſum quàm in aperto aëre in exemplum aquæ fluentis ad baculum erectum adſcendentis, vel pilæ repercusſæ,

cuſſæ, vel ovi rore majali impleti ad baculum obliquum ſcandentis ſtatuit: ubi iterum nihil attractioni filorum ſiccorum, ſed impulſui potius adſcribit adſcenſum. Et, an hoc ſemper veroſimile ſit, quod caſu viciniores leviores factæ ſtatim adhæreant, videbit qui gosſypium, laneam lineamve telam imprimit aquæ, ſiquidem vicinæ illæ potius diutisſimè depresſæ circumcirca manent, & quaſi foveam faciunt, cum id quidem verum ſit in chartâ bibula ſiccisſima, cujus diſcriminis ratio infra patebit. Etiam, ſi caſu viciniores ſaltim adhæreant, perpetuus ille & naturalis non erit adſcenſus, ſed fortuitus, cum tamen in diſpoſito filtro ſit perpetuus. Imò, ſi vel concedatur, caſu vicinas esſe factas, an impulſus ille tanti valere aut ſufficere posſit ad trudendas guttas, quærendum eſt. 3. Impulſus ipſe quomodo fiat, exprimit ita. Aqua ſeſe naturaliter comprimit, ut levioris cujuspiam corporis ingresſum prohibeat; & ut aërem incluſum expellit, (forte in tubo immisſo contentum ſubintelligit, aut alio modo ſubditum) ſic & graviores partes reliquæ ſeu integra moles aquæ leviores adhæſione factas partes elevant ab infimo ad plures telæ gradus. Quod an naturæ ſit conſentaneum, perquirendum. Siquidem aqua gravitat quidem & ſupernæ infernas premunt, laterales etiam forte ipſæ vicinas. An verò ita premant, ut à gravioribus leves, eæq; à ſuſpenſione adhuc leviores factæ ſurſum pellantur, dubito. A presſione aëris rarefacti aut inferioris aut ſuperioris aquam incluſam ſurſum levari ratio modernorum & experientia monſtrat. An verò ſibi relicta & in aperto aëre, etiamſi adminiculum filtri concedam, ſine impulſore aut tractore fortiori, ſine contigui amore aut laterum madore ultra æquilibrium vel ſeipſum trudat, vel adſcendat ſponte, doceri cupio. 4. Obiter quoq; animadvertendum eſt, *Dominum Digby* inter cauſas filtrationis ponere etiam naturam quantitatis eò ſemper tendentis, ut ſubſtantias & corpora,

pora, quæ circumſcribit veſtitq;, in unum cogat. Sed quid ſibi hac definitione velit, non caperem, præſertim cum interpres Germanicus *M. A. H.* qui eſt *Mag. Achilles Hupka*, ut conjicio, vertat zerbreche und zertheile/id eſt frangat & dividat: niſi fortasſis mentem ſuam his verbis *c. 18. art. 2.* clariùs explicaret. Nam cum ea ſit, inquit, quantitatis natura, ut quotiescunq; inter ipſas partes nihil intervenit, tangere ſe mutuò, adhærere, uniriq; ſibi invicem debeant (quomodo enim diſtarent, cum nihil ſit quo ſeparentur?) cum una earum attrahitur, oportet ut vel novum aliquid occurrat abeunti adhæſurum; vel altera contiguitatem ſuam tueatur, tractamq; ſequatur. Si enim nihil interveniat, manent ſemper contiguæ. Quare cum neceſſe ſit corpus quodlibet ab alio ei adhærente contingi, vacuum quod prorſus nihil eſt, ab omni in natura rerum exiſtentiâ excludi debet. Et *cap. 19.* quando dicit; aquæ partes graviores ſeu totam masſam comprimere leviora immisſa corpora & ſuas etiam partes leviores ſeu defæcatione, ſeu ſuſtentatione immisſorum corporum tales factas. 5. An deniq; & quomodo ſiccitas attrahere posſit, an quærendo defectum humidi replere, an conjungi humido, merebatur cogitari, cum multa ſint ſicca corpora, etiam poroſa, in quibus non adſcendit, neq; à quibus attrahitur aqua, quod experimenta inferius adducenda docebunt: &, ſi in ſiccis inveniatur humidum, an humidum à ſicco attractum, an humor potius penetraverit ſiccum, quæſtio eſt.

Ergo cum neq; *Carteſianæ* conſecutionis aut circuli corporum ratio, qui in concluſis locis potisſimum ſpectatur, neq; *Digbyanæ* attractionis aut impulsûs, neq; aliorum modus mihi, quod pace magnorum virorum dixerim, hactenus ſuffecerit pro adſcenſu aquæ ſpontaneo, quem tantùm hìc ſcrutamur ſine præcedente deſcenſu in exteriori ligula; tentavi ad lucem priva-

privatam, explendumq; deſiderium meum ſic exponere, fundamenti loco jaciens has theſes.

1. Aqua non eſt pura, (pariter ut reliqua elementa) ſed habet poris interſertas & admiſtas particulas igneas, aëreas, terreasq;, quas microſcopio, defæcatione, evaporatione agnoſcimus, ut & ex majori minorive calore, quem in puteali ſentimus, videmus in hyeme fumantem, ejusq; ignis extinctionem ſeu abſentiam in glacie obſervamus. Et quomodo exſiccantur aquæ in vaſe aut fluminibus per æſtatem ac in loco calido, niſi quod ab igneis tàm ſubterraneis & internis, quàm externis ambientibus particulis eleventur aqueæ? Habet etiam aqua ſalem Naturæ ſeu dulce nitrum, quod *ἄνω* cogitat ad ſpiritum univerſi, per quem copioſiorem tamen ros majalis in ovi teſtâ incluſus à radiis ſolaribus calefactus juxta ſtilum aſcendit: quod ex mente ingenioſisſimi *D. Joh. Jeniſii Collegæ Naturæ-Curioſorum* honoratisſimi addo, qui in Reſponſoriis ſuper hoc negotio inſuper ſuſpicatur, aquam quoq; per fila contorta & quaſi cochleatim facta æquè facile ut alia onera per trochleam ſeu obliquè ſublevari.

2. Aqua liquida ſeu fluida eſt, ſemper movetur Carteſio part. 2. Epiſt. 108. & ob motum ſuum *diffunditur* per ignem & aërem innatum ſeu contentum aut materiam ſubtilem, ſi non altius propter presſionem aëris, ſaltim usq; ad convexitatem aliquam imperfectè rotundam aut perfectè ſphæricam; quam in magno maris circulo, lacubus tanquam arcubus globi aquei, guttis pluviæ, aquâ in vitro aut plano ſicco rotundatâ ſpectamus, *Carteſio* à globulorum cœleſtium presſione *Princ. Phil. part. 4. §. 19.* procedentem. A cujus motoris abſentiâ congelatur & quieſcit aqua. Atq; fortè circularem hunc aut qualemcunq; tandem motum (quem ex appetitu continuationis

profectum putat *Baco Verulamius*) microſcopio agnoſcere posſumus, præſertim in turbidulæ agitatis aquæ minimis.

3. *Aqua* fluctuatione ſuâ & motu per particulas flexiles *ſeſe inſinuat poris* adhæretq; *viſcoſitate* quâdam, (cum alio nomine exprimere non detur adhærendi aptitudinem & appetitum) corporibus ſiccis adeo tenaciter, ut etiam in parvâ quantitate ſimul elevetur, majori quidem, cum adhuc eſt contigua ſuo globo; minori, ſi ſeparata ſit & altius tollatur: quod digito poroſo, medulla, ſpongia, laneo lineoq; panno, ipſis etiam compactisſimis corporibus ut auro & pretioſis lapidibus, qui tamen etiam ſuis poris non carent, efficimus. Idq; *Baco* appetitum unionis in liquidis & attractionem contigui à ſiccis dicit.

4. *Aqua ſphæram* ſeu *locum ſuum*, id eſt, medium inter aërem & terram ſic *firmiter tenet*, eoq; tendit ex divino ordine, libero motu, amatq; conjunctionem ſui & proprii *contigui*, ut violento ſeu tractu ſeu pulſu è loco dejecta aut elevata, ſed libertati reſtituta & prorumpens etiam terminos longisſimê ſuos transgrediatur, & priusquam patiatur disgregationem ſeu discontiguitatem, ſeu discontinuitatem *Schotto* dictam, ſeu ſolutionem continui, potius rumpantur continentia & includentia vaſa. Ex eâq; conditione gravitat, id eſt, ad centrum tendit vel ſuâ ipſius inclinatione, vel cœleſtium, ætherearum aërearumq; presſione particularum, quam Hypotheſis Phyſicæ novæ auctor circulationi ætheris addicit. Ob eandem quoq; vim (preſsâ nimirum aquæ ſuperficie æqualiter à cœli circumcurrente vortice, mediante aëre, ut vult *Henr. Regius Phil. Nat. p. 172.*) æquilibrium ſuum ſervat accuratisſimê, ultra quod in artificioſisſimis inventis ægrè datur transire. Ad cujus loci illuſtrationem non posſum non adducere *Roberti de Fluctibus* locum de multiplicatione tritici laudatum

à *Joh.*

à *Joh. Tackio Phaſ. Soph. 1. p. 24.* quod ſimul faciat ad theſis primæ lumen, ubi inter plura, quæ merebantur omnia transſcribi, Tandem, *inquit*, elementum aquæ ſuâ ſerie & ordine aëri ſuccedit, unde illud immediatè, poſt aërem, ex terræ matrice ſurſum exilire animadvertitur, nam idem ſibi vendicat combinationis privilegium cum aëre, quod aër habuit cum igne. Et quamvis in ultimo loco terra eadem ratione volatile & fugitivum aquæ elementum amplectitur; tamen ratione ponderoſitatis, atq; etiam propter ejus in ſphærâ ei à creatione asſignatâ quieſcendi deſiderium, ſiſtit aquam in ſuo motu, eamq; impedit, ne magis ſurſum vehatur; atq; iterum aqua impedit aërem, cui naturali amicitiâ conjungitur; & iterum impeditus aër adeſt igni, tanquam frænum, illumq; coërcet in ſuo motu, atq; hic deniq; mirabiliter retinet radium ſolis incluſum, illumq; prohibet, motuiq; ſuo, ne magis ſurſum tendat, omninò obſtare videtur. *Et ibidem:* Res quælibet naturali inſtinctu ad libertatem ſuam nativam aſpirat, & in propriam manſionem ſeu patriam reverti avet.

Poſitis igitur his, quod *Aqua ſua natura tendat deorſum; propter ignem verò incluſum & aërem, vel ſi mavis ætherem ſemper moveatur, fluat & diffundatur ad minimum circulari fluctuatione, (ſi ſurſum adhuc ſit impotens) inſinuet ſeſe fluiditate & flexibilitate liquidâ poris & texturæ ſimili corporum; viſcoſitate & glutinoſitate adhæreat iis, teneatq; vicinorum aqueorum corpuſculorum contiguitatem firmisſimè: non poteſt non aliquando gradatim ſerpendo ad certos quosdam terminos aſcendere.* Exempla proſtant in *linteo* appenſo, *chartâ* bibulâ, *filtro* impoſito, *panis* medullâ, *ſacchari* metâ, *aſtaci* caudâ, quorum omnium ratio pro circumſtantiarum cauſarumq; viribus

 variat,

variat, adſcenſusq; major vel minor, facilior vel difficilior eſt. Nam de adſcenſione in *Vaporibus* propter ignem ſimul trahentem aut comitantem aut pellentem hic non agitur. In *Siphone* quoq;, *antliis, thermoſcopiis*, alia res eſt & ratio à calore externo, aëris presſione, ſequelâ corporum, fugâ vacui, aut ſi quæ ſunt aliæ cauſæ. Et quod in *ſiphonis tenuisſimo crure*, quem *Rob. Boyle Exper. Phyſ. Mathem. 35.* depinxit, adſcendat parumper ſponte; ad laterum anguſtiam, ad quæ humentia primùm appellens aqua facile adhærere, difficulter cedere poteſt, aëremq; non facile tranſire permittit, melius quam ad alias rationes anxiè referemus, de quo *Schottus Techn. Cur. l. 2. c. 37. p. 169.* annotat.

Videbar jam mihi præ aliis multis ſapuisſe & acu rem tetigisſe. Verum enim verò cum ad experimenta facienda manus admoverem, vidi plurimis difficultatibus negotium ſcatere, ita ut pro variæ materiæ conditione facile vel difficulter, altius vel humilius vel plane non adſcenderet aut deſcenderet liquidum, indeq; vel auctoribus aliis conſentire vel contradicere cogerer, modo rationes aliquas invenirem, modo neſcirem, & ἐπέχειν quoq; meum hic exclamare mallem.

Nam ſi *laneum* filtrum *ſiccum* album aut coloratum vel multos dies etiam in calido loco detineatur, aqua non aſcendit, neq; unicum filorum ordinem ſuperat, ſed potius circum illud depresſa diu & profundior apparet. Cujus cauſa, quantum mihi videtur, vel naturalis pingvedo, quæ in quibuscunq; pilis obſervatur, in albo griſeoq; aut nigro primigenio, vel ab oleo inter pexendum & filandum relicta quæ aqueas adhærere non ſinit: in colorato inſuper à mineralium terrenorumq; ſuccorum particulis adſtrictio, pororumq; condenſatorum concluſio & reſiſtentia quædam esſe poteſt. In *madido*, ſi vel à ſubitâ imbuitione vel tardius ſub dio à rore aut pluviâ aut aëre humido contigerit, facile adſcendit & deſcendit, uti quidem experientisſimus obſervavit *Carteſius*, qui absq; probâ imbui-

imbuitione non poſſe pro filtro adhiberi pannum prodit, & cum eo *Regius p. 63.* conſentit. Neq; huc facit, quod lana attrahat aquam & augeſcat pondere vel ulnarum aliquot ſpatio remota, notante *Bacone Verul. Experim. 76, 78. & 79:* cum per evaporationem eousq; adſcendat & ſublevetur, non ſenſim corporaliter & per contiguas guttas aut lineam ſerpat. Quod in *goſſypio* longitudine ratâ extenſo aut in filum contorto ſicco non adſcendat, forte naturalis etiam pingvedo impedit. Adſcendit autem in madefacto aqua. Ita & ob eandem rationem in laciniâ *pileaceâ* ſiccâ rarisſimæ texturæ, vel ſine oleo præparatâ, qualem per pileonem fieri feci, non adſcendit: in madidâ verò adſcendit.

In *linteo* albo mundo ſicco adſcendit quidem, ſed tardê, & difficulter, ut in colorato adhuc difficilius & in glutinato per pultem farinaceam lotricibus & textoribus familiarem, obſtructis ſcilicet poris vel difficillimè, vel planè non; quod in *ſericeâ* mundâ, coloratâ & glutinatâ ligulâ idem fieri uſus te docebit: cum contrâ in madefactâ linteâ aut ſericeâ facillimê adſcendat atq; deſcendat.

In *ſpongiâ* marinâ ſiccâ non adſcendit niſi parumper. Et quamvis innatans aquæ tandem tota imbuatur & ſubmergatur: hoc ipſum tamen fieri non asſolet, quod aqua adſcenderit ſponte, ſed quod pondus aquæ in inferiori parte detrahat ſuperiorem totamq; ſic madefaciat, id quod experiri licet in ſuſpensâ ſpongiâ, quæ nonniſi parcè ſupra aquam madeſcit.

In *medulla* tamen *ſambuci* ſiccâ adſcendit parum, quod fortasſe de aliis ſimilibus *medulloſis* ſubſtantiis verum erit.

In *panis medullâ* & ſpirâ ex tritico piſtâ adſcendit aqua aut vinum ſupra duos digitos, illaq; ſimul crasſeſcit dilatatione & impletione pororum, de quo infrà.

In *charta* albâ ſcriptoriâ ſiccâ *glutinatâ* non adſcendit, vel minimùm ſaltèm propter pororum obſtructionem: cum in

madefactâ etiam deſcendat poſt adſcenſum. Aſt in *bibulâ* ſiccâ non glutinatâ adſcendit celeriter ſatis, ita ut etiam ultra margines profecta deſcendat & deſtillet, cujus rationem expectabimus.

In *Aſtaci cocti caudâ* curvatâ & humectâ quod adſcendat, deſcendatq; è vitro pleno guttatim aqua: (in ſiccâ enim an procedat, periculum facere cuivis licitum eſt) furculæ illæ ſub illius curvaturâ conjunctæ veluti contextum filorum faciunt, quibus madefactis aqua adhærens eodem modo & ſerie ſequitur labentem ut in laciniâ; ubi intumeſcentiam hic furcularum, quam in filis *Digby* numerat pro neceſſaria circumſtantia, locum non habere apparet. Hocq; problema cum figurâ *Harsdorferus Delic. Math. part. 3. ſect. 8. quæſt. 17.* proponit & adſcribit adſcenſum caudæ cavitati velut fiſſo ſiphoni, cum aqua nonniſi per fiſtularum ductum ferri poſſit in altum, ſcilicet propter gravius pondus trahens in crure longiori, quod *Schwenter part. 1. ſect. 13. quæſt. 1.* arbitratur. Sed fortaſſis male adducto exemplo, quia ſi vel longiſſimum ſit crus alterum, pondusq; aquæ graviſſimum, in ſiphone fiſſo ſub aëris libertate poſito, nequicquam adſcendit. Immô, ſi per minimum foramen in ſupremitate ſiphonis integri preſſione aëris penetrantis effluxus ſufflaminatur, quomodo in aperto & fiſſo ſiphone vel non gravitabit, vel adſcendet? Quod *olea deſtillata* & *ſpirituoſæ* aquæ ad aliqualem altitudinem adſcendant, à volatilitate & igneis vaporoſis ſpirituoſis moleculis & corpuſculis habent.

Addendæ nunc quoq; ad majus lumen *circumſtantiæ, requiſita & termini certi*, intra quos vel adſcendit, vel deſcendit vel non, vel ſuſpenditur. Siquidem non adſcendit plus præter id, quod jam continetur ex interiori etiam humida filtri parte, niſi trahatur à deſcendente graviori aut inclinante magis exterioris ligulæ ſimul humidæ. Nec adſcendit amplius, ſi ligu-

ſi ligulæ pars exterior ſit brevior interiore. Adſcendit libenter, ſi ligulæ exterior pars ſit longior internâ aquæ immersâ, eoq; citius & copioſius, quo longior: non tam ob pondus aquæ, quam perpendiculum majus. Debet enim vincere delabens aqua ut in ſiphone ita & in filtro, non pondere, ſed potius gravitatis niſu & longiori perpendiculo atq; propenſione ad terræ centrum, ut oſtendit *Regius Phil. Nat. l. 1. c. 12.* cum ſiphonis crure obliquo & recto ejusdem perpendiculi; & pluribus locis *Schottus* illuſtrat: quodq; ſipho crure breviori ſed amplo, & longiori ſed anguſto monſtrabit, ubi illic gravius pondus ab hoc leviori tamen trahitur.

Terminos etiam certos hic æquè esſe ut in ſiphone, ubi non ultra 34. vel 35. pedes altitudinis perpendicularis tranſit; ut in antliis & thermoſcopiis, ubi non ultra viginti ulnas aut quadraginta pedes aſcendit (quod cylindro aëris prementi adſignant moderni:) inde conſtat, quod interior ligula non nimis longa debeat esſe, menſurâ per experientiam reperiundâ; quod in vaſe ſuperiori pleno profundâq; ſeu altâ aquâ ligulâq; externâ longiori, adeoq; aquâ copioſiore & graviore trahente fortiùs, ſtillæ citiùs cadant; ſubſidente contra illic & diminutâ aquâ aut evacuato ferè vaſe, tardiùs decidant; quod in æquilibrio vaſorum utrinq; ſuppoſitorum quieſcant; in ligulâ exteriori ſed breviori quàm interna eſt, non deſtillent, ſed quicquid inibi detinetur, in vas ipſum ſuperius per longiorem interiorem partem decidat. Et quæ alia plura inter experiundum occurrunt Curioſo, cui per otium volupe fuerit inquirere.

In his experimentis, & ſi quæ alia posſunt obvenire, agnoſco quidem facilitatem vel difficultatem, terminos etiam, ut ut nondum definitos adſcensûs & deſcensûs aquæ in filtro toto ex viarum pororumq; ſitu, amplitudine, anguſtiâ vel obſtructione, ex texturâ diversâ, ex pondere & copiâ liquidi,

ex

ex ſpirituoſitate, levitate, denſitate, terreſtreitate, volatilitate partium: veram tamen cauſam cur aqua contra gravitatis ſuæ naturam veluti ſponte ſine motore peregrino, ſine præviâ gravitate ſecumq; trahente exteriori aquâ, ut diſtingvatur ille *ſpontaneus à conſecutivo aut tractivo adſcenſu*, adſcendat, me neſcire fateor, niſi quis mihi cum *Carteſio* concesſerit motorem internum perpetuum, comitatum aliis concauſis juxta theſes ſuperiores; quamvis interim facilius negare audeam, quod non ab attractione ſiccitatis, neq; ab impulſu quantitatis, neq; à conſecutione in pelliculâ velut in ſiphonis tubo proveniat, neq; à pondere graviori ſolo.

Ne tamen nihil definiam, liceat mihi liberè philoſophari primùm de *Adſcenſu & Deſcenſu aquæ* in filtro, ejusq; totâ operatione, dein de *Adſcenſu ſolo* quaſi ſpontaneo in filtri interiore ligulâ ex chartâ bibulâ, linteamine, medullâ, *&c.*

Illius *cauſam* pono *Aquæ gravitatem & contiguitatem*; ſeu, ut notantius me exprimam, aquæ naturâ deſcendentis gravitas eſt, ſecumq; trahentis contiguam viſcoſam & fluidam proximam aquam amor, & vis inſita ſuæ ſphæræ, usq; ad æquilibrii quietem, conjungi; qui tantus eſt, ut potius in altum trahat gravem, & naturâ deorſum inclinantem, quàm ut contiguam dimittat aquam: quiq;, quod in ſiphone minus impeditus ab aëris presſione, (cui aliàs adſcribitur ea ſuccesſio & conſecutio,) fortiùs ſeſe exſerit, & deſcenſum facit celeriorem. Hæc cauſa ex *procesſu* toto filtrationis clarius apparet, qui talis eſt. Quando lacinia lanea, lintea, bombicina, aliave poroſa madefacta, id eſt, in aquam eousq; immerſa, ut hæc in laciniæ poros penetret & undiq; ſe inſinuet, atq; illos impleat, & ſic præparata in vaſis aquam extremo uno demergitur, illicô presſæ & motæ aquæ quantitas aliqua accedit & affluit, adhærendo adſcendit parum propter ſimilitudinem & amorem contigui viſcoſi quaſi per ſcalam filorum, nec non pro-

propter motorem igneum aëreumve elevantem. Dum verò interim in laciniæ exteriore parte margini appenſa, quæ longior debet eſſe interiore, propter gravitatem aqua defluit, & guttatim deſtillat, ultima in ſupremo filorum ordine gutta continuam trahit in interiore ſupremam ſeu primam, prima alteram, altera tertiam & ſic reliquæ reliquas, ex quibus veluti punctis fluentibus una continua linea conſtituitur: aut ſequitur altera primam, alteram tertia propter viſcoſam & glutinoſam ſuam fluiditatem, appetitum & amorem contigui; idq; tamdiu procedit, donec interior omnis aqua exhauſta ſit, vel ad æquilibrium adſcendendo & deſcendendo venerit, vel terminos ſuos ſupergredi amplius non poſſit.

Hujus, nimirum Adſcenſus ſolius, ratio iſta mihi videtur. Aqueæ fluidæ, mobiles, & flexiles quaſi angvillares & ſerpentiformes in minimâ, ſed debitâ eaq; proportionatâ quantitate ab igneis aëreisq; particulis & minutiis, quæ flammæ inſtar, conicæ ſeu pyramidales, flexuoſæ ſunt & fluctuando ſurſum moventur, ſi iſtis ſint fortiores, per poros tenues ſimiles flexuoſos & apertos extolluntur & ſerpunt per gradus facile, ut contrà impediuntur à poris concluſis aut diſſimilibus, & texturâ pingvi aut aſperâ, diffundi & adhærendo ſcandere. Hinc cum charta bibula nonniſi ex linteorum filorum, laneorum pilorum, fibrillarumq; maceratarum & inciſarum redintegrato & complanato contextu, ſimul digitatim ſeu ramatim ſeu angvillatim & inordinatè complicato conſtet, credibile eſt per poros ſimiles citius poſſe gradatim ſerpere & quaſi fluctuando ſcandere, quàm per contorta & ordine compoſita fila linteæ aut laneæ telæ; quemadmodum diffuſionem faciliorem ignis videmus in combuſtæ & extinctæ chartæ aut lintei poris apertis, quam crudi & integri viis conſtrictis.

Adſcenſui huic, qui in Filtratione ſpectatur, *aquæ* affinis eſt ille, qui in *ſalis acervo, ſacchari meta, panis medulla* fit: videtur tamen aliam invenire cauſam. De quibus *Carteſius part. 2. Epiſt. 108.* ſic poſt ſiphonis & filtri rationes redditas: ſed de panis medullâ aut ſaccharo aliter ſe res habet, in iis enim aqua adſcendit propterea, quod partes ejus ſunt in perpetuo motu, eorumq; pori ita ſint diſpoſiti, ut aër ex illis facilius effluat, quàm in illos ingrediatur, & contrà aqua facilius ingrediatur quàm effluat, prorſus ut ſpica per brachium aſcendit, ſi ariſta deorſum in manicâ ponatur. Cui ferè ſimile, quod *Merſennus in ſupra l. cit.* aëri in telâ ut in micâ panis contento aquam ſecum trahenti adſignet adſcenſum, quem citat *Harsdorf. Delic. Mathem. part. 3. ſect. 8. probl. 18.* ubi quærit, quomodo cum micâ panis fieri posſit, ut aqua adſcendat, appensâ ſcilicet ad marginem vaſis ſicut cancro cum caudâ: reſpondetq; ex eodem fundamento ſequi, ut in aſtaco factum, nempe veluti per ſiphonem fisſum. Nec abs re erit quoq; audire *Baconem Verulamium*, qui *Cent. 9. Exp. 884.* ſcribit: Impone ſaccarum vino, parte ſupra vinum extante, parte vino immerſa. Miraberis prominens ſaccarum citius molleſcere & disſolvi, quam vino tectum. Cauſa eſt, quia vinum intrat partem ſaccari vino immerſam ſimplici infuſione aut diſperſione, ſed pars extans fodicante ſuctione ſubruitur; cum ſpongioſa corpora aërem expellant, & liquorem attrahant contiguum; quod ſpongiæ docent parte aquis ſuperextante. Quæ omnia tantorum virorum ſubtiliter & eleganter dicta esſe nemo diffitebitur. An verò Veritatis ipſum ſcopum attigerint, judicent veri æſtimatores. Ego pro ingenii modulo opinionem meam propono ad illorum forte illuſtrationem, neq; tamen obtrudo aliis mea, neq; ſic tenaciter propugno, quin rectiora monentibus ceſſurus ſim.

Salem facile humiditate ſolvi & quotidie oculata fides evincit, & asſerit *Carteſius Meteor. c. 3. §. 4.* additâ ratione, quod particulæ aqueæ flexiles & perpetuo mobiles ſeſe circumvolvunt rectis & utrinq; æqualiter crasſis ſalinis. Solutæ itaq; (id eſt per minima cum aqueis penetrantibus miſtæ, ſeparatæ invicem & in motum ſeu fluorem verſæ) ſalinæ in infimo ordine acervi aut ſacci diffunduntur, occupant majus ſpatium, & vicinas ſuperiores quoq; ut laterales ſolvere aggrediantur, (quia ſecundum *Verulam. Cent. 9. Exper. 883.* in aquâ ſalsâ ſal citius disſolvitur, quam in dulci ob ſimilitudinem) cum ſalia nonniſi ſoluta agant: ſed & ſolutione hâc & conflictu fermentari quodammodo vel ad minimum effervescere incipiunt, quod videmus in calce vivâ aliisq; excitatis ſalibus, qualia exempla quotidie inter labores chymicos obvia ſunt e. g. in pugnâ acidi & alcali, in ſolutione metallorum per aquas ſtygias, aliorumq; ſalinorum miſturâ: indeq; evehi, exaltari, & per calorem volatiliſari, ut tertiæ quartæq; & ſupremæ tandem in ordine etiam liqueſcere imitentur. Adde, quod aër in poris latens ſimul cum ſale mergitur ſub aquam, cupitq; premente quoq; aquâ emergere non ſine luctâ quadam & fervore: excitatis itaq; ſimul (ut in ſalis reſolutione) quibusdam igniculis ſecum evehit aqueas (liquidasq; alias quibus ſubmerſus eſt,) usq; ad verticem ſalis. Atq; ſic aquam comitantibus igneis & aëreis moleculis adſcendisſe in ſalis cumulo credendum eſt, ut contrà cryſtalliſationem in frigore tantò feliciorem, nonniſi egresſis iisdem (vel quod idem, materia ſubtili) quietem & reunitionem ſalinarum particularum fieri ſpectamus. Quale de *ſaccharo*, quod eſt ſalis ſpecies, judicium eſto.

Et ſi de *micâ panis*, quæ vel admiſtum habet ſalem culinarium, vel naturalem ſeu centralem, vel ex fermento relictum, credideris eadem, non errabis. Ille enim in fermentatione & coctione per minima miſtus & ſolutus, atq; fermen-

tatione novâ & illâ quaſi extemporaneâ per humectationem excitatus agit facile in poroſam medullam refertam ſalinis minutiis, diffunditur in omnes dimenſiones, & adſcendit volatilis factus, non ſine auxilio aëris ſuppreſſi & evolantis. Et ſic melius intelligendus *Carteſius*, quod ex poris panis & ſacchari diſpoſitis aër facilius effluat, aqua facilius ingrediatur: nec non *Merſennus*, quod aër ſecum trahat aquam: atq; *Baco* congruè dicens; partem extantem ſacchari fodicante ſuctione ſubrui, cum ſpongioſa corpora aërem expellant, & liquorem attrahant contiguum.

In gleba *argillæ* exſiccatæ vel ſatis altæ adſcendere aquam, ut brevi totam maſſam pervadat & ſubruat, propter ſalis nativi ſeu centralis ſeu nitroſi reſolutionem & aëris exaltationem concludendum eſt.

Aſt in *medullâ ſambuci, junci* & ſimilium ſine ſale reſoluto, qui talibus ineſſe non facile perſuadebitur, ſolo aëre emergente & comitante ad certam altitudinem juxta vires & proportionem levitatis & gravitatis aqueæ adſcendere concedatur.

Tandem deniq; ne *uſu* etiam ſuo deſtituatur, & ſolâ curioſitate ſibi placeat Diſſertatio hæc de Filtratione:

1. Diſcimus ex illâ *neceſſitatem effluxus in ſiphone*, tantò facilioris ab amore contigui, quanto vel minus ab aëre circumjacente externo, (cujus contrà efficaciam videmus decidente ſtatim liquore per factum foraminulum in ſupremo ſiphonis angulo,) effluxus ille impeditur, vel quanto magis ſecundum Recentiores facilitatur & urgetur in concluſo canali à preſſione aëris; (cui aliàs ſoli ſiphonis proceſſus attribuitur) ita ut nec à vacuitate quadam impediatur, (ſi quis forte prætendat fugæ vacui hanc tractionem adſignare) e. g. in fiſtulæ ſupremo angulo, ut *Harsdorff. Delic. Mathem. part. 2. ſect. 8. probl. 17.* aut *Boyle parodox. hydroſtat. 10.* & *P. Kircherus* in ſuo fonticulo phialæ

vitreæ

vitreæ incluſo *l. 3. Art. Magn. par. 2. c. 3. exper. 2.* figuris oſtendunt. Hinc *G. Andr. Bœckler Architect. novæ Curioſæ cap. 15.* judicioſisſimè non tàm in ſiphone quàm filtro contiguitati liquoris poſt attractionem & effluxum inceptum adſcribit continuum fluxum.

2. Non ineptè ſtatuitur, *nutritionem* per viſcerum & muſculorum fibras *veluti per filtri fila* attrahi aut asſumi aut adſcendere & diffundi. Quemadmodum etiam *Monſ. Denis Conferentiâ* I. *Anni 1672.* de vegetatione plantarum agens, ſentit, à calore ſolis elevatum adſcendere ſuccum in arboribus per interſtitia fibrarum, velut per laciniæ laneæ filamenta aut poros panis, quod qui in æſtate & vere aſcenderit, frigore ſubſequente condenſetur in tunicas: ut ut ex denegato in ſpongiâ & filtro ſicco adſcenſu neget quoq; alimentarii arborum liquoris adſcenſum *Regius Phil. Nat. l. 1. c. 12.* quem verò facile concedet, ſi arboris lignum ſeu medullam & corticem, inter quem maximè ſuccus vergit, madidum potius quam ſiccum aſpiciat. Et ſi de filtro ſubſumas, quod *Columella* de ſiphone prædicat, vegetabilium animam per medullam ſtipitis quaſi per ſiphonem alimenta trahere, rectiùs conveniet poſtulato noſtro. Unde egregiè *Carteſius de Homine §. 35.* Ut cerebrum, ita omnis, *inquiens*, cutis, omnisq; caro itidem ex fibris filamentisq; contextæ conſpiciuntur. Quod & in omnibus plantis animadvertitur. Ut hæc proprietas quædam videatur quorumvis ejusmodi corporum, quæ particularum aliorum corporum appoſitione creſcere atq; nutriri queunt.

3. Argumentamur Filtrationem poſſe etiam *ad nobiliora & plura officia in humani corporis œconomiâ* adhiberi. *Laur.* enim *Strausſius in Epiſt. ad Deuſingium* appensâ Demonſtrationi Immort. An. Rat. Digby, *ſpiritum animalem in cerebro filtrari* ait, meliorari nempe & perfici: quod & repetit in *Epiſt. ad Dygbæum* additâ *Theatro ſympathetico*, verbis: cerebri ſpiritus animales

 filtran-

filtrantis. Optimè; cum ſubſtantiam ipſius *Hippocrates* glandulæ asſimilarit, *Bartholinus* pellicularem faciat, alii ſpongioſam velint, *Carteſius* ex filamentis brevioribus & longioribus, omnibus plicabilibus & flexibilibus ac ſi ex plumbo vel cerâ esſent confecta, inter quæ pori pro vi & influxu ſpirituum dilatentur magis vel minus, contextam fingat: ex quo deducti *nervi* plurimis tubulis poroſi inſtar arundinis Indicæ vel ſugunt vel demittunt *ſuccum ſuum nervoſum*.

Hepar colatorii munere ſaltim fungi hodie cum *Bartholino* multi ſtatuunt, inter quos *Charletonus*, quod ſangvinem *ab humore felleo*, qui eidem commiſcetur, *elutriet*, cui olim etiam ſangvificationis dabatur gloria, quam adhuc plures ſervare contendunt.

In *Renibus* à ſangvine *ſerum ſecerni* & per papillares carunculas, totamq; ejus fungoſam ſubſtantiam quaſi filtrari nemo eſt, qui hactenus negaverit.

Per *lienis* ſpongioſum parenchyma *ſequeſtrari melancholicum humorem* antiqui, ſeroſum hodierni aliqui, eoq; ſangvinem depurari ponunt. Et ſupralaudatus *Denis Conferent. 3. Anni dicti* notanter *ſeroſitatem acidam & mordicantem filtrari* per lienis ſubſtantiam, quæ ſit apta ſangvinem figere & incraſſare.

In *glandulis* tàm conglomeratis quàm conglobatis ſeparari ſeu *filtrari humores certos* & ſequaces, apud omnes in confesſo eſt e. g. *in mammis lac, in teſtibus ſemen, in pancreate ſuccum ſui generis, in glandulis oculi lacrymas, in aliis lympham, ichores, ſalivam.*

Sudorem ex ſubtilisſimis *cutaneis glandulillulis* ſpirituum labore ab inquinamento qualicunq; ſylveſtri, vel *ichorum* copiâ ſaltem quandoq; ſe expedire conantium erumpere D. *Major in Diſputat. de Ærumnis Gigantum* propugnat.

Muſculorum uſum esſe ut particulas quasdam *ſecernant*, ceu omnia *parenchymata* faciunt, defendit *Geilfuſius filius in Diſput.*

Inaugurali A. 1676. de Moxa §. 8. qui *§. 4.* quod expresſis & *elutriatis glandulis adipoſis* intercus denſisſimè conſitis eructare perſiſtat cutis *ichorem* vellicata continuê à particulis igneis ut cauterii cujuscunq;, ita & Moxæ affirmat.

Hæ omnes ergo & ſingulæ partes quomodo vel attrahant vel admittant vel emittant humores diverſos & recrementa, (de igne enim & ſpiritu comitante, ſeparante, ſolvente atq; animante non poteſt esſe dubium in corpore vivo) haut erit grave reſpondere, & rationes deſumere à ſimilitudine texturæ, ſubſtantiæ appetitu, ſucci diverſitate & impetu aut inſtinctu, pororumq; diſpoſitione. Veluti enim pingve aut oleoſum filtrum nonniſi oleum, aquâ humectatum nonniſi aquam attrahit, ſpiritibus impletum ſpirituoſa & aliter conſtitutum ſibi ſimilem liquorem; ita & parenchymatum diverſæ texturæ ſimiles quoq; ſibi humores colligunt.

[*In literis Menſe Septembri Anno 1677. VVormatiâ Vratislaviam, ad Collectores Ephemeridum.*]

OBSERVATIO XCIX.

COLLECTORUM,

De

Amygdala Amara,

Quibusdam Animalibus Nociva Ac Lethali.

AMygdalas amaras vulpibus venenum esſe *Dioſcorides* prodidit; modò vulgati codices à genuinâ lectione non recedant: animadvertente ſc. *Caſpare Hoffmanno l. 2. de Med. Off. c. 162. §. 42.* in quodam codice pro vulpibus legi *Lumbricis*. Hoc non obſtante ex laudato *Dioſcoride* pleriq;, ſi non omnes, Botanographi idem retinuerunt.

Fructus hoſce aliis etiam animalibus venenum, aut ſaltem lethalem eſcam esſe, an quisquam annotaverit, nobis quidem

dem non ſuccurrit, niſi quod idem *Hoffmannus l. c.* & *Tragus ex Marcello Virgilio* prodant, *feles* quoq; eſu illorum necari; & Collega noſter amantisſimus *Dn. D. Jæniſius* recenti memoriâ teneat ſciurum in ædibus ſuis ob devoratam amygdalam amaram, mortem oppetiisſe, ſimiliter & alium ſciurum, ob devoratum nucleum mali perſici. Inſuper *Matthiolus* cum *Tabernæmontano* easdem nuces *Gallinaceo* generi mortem inferre adſtruunt. Id ita ſe habere ſequenti relatione lubet confirmatum dare.

Accidit Menſe Julio, hujus Anni 1677, ut in officinâ *Dn. Jeremiæ Schœpſii*, Pharmacopœi Vratislavienſis, more ſolito oleum ex amygdalis amaris exprimeretur, famuloq; partem magmatis reſidui in aream domus projiciente, accurrerent gallinæ altiles aliquot majores, diverſi colores, & criſtatæ, ferculo hoc novo gaviſuræ; cum vero deguſtasſent eam eſcam, eccè paulo poſt greſſu vacillante tanquam temulentæ incedere, caput & collum torquere, in terram pectore procumbere, pedes explicare, mox deniq; mori. Coqua hoc ſpectaculo perterrita, corâm domeſticis reliquis conqueritur, de clade tam inopinâ ſuarum gallinarum, illorumq; opem & conſilium implorat; ipſi verò neſcientes ſubitaneæ iſtius mortis cauſam, mirantur valdopere eam, donec ille qui oleum expresſerat, in terrâ magmatis partem deprehendens, conjecturam faceret, idem magma mortis cauſam esſe. Unica ex ſeptem Gallinis vitâ non penitus functa erat, quæ, exhibitâ theriacâ, morti ſola erepta eſt. Hinc idem Pharmacevtices ſtudioſus, rei certitudinem ſcire deſiderans, pullum gallinaceum dicto magmate amygdalino pavit, & brevi temporis ſpatio eundem parilem mortem ſubire vidit.

Diverſa de hoc caſu fuerunt judicia; maximè tamen probabile videtur, amygdalas non pro veneno gallinarum ideo habendas, ſcilicet quod occultâ ac deleteriâ totius ſubſtantiæ qualitate ipſæ interimant; ſed fortè adſtrictoriâ ſuâ vi ob

magma-

magmatis ſiccitatem & aſperitatem, inprimis fauces & vaſa pulmonalia conſtringant, avesq; ſuffocent: pari prorſus ratione & modo, quo ſciurus ille pauloante recenſitus, à nucleo perſici mali peremtus fuerat. Sed nec hæc ratio ſufficere viſa eſt, cum alio experimento deinceps conſtiterit, non à magmate expresſi olei, ſeu furfure amygdalino tantùm, ſed & ab amygdalis ipſis conciſis, & duorum caponum faucibus intruſis utrumq; paullo poſt ſuffocatum fuisſe. Non tamen tantopere experimentum hoc adductæ rationi contrariari poterit, quin hoc illam magis firmat; ut hinc concludere liceat, ſi amygdalæ amaræ recentes tam validè guttur & fauces gallinæ conſtringunt, ut mortem ea obire cogatur, multò magis magma illud efficiet.

Hiſce conſideratis, ambigua forte *Dioſcoridi*, & quotquot eum ſequuntur, fides reddi videtur, quando amygdalas amaras facultate aperiendi viſcera, dotarunt, ſcilicet à priori aut per ſe. Nam etſi fructibus hiſce omnes illas operationes, quas autores celebrant, nempe aperiendi, detergendi, urinas ciendi, non denegare posſimus, dubitare tamen licebit, an iisdem viribus polleant magis per ſe quàm ex accidente. Ut huc collimare celeberrimus *J. D. Horſtius in Diſpenſat. ſui Medico-Chymici univerſalis P. 1. Lib. VI. c. 236.* videri posſit, ſcribens: de amygdalis amaris duo memoranda traduntur, earum nempe uſu vulpes interfici, & ebrietatem arceri. Jam vulpes pari modo atq; gallinas ſuffocari, à nemine facile negatum ibitur; ergo amygdalæ potius conſtringendi quàm aperiendi dotata erunt facultate. Si ebrietatem arcent, ut exemplo medici illius apud *Druſum*, non ſolùm, ſed & *Dioſcoridis* teſtimonio, & vel vulgi noſtri, etiam infimi, quotidiano experimento conſtat; ſubſumi licebit quod amygdalæ (iterum) conſtringendo orificium ſuperius ventriculi, vaporibus temulentiam præpoſteram cauſaturis,

A 2 viam

viam præcludunt, eo ipſo autem fibras orificii inferioris ſurſum trahendo laxant, ut facilior ingeſto potui detur ad inteſtina & vias urinarias tranſitus & impulſus etiam acceleretur illi. Hæc ita ſe habere; ſimili exemplo probari poteſt, quando videlicet à nimio (cereviſiæ inprimis) potu ventriculus ſic relaxatus deprehenditur, ut potum jam nauſeare incipiat, & comeſto cydonio recenti appetitus bibendi reſtauratur, quis, putemus, negaverit, cydonia adſtrictione ſuâ id præſtare. Eadem hæc poma, nonnè poſt paſtum ſumta alvi dejectionem accelerant, ipſisſimâ facultate adſtrictoriâ, modo quem paullo ante indigitavimus.


Solvendi tamen hanc ambiguitatem gratia, verbo innuimus, autores, quando amygdalis aperiendi facultatem tribuunt, procul dubio nuces iſtas membranâ aſperiore ſuâ denudatas intelligere; quâ inveſtitæ manifeſto documento adſtringunt: proinde ſcire juvet, magmati quod gallinæ devorarunt membranaceos illos cortices admixtos fuisſe, ut & amygdalas quæ gallinaceo pullo & caponibus obtruſæ fuerunt, unà cum cortice fuisſe adhibitas. Deniq; probabile eſt potoribus conducere amygdalas amaras, non ſolâ adſtrictione ſuâ, ſcabritie quin & ſubacri amaritie, quâ ventriculi orificium coercent, & fauces ac guttur quodammodo exaſperando, ad novi potus ingurgitationem ſollicitant; ſed & oleaginoſitate ſua, vel evaporationem temulentorum ſpirituum è ventriculo, cohibent, vel etiam ad liberandum ſe à nimiâ ingeſtorum copiâ, ipſum incitant: quam ob cauſam etiam amygdalæ dulces, ſale inprimis frixæ, ferè eundem effectum præſtare asſolent. Sed cùm incidenter ſaltim hanc materiam attingere libuerit, eam hâc vice prolixè tractare nolumus, B. L. æquum permittentes judicium.

Antequam verò hanc de inopinâ morte gallinarum finiamus obſervationem, aliam ſubnectere juvabit, ab aliâ cauſsâ

pro-

BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY

EPAR GALLINACEUM.



profectam. In domo, ædibus *Dn. D. Tileſi Phyſici Vratislavienſis* benè merentisſimi, vicinâ, alebatur gallina, quæ ſæpius, dum concitatius aliquanto currere conaretur, vacillare valdopere, & ſæpius in terram ruere viſa: miratâ toties causſa imbecillitatis & lapsûs tam frequentis, tandem Menſe Junio Anni hujus 1677., gallinam inopinatò vitam finiisſe deprehenſum eſt. Hinc jusſu Heri cum avis cultro aperiretur, apparuére omnia in ventre contenta ſana ſatis, ſolum epar magnitudine enormi & inſolitâ fuit conſpicuum; unde jam ſubſumtu facilè, gallinam à pondere epatis in curſu ſufflaminatam toties, atq; ſubinde in terram datam esſe, non obſcuro indicio, eam à tali ad lapidem prominentiorem illiſu ſubitò ſuffocatam fuisſe. Epar hoc à laudatisſimo Medico, dono misſum, *D. Volgnadio* illiusq; in gratiam in naturali ſua magnitudine in appoſito ſchemate delineatum, *Lotones viginti* ponderis civilis (h. e. *uncias octo* cum *duabus drachmis* medicis) pependit.

[*Collectores Ephem.*]

OBSERVATIO C.
COLLECTORUM,
De
Vermibus Intra Lingvæ Venam Stabulantibus.

Menſe Septembri hujus 1677. Anni, vir quidam macilentæ ſtaturæ, ætate circiter quinquagenarius, in Suburbio Vratislavienſi habitans, febricitare incipit ſingulis diebus recurrente paroxysmo, cum horrore & calore enormi indies ingraveſcente, & delirio periodico. Cum paroxysmi ſic quater vel quinquies rediisſent tandem ingraveſcente febre, lingva ſubito intumuit admodum, & nigrore

infecta eſſe, viſa eſt, quocirca adſtantes citra moram tonſorem vocarunt, qui venam ſub lingvâ aperiret: quâ dictum factum ſectâ, mox vermiculus vivus prorupit, & poſt aliquot guttulas ſangvinis alius paulo major; quem hìc delineari curavimus, tûm in naturali ſuâ magnitudine, tum microſcopio qualiquali declaratum, erucæ per omnia & capite & caudâ quàm maximè ſimilem. Poſthæc febris ſtatim remiſit, ægrotusq; paulatim ad integritatem ſanitatis rediit.


[*Collectores Ephem.*]

ADDENDA
AD OBSERVATIONEM I.
De
CORNU CAPRI BEZOARDICI.

QUæ Obſervatione I. Anni hujus VIII. de Cornu capri bezoardici Collega noſter Honorandisſimus, *Dn. D. Major* exhibuit, non eo animo, Lector benevole, accipias, ac ſi modò laudatus *Dn. Autor* certò perſvaſus ſit, id quod pinxit deſcripſitq́; verum ac genuinum eſſe capri bezoardici Cornu: quin potius certò credas, in gratiam magni iſtius amici, qui tâm charo munere, iſthoc nomine inſignito, ipſum donavit, ſub eodem Titulo Cornu illud exhibere maluiſſe; quamvis diverſum ſecum tacitè ſenſerit. Ne vero quicquam ingratiis tuis Tibi obtrudere velle videatur, autor ſvaſorq́; Nobis fuit, ut pauca quædam vel ſub finem hujus Anni, eâ de re annecteremus, & quæ de diſcrepantiâ apud Autores occurrente nobis ſit ſententia, candidè aperiremus.

Scilicet varia hìc illìc apud Autores exhibentur depicta, inq́; Muſeis monſtrantur Cornua, bezoardicorum nomine inſignita; nimium tamen quantum à ſe invicem, vel obiter

ſaltim





Vermiculi jam exiccati naturalis magnitudo.

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY

ſaltim inſpecta, differentia: adeo ut nullo negotio Curioſiori de genuinâ horum Cornuum figurâ non levis ſcrupulus ſubnaſci posſet. Verum ſi paullo attentius rem conſideremus, facile patet, diſcrimen illud, ſi non à pictorum ſculptorumq; ſive incuriâ ſive imperitiâ, à ſexûs tamen, fortasſis etiam ætatis, diverſitate maximam partem originem traxisſe. Siquidem Cornu, quod *Cluſius in notis ad cap. 45. Libri* I. *Hiſt. Arom. Garziæ ab Ortâ*, (qui eſt ejusdem *Cluſii* Exotericorum Liber VII.) *p. 217*, & ex hoc *Caſpar Bauhinus Libro de lap. bezoar. cap. 17. p. 98.* exhibet, à ſculptore non adeò accuratê, quoad crasſitiei & longitudinis proportionem ac circulos nodoſos, expresſum esſe, liquet, ſi verba *Cluſii* cum figurâ ipsâ conferantur, certê noſtro ſatis benê quadrant. Aldrovandinum, in *hiſt. quadrup. biſulc. tab.* IX. *fig. 6. p. 306.* repræſentatum, penitus vitiatum esſe oppido patet, ſiquidem *Aldrovandus cap. 21. p. 311*, ipſius *Cluſii* verba referens, in margine lectorem ad dictam *fig. 6.* remittat, quæ tamen cum hujus nihil quicquam commune habet. Niſi fortasſis credere malimus, esſe hoc aliud, certê animalis junioris & maſculi Cornu: nam ratione ſexûs diverſitatem Cornibus harum ferarum inesſe, non ſaltim ſvadet *Olearius, cit. in Obſervatione loco* Cornua *Capri* bezoardici exhibens, quibus cum maximê conveniunt ab *Aldrovando fig. 5.* (quam genuinam esſe vult, ab erudito viro approbatam) animali bezoardico appicta: ſed inprimis in genere caprino domeſtico, noſtrarum regionum, hircinorum cornuum in utrumq; latus divaricatorum varia contorſio perſvadet; cum caprarum Cornua rectê magis in tergum reflexa esſe videamus. Ætatem quoq; quoddam inferre diſcrimen, probant Cornua bezoardica duo, quæ *Dn. D. Volgnadius* inter rariora ſua adſervat, & tertium, quod frater ejus, *Dn. Philippus Volgnadius, Pharmacopœus Vratislavienſis* p. m., posſedit; quæ, uti cum hîc exhibito quoad cætera omnino coincidunt, ita tùm ratione longitudinis, quâ hocce

omnia tria ſuperant, tûm ratione nodoſorum circulorum, qui in parte inferiore, ſive crasſiore, denſiores ſeu frequentiores exiſtunt, nec ipſa inter ſe per omnia convenientes, aliquantum recedunt. Neutiquam vero inficiamur, naturam etiam in hiſce interdum ludere, vel ab externâ nonnunquam cauſsâ, præſertim in petulco hoc animalium genere, formam ordinariam vitiari; quo adeoq; *Monardis* illa *lib. de lap. bezoar. & herb. ſcorzoner.* Cornua lata referre posſumus, niſi diverſæ ſpeciei animal illud fuisſe, adſerere malimus.

Aut ergo, Cornu *obſerv.* I. exhibitum *Capræ* erit bezoardicæ; aut quod laudatisſimo *Dn. D. Majori* nobiſcum videtur vero ſimilius, Gazellæ potius: quod ipſum ut ſuſpicemur, non ſaltim figura Cornu Gazellæ à *Moſcardo* exhibita, ejusq; deſcriptio ab eodem ex *Bellonio* repetita, & huic æq; ac Vratislavienſibus per omnia quadrans, ſvadent; ſed maximè *Acta Anglicana Cl. Oldenburgii Num. 49.* faciunt, utpote quæ, Volgnadiana præprimis, ad vivum quaſi deſcribunt.

[*Collectores Ephemeridum.*]

FINIS.

APPEN-

APPENDIX
ANNI OCTAVI
EPHEMERIDUM
MEDICO-PHYSICARUM
NATURÆ-CURIOSORUM
IN GERMANIA.

PRÆLOQUIUM.

EXhibemus, *Benevole & Honorande* LECTOR, more hactenus receptô, hoc in *Appendice* Scripta quædam, quæ ſicut propter curioſa ſua Argumenta non ingrata *Tibi* fore confidimus, ità majorem in modum, ut pauca de iis moneri *Te* patiaris, quæſumus. Primo verò omnium ſe ſiſtit

Fax, *ſive* Lampas volans

PETRI M. CAVINÆ,

eâ fini ab *Illuſtri MALIABECHIO*, curâ Venerandi, etiam poſt fata, heu nimis adhuc matura! NESTORIS noſtri, B. VELSCHII, commendata nobis eſt, ut *Ea* Ephemeridibus, quod facit, præluceret. Soli faculam accenderemus, ſi in præſenti in *tanti Viri* laudes excurreremus, *cujus* in omnem Rem litterariam merita, Præclarum Nomen per utramq; Solis domum Fama pridem circumduxit. Noſtrum magis eſt, EIDEM, *inclutæ Academiæ Noſtræ* Nomine debitas, h. e. ſummas, pro tam inſigni Benevolentiæ documento, decernere gratias, precibus quàm enixiſſimè contendendo, ne illâ de Favore præmodùm liberali, in ſubminiſtrandis in poſte-

 rum

rum ſimilibus Scriptis curioſis, ſpe (quam ampliſſimam, nunquam ſatis laudandi VELSCHII Amor nos juſſit concipere) *ipſe* nos excidere ſinat.

Noctiluca conſtans, *ſive* Perenniluca.

DN. GEORGII CASPARI KIRCHMAIERI,

quam denuò recuſam dare libuit, tùm quia materiæ dignitas requirere videbatur, ut Argumento conſimili in *Appendice Anni VII.* & in *Obſervationibus VIIIvi hujus Anni* exhibito, adjungeretur, tùm quia ab Ipſomet Authore *Hypomnematibus quibusdam* auctior atq; illuſtratior prodire illa poterat.

Venus Aurea

DN. CHRISTIANI ADOLPHI BALDUINI,

ut &

Epiſtola de Subjecto Lapidis Philoſophici

D. MELCHIORIS FRIBEN,

Suomet ingenio ac curioſitate ſuâ ſic ſe commendant, ut prolixiore præconio opus vix habeant.

Anatomia Vegetabilium

D. NEHEMIÆ GREW,

ob ſuam ſingularem, & antehac non proditam curioſitatem digna fuit citra controverſiam, quæ ex Anglicô in Latinum idioma transferretur. Eâ in Verſione, Interpretem, quoad fieri potuit, *Authoris* verbis inhæſiſſe,

quo

quo minus à ſenſu Ejus fortè recederet, perſpiciet exiſtimamus, quicunq; eam cum Anglico exemplari conferre cupiet. Quia tamen vocabuli unius alteriusvè, præcipuè proprii Plantarum ac Fructuum ſignificationi genuinæ diffiſum eſt, ob defectum ſcilicet lexici omnimodè completi, Anglicam vocem vel ſolam retinuit, vel latinæ adjunxit, ne temerè quid pro quo ſubſtitutum videretur, peritiori vero Lectori, emendationis adminiculum ſubminiſtraretur: eâdem ratione, quâ hìc monemus vocabulum *Coran-Tree p. 313. lin. ult.* Ribeſium debuisſe verti, &c. Hoſce Interpretis conatus ſi, L. B. æqui boniq; conſulueris, erratisq;, uti ſperamus, haut enormibus, nec ſenſum certè obſcuraturis, facilem veniam dederis, reliquos duos *Dn. Grew.* Tractatulos ſequentis Anni Ephemerides pariter latinitati datos promittunt.

Epiſtola, de Opere Anonymi Philalethæ Philoſophico

D. JOHANNIS FERDINANDI HERTODT à TODTENFELD, non alio animo ſcriptam præſumas, niſi ut, quid Ipſe Experimento ſuo deprehenderit, proderet, aliorumq; vel peritiam eliceret, vel ingenium ad ſimilem & feliciorem induſtriam, immò & ingenuitatem intenderet. Nec ſuccesſu caruit propoſitum: nam poſtquam laudata Epi-

ſtola nonnullorum Eruditorum Virorum manibus verſata fuisſet, accidit ut præter omnem expectationem

Epiſtola in Defenſionem Philalethæ ANONYMI,

ab ignoto quodam homine ad nos deferretur, omni indicio à quo, & unde mitteretur, deſtituta. Unde uti non vano fortè augurio conjicimus plura hujus argumenti ſcripta hanc inprimis materiam enucleatura, proditum iri, ſic *Authoris* iſtius *Anonymi* Benevolentiam merito honore proſequentes, ad pleniorem ſcripti ſui, & Philalethæ declarationem *Ipſum* humanisſimè invitatum cupimus. Dum voti noſtri compotes fiamus, & *Tuo*, B. L. ſatisfacere geſtimus, ac de Favore *Tuo* Benigno ſecuri, modò *Te* apprimè VALERE jubemus.

Tui

Studioſisſimi

Collectores Ephemeridum.

FAX

FAX SEU LAMPAS VOLANS.

MAGNUM METEORON,

VISUM POST OCCASUM SOLIS DIEI XXXI. MARTII, M. DC. LXXVI.

EPISTOLICA DISSERTATIO

PETRI M. KAVINÆ,

Adjectis Virorum Dubitationibus Auctorisq́; Reſponſis.

Juxta ſecundæ Editionis Faventinæ Exemplar.

VIRO CLARISSIMO & ERUDITISSIMO

ANTONIO MALIABECHIO,

Sereniſſimi Magni Ducis Etruriæ BIBLIOTHECARIO,

PETRUS M. KAVINA, εὐπράττειν.

PAuca ea per me de magno nuper viſo Meteoro malè congeſta, recenti adhuc calamo per amicos nimis properè ſubtracta, Tibiq; VIR Præſtantiſſime, nuncupata, vix typis excuſa, Typographo, ut ita dicam, erepta, evulgata, diſſeminata per Europam, quantùm per modicum exemplarium numerum fieri potuit, multi adhuc, quod ſcio, Viri docti nimis ſeriò exoptant: eâ,

crediderim, decepti opinione, quod tuo Clariſſimo Nomini ſelectiora duntaxat Doctiſſimorum Opera dicari ſint ſolita. Sed quantum ego in eorum vota ſum pronus in recudenda diſſertatiuncula, tantùm etiam futurum arbitror, ut eorum deſiderio pœnitentia ſuccedat, quando nimirum conceptæ opinioni non reſpondebit operis tenuitas, hoc uno, credo, mihi infenſi non erunt, quod ineptias meas paucis expediverim, illosq; in parva temporis jactura mulctaverim. Tu verò, VIR Præſtantisſime, *cui repetita crambe erit concoquenda, quo nauſeam comprimas modo, non videbam, niſi quædam de novo interſererem, novumq; calculum ad Florentinas & Venetas Obſervationes inſtituerem, niſi aliquid de credita Romanis quibusdam Mathematicis Phænomenωn pluralitate ſubjungerem, quod palatum vel delectaret, vel irritaret. Hoc libenter breviterq; præſtiti pro viribus, & pro maximis, quibus detineor, rerum gerendarum curis. His rite perpenſis iterum lege, iterumq; patere: meq; tua, qua ſoles, ſvavitate complectere. Vale.*

Faventiæ, VIII. Cal. Auguſti 1676.

FACIS

FACIS SEU LAMPADIS APPARITIO,

Seſquihora ferè poſt occaſum Solis diei 31. Martii 1676.

FAVENTIÆ ſilente Luna, obſcuro, ſed ſereno Cœlo, prætereuntium oculos improviſus tanquam diei ſplendor inopinata luce percelluit. Erectis ad inſolitum jubar luminibus ſeſe obtulit à parte Orientis æſtivi Fax, ſeu Lampas ardens, Lunæ totali, ſeu πανσελήνῳ apparenter ſimilis, quæ motu progresſivo in meridianum asſurgens poſt ſe caudam trahebat trium fere ſimilium diametrorum, radios undiq; ceu quodam ſibilo, ut ajunt, evibrans, & in Occidentem hybernum converſa, in multam à meridiano elongationem progresſa, & in nubem quandam illiſa cum magno ſonitu evanuit.

Quantum à vertice declinaverit in auſtrum in meridiana altitudine, ut perciperem, Faventinos obſervatores in loca ipſa obſervationum mecum adduxi, & monſtratis oculo digitoq; locis, altitudinem primùm ſexaginta graduum ſuſpicatus ſum, ſed re melius perſpecta, & collatis invicem per calculos obſervationibus aliorum, gradus quinquaginta oculari æſtimatione, & certo eventu concluſi, cum diſtantia à noſtro vertice gr. 40.

ROMÆ viſam ſed in Boream declinasſe D. *Hadrianus Auzout* Nob. Aſtronom. Gallus, Faventiæ obiter die 28. Aprilis commoratus ubi me inviſere voluit, Roma Pariſios in patriam redux, teſtatus eſt Eximio Philoſophiæ, & Theologiæ Doct.

D. *Petro Franciſco Bertonio* mihiq; , inter ſympoſiacas quas habuimus quæſtiones.

FLORENTIÆ viderunt plurimi, eamq; ſcriptis & typis evulgarunt. *Malachias dell' Arpe* in ejus Epiſtola Florentiæ impreſſa ait zodiacum permeaſſe inter ſigna Cancri, & Geminorum cum pauca declinatione Auſtrali à vertice.

Ab Oriente æſtivo excitatam, & in Occidentem hybernum merſam non Faventini tantùm obſervatores, ſed alii etiam autumant, ut Clariſſimus Eques *Naldinus* extra Florentiam, & *Malachias dell' Arpe* in ejus Epiſtola Florentiæ impreſſa, ubi ſub lucida Arcturi accenſam ait: quod præter propter cum eodem Oriente æſtivo coincidit.

VENETIIS viderunt plurimi, & quoniam Anonymi Viri docti Schedulam ſatis diligentem ad me miſit Vir optimus *Joh. Jacobus Hertz* Bibliopola notiſſimus, eam affero ſic latinè redditam. *Viſum eſt præſertim omnibus illis, qui verſabantur in Ripa* de Schiavoni, *quæ meridiei rectà exponitur. Non viderunt exactè principium, neq; finem, quia in magnam nubem terminaſſe contigit. Exortum eſt, ubi nunc nobis apparenter Sol exoritur, tardiuſcule ad ſummum Cœli aſcendit, ubi paululùm immoratum, ſe celeriùs in Occidentem impulit, eadem, ut nobis viſum eſt, via, quam Sol eadem die peregerat.*

In aliis præterea quam plurimis Italiæ Civitatibus eadem fere hora viſam, monuerunt per literas amici fide digni.

In Germania inferiore Trevirenſibus viſam ſcripſerunt PP. Societatis Jesu; quod mihi teſtatus eſt adm. R. P. *Joh. Baptiſta Spinula* hujus Collegii Faventiæ Rector, Vir eximiæ integritatis & doctrinæ, ſubdens ex eiſdem literis, Trevirenſes viſo Phænomeno, Auguſtæ mortem mox ſubſequutam tribuiſſe.

Figuram quod attinet, ultro omiſi, quoniam aliis rotunda, aliis elliptica, aliis acuminata, aliis malè rotunda, aliis aliter viſa, ut ex figuris Bononienſibus, Florentinis, Lucenſibus, Venetis ad me miſſis obſervo, in univerſum tamen

de-

deſcriptæ per me magnitudini par erat, colore ignis intenſo rutilo, & in fine cæruleo, niſi quod Clariſſimus Philoſophiæ Profeſſor *Alexander Marchettus Piſis* viſam in principio parvam, & igneæ trajectioni ſimilem in ſuis ad te datis literis refert *Doct. Med. Joh. Cinellus* caudam croceam, & in fine cæruleam vidit.

De luce omnes conſentiunt maximam fuiſſe; de tempore verò durationis totius motus diſſentiunt: ego verò perpenſis relationibus ſtatuo durationem in uno, aut altero minuto.

Quo ad ſonitum aliis major, aliis minor; pleriq; tormenti majoris exploſionem, alii vocem terræmotus, ſimiliorem faciunt. Nobis repetita poſt modicum tempus reboatio. Tranſapenninis verò major, & terræmotum magis imitatus fragor, unde feneſtrarum tremor, ut Tu præ cæteris ſcripſiſti.

An unum, vel plura Phænomena?

VIri quidam longè doctiſſimi, qui Romæ degunt, viſo Opuſculo, non autem Phænomeno, nec de illo per ſuos in Regno Neapolitano rei literariæ conſortes moniti, exiſtimarunt, non unam ſed plures meteorologicas impreſſiones fuiſſe, nec trium milliarium altitudinem exceſſiſſe, nec tam diſſitis locis idem numero videri potuiſſe, ut videri debuit, ſuppoſita altitudine vera, quam ego ex calculis elicui. Addit Præſtantiſſ. *Kircherus* in ſuis ad me Romæ 27. Maij datis literis obſervationem eximii *Med. Montiſpolitiani Doc. Monterchii*, cujus hæc ſunt verba ex eadem *Kircheri* Epiſtola. *Octava die Aprilis una circiter hora noctis, ex atra, & caliginoſa nube erumpens primò quidem fuſci coloris globus, deinde tanti fulgoris, ut non dicam obvia quævis diſcernere, ſed & ſcripturam quamlibet legere quis poſſet haud incommodè, tanta deinde motus velocitate, ut trahentis poſt ſe caudæ ſtrepitum ſentire licuerit, haud ſecus, ac ſi quis candefactum ferrum per frigidam traduceret; præterea tam vicinum videbatur Phænomenon horizonti, ut alibi vel ipſarum arborum apices aduſſiſſe feratur. Ruptum deniq; crepitum edidiſſe majoris tormenti bellici haud abſimilem,*

lem, qui & urbem totam tremore concuteret adeo vehementi, ut Geoſiſmum omnes arbitrarentur evenisſe; & tandem relicto triduano ſulphuris mephiti diſparuisſe. Alium globum minorem vidit Bononiæ Excellentisſ. *Med. D. Alb. Caradorius* 23. Martii hor. 1. n. s. ut mihi teſtatur; ſed nihil ad me, qui non aliud quam notabile illud ac ſingulare, ut videtur, expirantis Martii Phænomenon excutiendum ſuſcepi. Erat tamen jucundum certiora de arborum apicibus aduſtis audire, quæ ſi propiùs contigisſent, oculis ipſe uſurpare voluisſem.

Supra Mutilianam, quæ terra eſt Florentinæ ditionis, nobis X. M. P. ad auſtrum in Appennini montibus, exanimatum hominem cum jumento ſtatim audivi, ſed re meliùs percepta hominem timore correptum caſu præcipitem mox interiisſe certior factus ſum incolumi jumento. Immo ex populo plurimi, qui vix viſo Faventiæ Phænomeno ad me feſtinaverunt cunctabundi, turrium noſtrarum pinnacula tetigisſe autumabant, quos ego irridebam, & adhuc irrideo pluribus ex cauſis.

Quemadmodum belli ductores plumbeis glandulis cominus, magnis verò tormentis, & ponderoſisſimis globis eminus pugnandum ſciunt, & quemadmodum magni illi globi altiùs, & longiùs evehuntur, ita, puto, rerum magiſtra natura parvulis trajectionibus ſingulis ferè noctibus illudit exiguo à terra intervallo, magnis verò Facibus, ac Lampadibus latisſimè illuceſcit, quæ in uſum unius regionis nequicquam in tantum fulgorem accenderet; quæ quidem magnæ faces, utpote interno alimento præpotentes, tanto impetu cientur, & tantùm aliis parvulis trajectionibus præſtant, quantùm pasſerculis ſupervolant Aquilæ. Sed à veroſimili ad aliud probationum genus accedamus.

Quò minus credam Phænomenon pluralitatem hæ me rationes deterrent. *Primò* paralleliſmus temporis, & itineris,

ris, qui tot tamq; diſsitis obſervatoribus apparenter eſt viſus ab Oriente in Occidentem parva intercedente differentia, quæ tribui poteſt parallaxi horizontali, & erroribus in tam brevis moræ obſervatione naſcentibus, quos tamen prudens Mathematicus ratione adhibita corrigere quadamtenus poteſt: Si enim plura fuisſent, non in eandem quælibet plagam ejaculata fuisſent, ſed in diverſas pro ratione concepti impetus, quemadmodum *D. Plac. de Titis* de viſo ſplendore 16. Octobris 1629. refert Phyſic. Cœleſt. lib. 3. c. 16. pag. 280. ubi quod *tandem viſa ſunt ſydera ignea in omnem partem volantia, quæ ſtrependo evanuerunt una cum luce.*

Secundò, Quod ſi plura fuisſent, nempe alterum Romæ, alterum Florentiæ, alterum Bononiæ, alterum Venetiis, & ſic de cæteris usq; in Germaniam; credere etiam neceſsario deberem, maximum telluris, & aëris tractum ad tam inſolita monſtra edenda æqualiter fuisſe tunc temporis diſpoſitum, quamvis in eo tractu planities, maria, montesq; intercedant. Hoc verò credere mihi difficillimum eſt, ſi non & imposſibile: cogitanti nempe, quantùm terræ ſubterranea, unde eſt Meteororum principium, in ea intercapedine ſint diſcrepantia, quantumq; inæquale ſit Cœlum, à quo in proximam potentiam diſponuntur, & deniq; quænam ab his inferioribus, & ſuperioribus cauſis oriatur aëris diverſitas, tam inſolitam reſpuens æqualitatem. Talibus fortasſe perpenſis in hunc ſenſum ait *Tycho Brahe* in Epiſtol. Aſtronom. lib. 1. pag. 113. ad Rothmannum. *Hinc manifeſtum evadit, quam frivolo, & incerto fundamento Aſtrologorum vulgarium Meteorologicæ prædictiones nitantur, cum in tam vicinis Horizontibus aëris conſtitutio toto Cœlo ſæpe numero diſcrepet.*

Tertiò, Qui fit ut nullus, quod ſciam, inveniatur, qui duo viderit, ut contingere debuerat, & cur omnes fere in nubem terminasſe viderint, ut diximus?

Quartò,

Quartò, Si tam multa, ſi tam brevi à terra intervallo, cur ex eis aliquod in terram non alliſit, & cineres aliudve tale ſignum ſolitum non reliquit; quemadmodum reliquiſſe autumant alia quædam *Argolus* de Cometa 1652. pag. 49. & alii.

Hæc inquam me deterrent. Neq; enim is ego ſum, qui, ut novarum rerum auctorem me faciam, inſolitos naturæ effectus facilè in medium adducam, & non benè cognitis obſervationibus nova philoſophandi fundamenta ſuperſtruam, non deſunt, qui mihi diverſa ſcripſerint, ſed particularibus rejectis, uniformibus relationibus fidem adhibere malui.

Acutisſimus *Keplerus* eò procesſit audaciæ, ut concesſerit in hypotheſi Cometica, fieri aliquando ſublunares Cometas, immo in ipſum terreſtrem globum illidere, quod & recoquit in Optic. pag. 267. ubi quod, *ſi cauda terram contingat, nil mirum aërem veneno infici*, ſed merito vapulat à *Longomontano* in *tract. de Nov. Cœl. Phæn. cap. 3. poſt Aſtron. Danic.* qui *Keplerum* talibus obſervationibus ait fuiſſe deſtitutum. Non deſunt fortaſſe, qui nunc tale quid cogitent, quod ego ſubodoravi non ſemel per literas requiſitus, an latio Phænomeni fuerit in principio, & fine ſublimior, in medio verò ad terram depresſior.

Reſtant etiam (quod non parùm miror) aliqui ſpectabiles Viri, qui Veneris & Saturni vel concurrentibus, vel refractis radiis id tribui poſſe contendant, renovata opinione *Anaxagoræ* exiſtimantis, ut eſt apud Laert. *κομήτας, σύνοδον πλανήτων φλόγας ἀφιέντων Cometas errantium Stellarum eſſe concurſum, flammas ex ſe emittentium*, quos tamen oportet me irridere cum *Tychone tom. 1. Progymnaſm. pag. 391.* edit. Francofurt. qui in ſuo propoſito ad epiſtolam *Phil. Appiani*, ſic ait: *Si deniq; è Planetis fax illa orta eſt, conſpirantibus eorum vibrationibus, quomodo in uno loco tam diù conſiſtere potuit, ipſis Planetis effectoribus perpetua motione circumvolutis?* Ego inverſo ordine dicam. Quomodo tam celeri

BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY




Fig. 1.




Fig. 2.

leri latione Fax noſtra ferri potuit, obſervatoribus interim, & Planetis ad ſenſum immotis? Etenim ſcimus per *64. Lib. X. Vitellionis*, quod *ſi ad idem centrum viſus ab aliqua ſuperficie fiat luminis refractio, vel reflexio, neceſſe eſt extremum illius luminis, ſuperficiei viſus circulariter ſecundùm rotundam Pyramidem incidere, ex quo patet, tunc centrum corporis irradiantis, & centrum viſus, centrumq; circuli baſis Pyramidis irradiationis refractæ vel reflexæ, in eadem recta linea conſiſtere oportere*, quomodo ergo in recta linea, ſi, ſtantibus extremis, medium feratur? Et unde lux tam valida à principio tam debili, & per refractionem debiliori?

Diſtantia Phænomeni à Telluris centro, & ſuperficie, ejusq; magnitudo vera. Quibus verticale, & quousq; viſibile.

TAlia me movent ad unitatem Phænomeni retinendam, cujus à telluris ſuperficie diſtantiam, ex ſuppoſitis terræ Semidiametro M. P. 3690, Faven. latit. gr. 44. 18. longit. 35. 0. aliisq; dictis, & dicendis, concluſi in milliarib. Italicis 90. præterpropter, magnitudinem verò, ſcilicet veram diametrum ad milliaris dimenſionem extendi. Ut verò Cl. Virorum dubitationibus ſatisfaciam, repeto calculum ad Florentinas, & Venetas obſervationes, ſuppoſita Florentiæ longit. 34. 31. Venetiarum verò longit. 35. 8.

Sit ergo (*Fig. 1.*) Phænomenon A. terræ centrum B. pars circumferentiæ terreſtris G. C. D. O. Veneto, ac Florentino meridianis pro uno aſſumptis, neglectis 37. ſcrupulis differentiæ, ad vitandum longiorem & inutilem in hoc caſu calculum, quia altitudines ſunt intra quosdam gradus incertæ. Sit Venetiarum Horizon M. H. vertex E. Florentiæ verò Horizon P. Q. vertex F. Sit Florentiæ latitudo Bor. 43. 41. Venetiarum verò lat. 45. 33. differentia gr. 1. 52. qui erit angulus C. B. D. His datis & poſita altitudine Florentiæ viſa gr. 70. & diſtantia

à vertice F. gr. 20. Altitudinem Venetiis obſervatam, quæ ſi altitudini meridianæ Solis ejusdem diei æqualem facerem, esſet gr. 49. 30. ferè, ad faciendam rem gratam Romanis Mathematicis redigo ad gr. 35. exiſtimans obſervatores asſvetos humiliori altitudini Solis ab hyemali ſolſtitio aſcendentis, vel ſic, vel proximè esſe intelligendos, & ſic ad triangulorum analyſim procedo.

I. *In triangulo* C. B. D. *quia nota ſunt.*

1. *Angulus* C. B. D. *gr. 1. 52.*

2. *Latera* C. B. *&* B. D. *in millibus paß. 3690. ut poſt multas experientias concludit* Ricciol. Geograph. Reform. pag. 177, *Ergo ducta* C. D, *eaq; bifariam ſecta in* I, *ductaq; normali* I. B, *fiet in triangulo* I. B. D: *ut anguli recti* D. I. B. *ſinus 100000. ad latus* D. B. *mill. paß. 3690, ita anguli* I. B. D. *gr. 0. 56. ſin. rect. 1629, ad latus* D. I. *mill. paß. 60.* $\frac{110}{1000}$ *& ſic tota* C. D. *erit milliarium 120* $\frac{220}{1000}$

☞ Hic Amicos Philoſophos, atq; Mathematicos monere volui, hanc ex calculis emergentem terreſtrem diſtantiam non esſe præciſisſimam, ſed hic tamen ſufficientem. Agi debuerat per triangula ſphærica; ſed hic modus inſtituto meo ſufficit, qui & temporis jacturæ peperci, nec Phænomenon intra certisſimam diſtantiam ſiſtere cogitavi, cum obſervationum lubricitas Triangulorum Sphæricorum calculum non patiatur, in quo ſcio me excuſatum habebunt. Si verò quis parum æquo animo, habitoq; vel ad nimis multa, vel ad nimis pauca reſpectu, ſe acriorem, quàm par eſt, mei laboris Judicem pronunciaverit, ſuo more proſequatur, & hæc naſo ſuſpendat adunco.

II. *In triangulo* L. C. D. *rectangulo ad* L. *nota ſunt.*

1. *Angulus* L. *rectus.*

2. *Latus* C. D. *in m. p. 120* $\frac{220}{1000}$

3. *Angulus* L. D. C. *qui ſic inveſtigatur. Angulus* L. D. M. *ex ſuppoſitione, & obſervatione limitatus eſt gr. 35. Angulus verò* M. C. D. *eſt æqualis angulo* I. B. D: *æquè enim componitur angulus rectus* D. *ex additione anguli* I. B. D, *ac ex additione anguli* M. D. C. *addito ergo angulo* M. D. C. *gr. 0. 56. fit angulus* L. D. C. *gr. 35. 56. Vt ergo anguli* C. L. D. *ſinus 100000. ad latus* D. C. *120220. ita anguli* L. D. C. *gr. 35. 56. ſinus rect. 58684. ad latus* L. C. *paß. 70550.*

Et an-

Et anguli L. C. D. *gr.* 54. 4. *ſinus* R. 80970. *ad latus* D. L. *paſ.* 97342.

III. *In triangulo* A. L. C. *rectangulo ad* L. *nota ſunt.*

1. *Angulus* L. *rectus.*

2. *Latus* C. L. 70550.

3. *Angulus* C. *gr.* 56. 52. *qui ſic colligitur. Componamus angulum* F. C. Q. *incidentiæ rectæ lineæ verticalis* F. *ſuper horizontali Florentiæ, gr.* 90. *& angulum* Q. C. D. *æqualem angulo adverſo* M. D. C. *gr.* 0. 56. *& angulum* F. C. A. *diſtantiæ Phænomeni* A. *à vertice Florentiæ* F. *gr.* 20; *& fiet totus angulus* A. C. D. *gr.* 110. 56. *auferatur angulus* L. C. D. *gr.* 54. 4. *remanebit angulus* L. C. A. *gr.* 56. 52. *& tandem angulus* C. A. L. *gr.* 33. 8. *ergo*

Vt anguli A. *gr.* 33. 8. *ſin.* R. 54659. *ad latus* C. L. 70550. *ita anguli* A. C. L. *gr.* 56. 52. *ſin. rect.* 83740. *ad latus* A. L. 108086.

IV. *In triangulo* A. B. D. *quia nota ſunt.*

1. *Latus* B. D. *terræ ſemidiameter paſ.* 3690000.

2. *Latus* A. D. *ex lat.* [A. L. 108086.] [D. L. 97342.] *p.* 205428.

3. *Angulus* A. D. B. *qui dempta diſtantia Phænomeni à Vertice Veneto* E. *gr.* 55. *reſtat reſiduum ad ſemicirculum, nempe gr.* 125. 0. *ergo per* Probl. XI. Trigonom. Cavalerii, *vel, quod in idem recidit, per Poriſma* Prop. 15. lib. 3. Triangulor. Lansbergii.

Vt ſumma laterum B. D; *&* A. D. 3895428. *ad eorum differentiam* 3484572. *ita tangens graduum* 27. 30. *ſemiſummæ angulorum ad Baſim* A, *&* B. 52057. *ad* 46566. *tangentem graduum* 24. 58. *qui gradus* 24. 58. *additi ſemiſummæ gr.* 27. 30. *reddunt angulum* A. *gr.* 52. 28. *dempti verò ab eadem, dant angulum* B. *gr.* 2. 32.

Itaq; ex hoc calculo Phænomenon verticale fuit habentibus latitudinem gr. 43. 1. *& ſic conſentit cum relatione* Cl. *Viri* D. Hadr. Auzout *mihi referentis Romæ ad Boream viſum: quibus verò verticale fuerit circa principium & finem, decernere nimis incertum eſt, nec obſervationes ad horizontem tales ſunt quæ calculis ſubjici mereantur.*

Pro abſoluta verò à telluris ſuperficie diſtantia, ducta recta D. N. *normali ad* N. *facio duo triangula rectangula* D. N. B, *&* D. N. A, *& ſic.*

V. *Vt anguli recti* N. *ſinus* 100000. *ad latus oppoſitum* D. B 3690. *ita anguli* N. D. B. *gr.* 87. 28. *ſin. rect.* 99902. *ad latus* B. N. 3686.

VI. *Vt anguli recti A. N. D. ſinus 100000. ad latus oppoſitum D. A. 205. 428. ita anguli A. D. N. gr. 37. 32. ſin. rect. 60922. ad latus A. N. 125. 150.*

Compoſitis itaq; lateribus	B. N. *3686.*
	A. N. *125.*
Reſultat diſtantia Phænomeni à centro terræ *A.* B. *in milliaribus*	*3811.*
	Dempta verò G. B. *mill. 3690.*
Reſtat ejusdem diſtantia à terræ ſuperficie *mill. paſſ.*	*121.*

Quid verô ad hæc Domini mei Mathematici; qui diſtantiam milliarium 90. malè audierunt? habeo teſtes, habeo literas, ſed pergo.

VII. *Tandem habitis 3811. nempe tota A. B. pro ſecante, A. O. pro tangente, & O. B. pro radio, facio, ut 3690. ad radium* B. O. *100000 ita 3811. ad A.* B. *103279. Secantem anguli A.* B. O, *ſive arcus* G. O. *gr. 14. 29. ferè.*

Ex quibus ſequitur ad tradita per *Ricciol. Geogr. Ref. pag 51.* qui uni gradui terreſtris circuli maximi asſignat milliaria 66. Bononienſia, ſive Flaminienſia, quod Phænomenon in ea, quam diximus, altitudine, viſibile fuerit ad diſtantiam milliarium plus 950, nimirum quando verticale fuit Etruriæ veſtræ, viſibile erat univerſæ, quantùm patet, Europæ, Africæq; parti boreali, Aſiæ Minori, Ponto Euxino, &c. & ubi non altiùs viſum, ſaltem finitorem perſtrinxit.

Magnitudinem veram, ſive potius diametrum ex aliis calculis elicitam unius circiter Italici milliaris, ſuppoſita altitudine milliarium 90. ferê, non augeo; quia licet altitudo major ex his calculis emergat, tamen nec Veneti obſervatores dant magnitudinem apparentem intra terminos notæ dimenſionis, ut fecerunt alii, qui lunæ totali æquale Phænomenon conſtituerunt, & ſic apparentem diametrum ad ſemigradus circiter extenſionem indicarunt, nec augendam puto, quia hæc Fax ſeu flamma noctu viſa juſto major apparere potuit, ob liberiorem in tenebris humanæ pupillæ dilatationem, & ex rationi-

tionibus quas videre quis poteſt apud *Gaſſend. de Appar. Magn. Sol. Hum. & Subl. ad relatam obſervationem diſci lunaris Epiſt. 2. num. 14. & alibi.*

Locus, & Cauſa Generationis.

NOſtram hanc Facem, ſeu Lampadem eſſe legitimum aëris fœtum plura ſvadent; Primò cauda poſt ſe in motu relicta, nam *Stellæ volantes, quæ non longè à terra oriuntur in aëre ardentes, cum moventur, caudam flammeam poſt ſe relinquunt ab aëris renitentia*; ut ait *Gilbertus Phyſiol. Sublun. l. 1. pag. 73.* Secundò brevis duratio: obſervant quippe Philoſophi, Cometas, Faces, Lampades diutiùs durantes, non eſſe aëris incolas, alioquin ταχεῖα ἂν ἐγίγνετο αὐτοῖς ἐν τῷ ψυχρῷ ἡ σβέσις *citò in frigido aëris extingverentur. Arrianus* apud *Stob. Ecclog. Phyſ. p. 63.* & *Seneca* de hujusmodi apparentiis loquens *7. nat. q. 22. quæcunq; aër creat, brevia ſunt.*

At quomodo convenient hæc? Nimirum aëream eſſe & tamen 121. milliarium Italicorum à terræ ſuperficie diſtantem, cum aëris altitudo raro, & paucis ſit 5. milliarium? Ita conſtat, ex recentiorum obſervationibus apud *Ricciol. Tom. pr. Almag. lib. 2. pag. 82.* & diligentisſimè apud *Varen. Geogr. General. p. 363.* In hac tenuisſima ætheris, vel ſi placeat, atmoſphæræ ſubſtantia nequicquam quæramus tantæ moli materiam inflammabilem: itaq; cum Phænomenon ignitum ob plurimas congruentias comparari posſit Pilis igneis per aërem discurrentibus, quæ feſtivis noctibus cogi ſolitæ, & quarum compoſitio eſt apud *Joh. Bapt. Portam Magiæ nat. lib. 12. cap. 5.* uti etiam exploſio, & per aërem diſcurſus vi impetus in tormentis æneis congruè elevatis concepti, arguens à poſteriori ad priorem, & à ſimilitudine effectus ad ſimilitudinem cauſæ, exiſtimo ex Sulphure, & halinitro concretum, conflatum, accenſum, & evectum.

Et equidem Sulphur commune, & halinitrum ea ſunt Mineralium dumtaxat quæ obſervatos effectus repræſentent, de Sulphure enim obſervavit *VVill. de Ferment. cap. 10.* quod *citò ignem concipiat*, quod *immediatè in flammam prorumpat*, quod *flammam cæruleam emittat, & fuligine ſua objecta quævis dealbet*, de halinitro verò idem *Porta dict. lib. 12. c. 3. ex Halinitro vis, flammæ rumor, ex Sulphure incenſio*, quod obſervato ſibilo reſpondet, vibratisq; ſcintillis, quæ non ejaculantur ab aliquo igne, qui non habeat Nitrum de quo obſervavit *Verulam. Hiſt. Nat. Centur. 1. exp. 30.* quod *foras flatu propellit flammam velut internus Follis.*

In ea aëris regione, quæ talium meteororum eſt mater, arbitror fuisſe conflatum, hiſce præſertim temporibus æquinoctii vernalis, quibus præter ſolitum effluunt vapores, & exhalationes asſurgunt, Sol enim æquatorem prætervectus, aggreditur orbem borealem, videlicet hunc noſtrum dimidium citra æquatorem, *magis nive contectum, totumq; aërem quo cingitur crasſiorem, & nubibus magis refertum*, ut *Carteſius Meteor, c. 4. n. 7.* quibus viribus auctus Sol non glebas tantum exſiccat, aut in ignavas nebulas ſe exercet, *at in rem propriæ ſubſtantiæ ſummè ſimilem, in vapores videlicet longè tenuisſimos, egresſumq; inſuper elabentibus patefacit per ſe ſibi ipſis moliri illum aptis*; ut adnotavit *Teleſ. de Rer. Nat. lib. 2. c. 39.* nec omitterem Lunam Soli oppoſitam per plures anteactas noctes diurna Solis opera ſuo lumine viribusq; promovisſe.

Sed adhuc hæreo; ſingulis enim annis hæc æquinoctia, hæc plenilunia eveniunt, hæ cauſæ, ſi non & potiores, concurrunt, & hæc tamen rarò cernuntur, quæ ſi ad has tantùm cauſas esſent referenda, ſuccederent annuatim veluti Naturæ menſtrua. Sed niſi fallor, hoc iſtis præſertim diebus evenit, quod Inſulas quasdam Turcicæ ditionis nobis præterpropter ad Orientem æſtivum poſitas circa hos ipſos dies terræmotus concusſerit, unde vehemens è terreſtribus cavernis, & carce-

ribus

ribus exhalationum copia, Sulphuream, Nitroſamq; ſubſtantiam excluſerit, vi ventorum agitatam, condenſatam, accenſam, & in ſublimè vibratam; etenim terræmotuum cauſæ ad hæc principia aptisſimè referuntur. *Joh. Nardus de Igne ſubterran. cap. 47. Terræmotus cauſa à Sulphure, & Halonitro, quæ ſi fortè accendatur, majoris loci tunc indiga, diſcurrit, indignataq; terræ, quatit illam, quasſat, atq; ſubvertit. Sic naturæ æmula ars, pyrium pulverem arctis coërcet loculis, qui ſi accendatur, cuncta pesſundat.* Nonne tempore Veſuviani Incendii Anni 1631. nubes expeditior ventis ferentibus in Dalmatiam transmiſit igneum globum? Ita eſt apud *Recupit. de Veſuv. Incend. pag. 10.* & talia apud *Kepler. Aſtron. Copern. pag. 896.*

Hypotheſis, ſive linea motus Phænomeni.

HIs ergo principiis genitum Phænomenon crediderim, & occaſione terræmotus disruptis, aut rarefactis terreſtris ſuperficiei compagibus, natum, & inſtar bellicæ pilæ quam *Bombam* vocant, tanquam è mortario quodam ejaculatum non circularem, terrenæq; ſuperficiei parallelam, ſed parabolicam lineam ſuo motu deſcripſisſe, cujus quidem parabolæ vertex circa noſtrum hunc meridianum circulum extiterit, unde vi ponderis inclinatum in inferiora deciderit in nubem aliam illiſum, conſumptum, & disſipatum, eo, quo diximus ſonitu: hac tamen differentia, quod potius duas ſemiparabolas, quam unam ſibiq; ſimilem parabolam deſcripſerit. Nam impetu primùm concepto, & igne admisſo obvia quæq; ſecum rapuit in ſublime, donec conceptæ flammæ ſufficeret alimentum, quod certè tempore conſumptum, medio itinere vel minorem, vel leviorem fecit molem, quo ſcilicet pondere deſtitutum, in cadendo à parabolæ ſublimitate, ampliorem in Occidentem ſemiparabolam deſcripſerit, quod ſi omninò fuisſet gravitate ſpoliatum, non per parabolicam, ſed per rectam parabolæ

rabolæ tangentem deſcendisſet, ut *Torricellius* noſter adnotavit in *Lem. ad ſuam de Motu Project. Prop. 3. lib. 2.* Hocq; fortasſe ſenſu Facem ſimilem extra mænia Aquiſextienſia viſam à terra ipſa eructatam putat *Gasſend. Oper. tom. 2. pag. 110.* quæ uti levi materia compacta, *ſuſtentari in aëre potuerit, & à paſcente flamma propelli, quousq; tota conſumpta fuit.*

Sed ſtrictior de asſertis eſt mihi reddenda ratio, quandoquidem de excogitatæ hypotheſeos ſubſiſtentia ab aliquibus eſt dubitatum. Sit ergo (*Fig. II.*) A. Phænomenon, C. E. D. pars terreſtris Hemiſphærii, F. E. G. Horizon Phyſicus, P. A. Q. ſphæricitas aëris crasſioris, ſive ſecundæ regionis quam vocant, ſit F. M. G. ſphæricitas ſuprema aëris quam attigisſe credimus hoc Phænomenon ſuo motu altisſimo. Dico motum fuisſe ex A. in M. per ſemiparabolam A. M, & ex M. deſcendisſe in Q. per ſemiparabolam M. Q, ad quod plures urgent rationes.

Evectum Phænomenon in M. nullus, credo, ſanæ mentis inficiabitur, ſi obſervationibus, ſi calculis fides eſt adhibenda. In ea vero regione genitum non credo, nec accenſum. Etenim exhalationes nitro-ſulphureæ quas puto à terra eructatas tempore terræmotus quem his diebus accidisſe audivi, vix attingunt altitudinem aëris refractivi, quem etſi *Rothmannus in Epiſt. ad Tychonem* ad terreſtris ſemidiametri altitudinem evexerit, tamen ad ſexageſimam ſemidiametri limitavit, ut eſt apud *Tychon. Ep. tom. 1. pag. 91.* & poſt eum repetitæ per Aſtronomos obſervationes ad eam, quam dixi quinq; milliarium altitudinem revocarunt. Ergo in F. M G. materiam ſufficientem non invenio, in P. Q. verò motum non admitto, & ſic reſtat ut putem ortum in A, & evectum in M.

Alia verò ratione evehi ex A. in M. non potuit, niſi concepto infernè impetu, & quoniam ea mole fuisſe invenimus, quæ milliare Italicum ſua latitudine proximè æquaret, congruum

gruum eſt credere fuiſſe integram magnamq; nubem halituoſam nitro-ſulphuream vi ventorum condenſatam, quæ ex vi condenſationis aucta pondere reſpectu aëris ambientis ſe graviorem reddiderit, & vi ponderis in inferiora decidens, eo caſu præceps & ruens ignem ſubtus aëris alliſione conceperit, quemadmodum in fulminum generationibus explicat *Carteſius Meteor. cap. 7. n. 9.* Igne verò accenſo, & in nubis interiora ſe inſinuante, ac vi ſua nubem ſurſum elevante, vel potius in eam partem, in quam major ignis violentia enitebatur, ortus eſt impetus verſus M, &, ſi Viro Clariſſimo *Alexandro Marchetto* Piſis viſum eſt in principio parvum, ac *Doctori Monterchio* ſive hic, ſive alius *globus fuſci coloris ex atra nube erumpens*, ac Venetis obſervatoribus eodem temporis & motus initio tardum motu, hoc evenit, & quia nondum omnes nubis partes erant incenſæ, & quia in principio hujusmodi motuum, projecta tardiùs moventur. *A principio autem ſegnior eſt motus propter reſiſtentiam totius aëris nondum poſiti in motu*, inquit *Fracaſtorius lib. de Sympathia cap. 3.*

Ampliorem verò in occidentem deſcendendo ſemiparabolam deſcripſiſſe dixi ratione minoris gravitatis ob conſumptam conflagratione materiam, & ſi apparens magnitudo non eſt eo tempore minor facta, ut quibusdam debuiſſe viſum eſt, hoc evenit, non contractâ, ſed rarefactâ mole, ob expirationem, & ebullientem, ut ajunt ſcintillationem.

Mora circa Meridianum Venetis obſervatoribus viſa, nullo modo meliùs explicari poteſt, quàm per motum remiſſum in vertice Parabolæ M. quod in circulari motu non poſſet explicari.

Motus in occidentem celerior iisdem obſervatus, explicari poteſt vel comparativè quoad tardiorem initio viſum, vel per novam materiæ incenſionem obiter factam.

Nubes, in quam multi deſiiſſe motum & lumen viderunt, non aliam eſſe credo, quam exuſtæ Facis, ac materiæ fecem, & fumum.

Itineris dimenſionem aliis relinquo, minus enim exploratus eſt angulus L. B. M, nec ideò aliquid pronunciare audeo.

Hac hypotheſi, ut puto, omnibus apparentiis fit ſatis. Diverſam verò figuram, quod ſpectat, hæc irregularis cum extiterit, utpote caſu, & vi ventorum coagulata, Clariſſ. Viro *Geminiano Montanario*, Bononiæ Mathematico, ſub ellyptica, aliis ſub circulari, aliis ſub diverſa ſpecie videri potuit, ob aſpectus diverſitatem, ſive parallaxim. Et ſi à parte auſtrali, hoc eſt, in Regno Neapolitano non eſt viſum, contigiſſe potuit, quod pars auſtralis accenſæ nubis, ſeu Phænomeni, minùs, aut obſcuriùs conflagraret, aut aëre illic nubilo, vel offuſcato.

Aëris Exſibilatio, & Sonitus in fine trajectionis editus.

Reliquum eſt aliquid addere de ſonitu in fine trajectionis edito, & de feneſtrarum tremore Florentiæ præſertim obſervato, quod accidiſſe potuit in modum tonitrui, & licet ingentem boatum auribus præbuerit, ac pleriſq; replicatum, hoc accidit ex objectis Appennini ad Auſtrum Montibus Vallibusq;, in quibus incidentes, & reflexi ſonitus, præſertim aëre libero, nubibusq; vacuo, in boatum excreverint. Lucanus Pharſ. lib. 7.

> *Excepit reſonis clamorem vallibus Æmus,*
> *Peliaciſq; dedit rurſus geminare cavernis.*

Et hanc ſententiam apprimè comprobat obſervatio *Davidis Frœlichii* in Monte Carpatho Hungariæ apud *Varen. Geogr. General. pag. 368.* cujus inter cætera narratio eſt. *Deſcendendo per nives annoſas intra convalles cum iterum Sclopetum exonerarem, ma-*

jor

jor, & horribilior fragor, quàm ex tormento capaciſſimo inde exoriebatur: hinc verebar, ne totus Mons concuſſus mecum corrueret, duravitq; hic ſonus per ſemiquadrantem horæ, usq; dum abſtruſiſſimas cavernas penetraſſet, ad quas aër undiq; multiplicatus reſiliit, motus verò feneſtrarum parum obſtat, cum etiam ſolo tubarum ſonitu excitetur.

Orta verò dubitatio eſt, quemadmodum ab ea, quam dixi remotione exaudiri potuerit ab aëris ſciſſione ſibilatio, & ſonitus in fine qui multò tardius percipi debuerat; quibus ſic occurro. Sonos nempe, utpote motus, per quos audibile defertur ad auditum, in duplici differentia conſidero: alii enim ſunt motus aut ſoni diſcreti, alii verò continui: diſcreti motus, ac ſoni, edita percuſſione diffunduntur in orbem, eo motu ac impetu quo posſunt à viribus unico ictu acquiſitis, & ſemper deficientibus, contraria verò ratio eſt in ſonis ſeu motibus continuis, in quibus primus impetus augetur ſucceſſione ſecundi ingruentis, & ſic ſemper fortiores evadunt à ſuccedente impulſu, quo quidem modo fiet eorum tranſitus velocior in fine quam in principio, cujus rei exemplum luculentum ſit funda circumacta. Ideoq;, ut ait *Verulam. Hiſt. Nat. Cent. 2. exper. 122. ut globi moti tanta poteſt eſſe celeritas, quæ viſum fugiat, ſic & motus pernicitas datur auditu non perceptibilis.* Adde quod per medium craſſius, & denſius, ſonus agit tardiùs, ut eſt apud *Gasſend. de Appar. Magn. Sol. Hum. & Subl. Epiſt. 2. n. 30.*

Has diſtinctiones facere debuerant, qui ſingulis milliaribus diſtantiæ ſonori ab auribus requirunt quinq; minuta ſecunda temporis, quia certè decipientur, ſi eadem regula utrisq; caſibus generaliter utantur, & ego adderem, quod aëris exſibilatio ab ejusdem aëris ſciſſione, & motione proveniens, cauſam nobis propinquiorem ſuppeditabit: ſi enim conſideremus, noſtrum Phænomenon quam vis evectum ex A. in M. motu ad horizontalem ferè ſemirecto, hoc eſt in aëris

craſsioris ſuperficiem convexam inclinato, eandem profectò convexitatem, cui incumbebat, vibratis ſcintillis, aërisq; licet rarioris, tanta tamen mole ſubacti, vorticibus compresſisſe, ex qua vibratione & compresſione fiat exſibilatio, ſequitur, ut facta nobis propinqua compresſione, fiat quoq; propinqua exſibilatio, & propinquum ſonorum, & ex acquiſita ſonori propinquitate, minimo temporis intervallo ad audiendum egeamus.

Supereſt reboatio, ſive ſonitus cum feneſtrarum tremore in fine editus, qui quantum temporis poſt extinctam flammam tardaverit, non benè comperio. Tranſappenninis nempe Etruſcis major, Venetis nullus, ex quo arguo in fine potius, quàm in principio fuiſſe. Diſtantia quæcunq; tunc fuerit, parum obſtat, quia talia à tormentis bellicis mediocribus tanto intervallo edita ſunt pasſim. Eques *Digbæus lib. de Immortal. Anim. Tract. prim. cap. 28. n. 3. Sæpenumero etiam animadverti, dum placido tranquilloq; Mari navigarem, concuti feneſtras vitreas in una navi ex tormentorum exploſione in altera, millibus aliquot pasſuum adhuc diſtanti. Id in prætoria mea haud ſemel expertus ſum ad unius duntaxat tormenti exploſionem, navi in qua erat, tanto adhuc intervallo diſtante, ut viſu detegi non potuerit.* In puriori, & rariori aëre, ſonitus vehementiùs ac fortiùs agere, & audiri ſic colligo. Inter cæteras Phyſicomathematicas experientias diligentisſimè in Germania nuper exhibitas, & publici Juris hoc ipſo anno factas per Virum Doctisſimum *Joh. Chriſtoph. Sturmium*, hanc inveni, quam refert in *Auctario pag. 58.* uti quod D. *Bertus, ut oſtenderet locum ab Argento vivo in Baroſcopio relictum non esſe vacuum, experimentum cum aqua nunc capturus erecto longisſimo tubo vitream lagenam ſuperius impoſuit, intus ex conſilio Kircheri, campanula quædam cum ferreo malleo ea dexteritate ſuſpenſa, ut attractus malleolus magnete exteriùs applicato, & mox demisſus, campanulæ illideretur; paratisq; omnibus, cum apertum inferiùs orificium, & delapſa ad ſolitos terminos aqua, malleolus allectus rurſum dimisſus esſet, percusſa*

ab

ab eo campanula limpidiſſimum edidit ſonum ab omnibus experimenti ſpectatoribus auditum. Maximam verò vocem à campanula editam neceſſe eſt credere, cum vitrum tanta potentia penetraverit, ut limpidiſſimum ſonum ad aures adſtantium attulerit. Si quidem vitrum per ſe tantum obſtat ad impediendum auditum, ut mira ſit *Gasſendi* Hiſtoria, quam de ſe refert *Operum tom. 2. pag. 367. Contigit interdum intereſſe me muſicorum choro intra aululam reſonanti, & ut diſtinctiùs, gratiusq; poſſem modulationem percipere, ſeceſſi intra muſæolum pariete quidem ab aula diſcretum, ſed relicta tamen feneſtra, quæ ſimplici, ac integra vitri lamina foret clauſa. Obſtupui porrò cum totum chorum proximè, altiusq; canentem, præter laminam vitream conſpiciens, vix tamen quidquam exaudirem, uti neq; ipſe exauditus fui, cantoresve, clamarim licet alta voce, interturbavi, &c.* His inter ſe connexis æquus rerum æſtimator capiet, quantum extiterit in illo puriore, & altiore aëre tonitru, quantaq; ad motum celeritate, & potentia, ſolitis tonitruis, & in craſſiori aëre editis, comparatum. Non eſt etiam illud ſpernendum, quod noctu ſoni meliùs exaudiantur: & quod affirmari certò non poſſit, fuiſſe unicum in fine, & non plures crepitus obiter ac ſucceſſivè reboantes, ſed ad finem tantùm exauditos.

Quid tandem obſtat, quo minùs credi poſſit, Apennini; vel alia remotiora ſubterranea huic inſolito Naturæ ſymptomati, ceu conſenſu quodam aſſultantia, in eum mugitum absq; terræ-tremitu conſpiraſſe, quem pro quarta terræmotus ſpecie cognoverunt Philoſophi. *Ammianus* lib. hiſt. 17. *Inter hæc tria genera terræmotuum, Mycematiæ ſonitu audiuntur minaci, cum diſſolutis elementa compagibus ultra aſſiliunt, vel relabuntur, conſidentibus terris,* ideo Mycematiæ dictæ, quod Boum mugitibus aſſimilentur. *Jul. Pollux lib. 5. cap. 13.* Βοῶν δὲ μύκημα, μυκηθμός. Samagitæ *VVarpulin* dicerent, apud quos, teſte *Joh. Laſicio de Diis Samagitarum* pag. 49. *is eſſe putatur, qui ſonitum ante, & poſt tonitru in aëre facit.*

Colorum verò diverſitas nihil officit iis, quæ dicta ſunt, ſiquidem ea materia, quæ comburitur, alium colorem habet ex incenſione, alium ex aduſtione, alium ex diſſolutione ſive liquefactione: quo ſenſu ait *Ariſtoteles*, vel quicunq; ſit Auctor Libri de Coloribus ἐπὶ ἡ τῶν καυστῶν, καὶ διαλουμένων, καὶ τηκομένων ἐν τῷ πυρὶ, ταῦτα πλείστας ἔχει χρόας.

An aliquid portendat?

TAlia Hominibus tot ſæculorum decurſu impune ſpectata, metum etiam nunc futuri periculi levant: frequens apud ſcriptores ſimilis Phænomeni mentio. *Julius Obſequens de Prodig.* hæc inter cætera habet. Anno V. C. 550. *Fax Setiæ ab ortu Solis in occidentem porrigi viſa*, Anno 710. *Fax Cœlo ad occidentem ferri viſa*, & talia ſæpe. Ac licet *Manilius lib. 1. Aſtronom.* ſic canat

Funera cum facibus veniunt, terrisq; minantur
Ardentes ſine fine rogos.

attamen nullam ferè ſcribunt hiſtorici humano generi calamitatem ad hæc ſpectacula conſequentem, nec apud *Obſequentem* invenio, nec apud *Xiphilinum*, qui tale quid narrat in Severo, nec apud *Matth. Villanum lib. 3. c. 37.* Anno ſal. 1353. Et *Placido de Titis*, qui ex ſolo conſpectu Auroræ Boreæ poſt diem 16. Octob. 1629. gravisſimam Italiæ peſtem portendi credidit in ſua *Phyſica Cœleſti lib. 3. c. 16.* oppono ſimile aliud obſervatum 12. Septemb. 1621. *Gasſendo*, & *Peireſckio*, *qui factus exinde eſt certior nihil aliud fuiſſe, quam naturæ luſum*, ut refert idem *Gasſendus Tom. 5. Oper. p. 290.* in vita ejusdem Peireſckii, & in univerſum his præſagiis eandem habeo fidem, quam habeo *Artemidoro lib. 2. c. 8.* qui tales Faces, vel ignes in ſomnis videnti, talia mala prænunciat.

Et equidem cum tales Trajectiones aëris ſiccitatem ſignificent juxta *Ptolom. Centiloq. Aph. 99.* & *Haliben Rodan*, ac *Pontanum* ejus Commentatores, aëris potius ſalubritas expectanda erit

ad

ad mentem *Hyppocratis 3. Aph. 15.* Τῶν δὲ καταστασίων τοῦ ἐνιαυτοῦ τὸ μὲν ὅλον οἱ αὐχμοὶ τῶν ἐπομβρίων εἰσιν ὑγιεινότεροι καὶ ἧσσον θανατώδεες. *Inter anni ſtatus omninò ſiccitates imbribus aſſiduis ſunt ſalubriores minusq; funeſtæ*, & ſi trajectio fuit, ut credimus, à principiis Nitro-Sulphureis, adhuc aëris ſalubritas ſupereſt, nihil enim apud Chimicos, & Metallarios ſalubrius Nitro, quod & *Glaubèro* tantum extollitur, & *Verulamio in Hiſt. Vitæ & Mort.* & alibi ſæpe; ubi quod pulvis pyrius in potum uſurpatur per nautas & milites ante prælium, ad fortitudinem; ex quo capite ſi Europæ turbas, & bella prænunciare voluit, nimis tardus eſt rei nuncius.

NOCTI-

NOCTILUCA CONSTANS

& per vices

FULGURANS,

Diutiſſimè quæſita, nunc reperta;

Diſſertatione brevi prævia

De

Luce, Igne, ac Perennibus Lucernis,

Publicata

à

GEORGIO CASPARE KIRCHMAJERO,
In Electorali Academ. Witteberg.
Prof. Publ.

Polyhiſtori ac Poliatro Celeberrimo,

VIRO

Literarum meritorumq́ gloriâ in publicum Illuſtri,

DN. GEORGIO HIERONYMO VELSCHIO, Auguſtano,

Fautori maximoperè colendo,

S. P.

G. C. KIRCHMAJERUS.

M*Irabuntur alii; Tu non miraberis*, Vir Nobilisſime, *quòd tantum paginæ tantillæ nomen ferant tuum. Re ac affectu, non mole æſtimant ſcripturas ſolidiſſimè in literis verſati. Norunt tui ſimiles, (ſi multi ſaltem forent,) quid* Conſtans *ſine pabulo ſufficiendo* Lumen *ſit. Quamdiu vel ſolâ in Italiâ (tot olim annis abs Te exquiſitè perluſtratâ,) apud Romanos, Neapolitanos, Venetos, ac Florentinos deſudârint maximi artifices, minimè omnium ignoras. Mittam Tibi* Noctilucam, *vitreo incluſam & Hermeticè ſignatam vaſculo,* Kunckelianam; *ut inter rariora tua extet. Vide; &, ſi voles, judica, judiciumq́ aperi. Sed & gratias admitte pro egregio Margaritarum munere, quas ex tot conquiſitas regionibus & angulis terrarum, nullo meo provocatus merito, in experimenta de his capienda, liberaliter & ſpontè propriâ communicâſti. Vale Decus Seculi, & hanc ſcriptionem merè Philoſophicam (in quâ non libuit rhetoricari) benigniùs interpretare. Scr. Wittebergæ XI. Kal. Septembr. A. cIↃ IↃC LXXVI.*

Caput I.

De

DIVINA LUCIS atq; IGNIUM NATURA & ORIGINE.

§. 1.

VErum & æternum, ſed incomprehenſibile Lumen unum eſt ὀσία, triplex ὑποςάσει, Deus glorioſus; Lumen gignens, Lumen genitum, Lumen procedens ab utroq;; lucem inacceſſam incolens, & ſplendore admirabili ſe ſæpê manifeſtans. DEUS Pater lux eſt, & tenebræ in eo nullæ. Filius, ſplendor gloriæ illius. Sacroſanctum Flamen flamma eſt, non ſolis Apoſtolorum lingvis, ſed piorum cordibus etiam infundens ſe; à quo, quicquid luminoſi in mortalibus apparet, accenditur per ſapientiam. Sunt & benigni Angeli flammantes ignes Luminaq;, ſine omni, quanquam non principio carentia. Immenſum illud ſubtilisſimumq; corpus, quod cœli venit nomine, ſtellarum habitaculum, ignibus & Luminibus, quorum iniri numerus haud poteſt, plenum. In elementorum quoq; cenſu æternitatis affectârunt famam ignes, ſubterranei potisſimûm in montibus ignivomis thermisq;. Ardet Ætna noctibus ſemper, tantoq; ævo ignium ſufficit materia; nec ſperandus finis. Veſuvii quidem per tot ſecula ignivomi ſcrutatus diligenter cauſas eſt *Petrus Caſtellus* lib. pecul. de Veſuv. Italicè conſcripto. Sed quæ eſt iſta materia, quæ tot in India Orientali pariter & Occidentali montibus voracitatem avidisſimam ſine ſui damno tribuit? Admiran-

randarum rerum omnium in Luce atq; Ignibus epitome. Divinitatis nempe ſymbolon ac index. In flamma toties apparuit ſupremum Numen, alioquin inviſibile: Ebræis in columna ignea, Moſi in ardente Rubo. Legem promulgaturus Deus è medio ignis nubiumq; involucro detonabat. Fœdus initurus cum Iſraëlitis, ſpeciem ardentis ignis præbuit. Danieli thronus Dei & Ezechieli viſus in flammante igne. Johanni Apocalyptico ardentia viſa Dei-hominisq; lumina. In ignibus & luce viſi exercitus cœleſtes & legati; Manoæ, Eliæ, Eliſæ, aliis. Factum inde, ut veteres idololatræ, Ægyptii, Chaldæi, Babylonii, Perſæ, Græci & Latini Deum in Igne, in Sole, in Veſta tandem adorarent. Similia Peruanorum de Sole commenta fuſiùs recenſet *Yna Garcillasſo de la Vega*, è Regio gentis ſuæ ſtemmate oriundus, ac *Joh. Franciſc. Grandis* disſert. ſing. de variis Dei nominibus Soli attributis.

§. 2. Primus hujus univerſi conditi à Deo decor & ornatus lux fuit. Ultimum, quo cœli terræq; deſtruetur aliquando machina, futurum esſe ignem, infallibilis teſtatur veritas. Quantumvis a. non eadem ubiq; habitudo & natura hujus & illius ignis; certum tamen eſt, fuit, erit, naturæ actiones maximè mirandas, Lucis, luminis, & ignium abſolvi beneficio. Senſuum primus nobilisſimusq; viſus eſt. Viſui primò cognita ſunt lux & lumen, quæ ante res naturales omnes oculis ſe offerunt. Videtur non modò, ſed ut videantur alia ſimiliter, lux efficit ac lumen. A luce igitur, ejusq; prole lumine, veluti Philoſophiæ Naturalis duce, prima petenda fundamenta ſunt. Movit argumenti dignitas illuſtrem ſcriptis meritisq; ſuis *Thomam Bartholinum*, ut de Luce (Hominum inprimis & brutorum) variæ magnæq; eruditionis librum publicaret: quo & nobilitatem Lucis, inſitæ corporibus & univerſalem ejus ambitum docere ſtuduit. Enumeratu longum, nec unius foret clepſydræ, ſi, quid in pretioſisſimis naturæ rebus,

bus, Margaritis, Gemmis, Metallis, purioribus inprimis, lux conferat & lumen, dicere ingrederemur. Solum hoc vel indice tantummodò ſignare ſatis eſto, ſine Lucis, Luminis, & ignis penitisſimâ cognitione, neminem unquàm ad formarum in animalibus & plantis ſolidam notitiam pervenire posſe. Quas & quantas enim (DEUM immortalem!) per tot ſecula Chimæras finxerunt, & huc usq; propagârunt circa Formas Corporum Philoſophi autoritatem, non experientiam ſecuti! unicus tot ſimul aliis hâc parte palmam viſus eſt præripuisſe ſubtilisſimus Anglorum *Thomas VVillisſius*, qui naturam flammulæ vitalis propiùs cognovit. Sed id jam non agimus; ad lucem potiùs reſpicientes.

§. 3. Memorabile *Bartholomæi Anglici* (cujus apud me vetuſtate ſua commendabilis eſt codex) de Luce judicium arridet. Sic verò ipſe (8. de propr. rer. c. 40.) ſcribit: *Lux eſt ſubſtantia ſummè ſimplex, ſummè multiplex in efficacia, ſummè nobilis, abſolutæ penetrationis, omnis naturalis motionis principium & origo; ſummè perfectibilis, ſummè jucunda, ſummè communicabilis. Luce in corporibus nihil eſt utilius, nihil convenientius, nihil pulchrius, nihil velocius, nihil virtuoſius invenitur. —— Forma lucis nobilisſima in genere formarum, corporalium maximè, materiam diſtendens. —— Lux eſt maximè mobilis, incesſanter movens ſe. Lux ſe multiplicat gignendo. Lux genita lucem ſimul gignit, ſuccedentem. Nihil luce purius; unà tranſiens per ſordes non ſordeſcit.* Tolle lucem è Mundo; abibunt omnia in chaos. Abſente per noctem ſolo ſole, omnia colores ſuos & amœnitatem veluti amittunt. Animalia & plantæ ob minùs robuſtam Solis operationem jacent hyeme ac rigent: quæ cum vere reviviſcunt. Quid exiſtimas futurum, ſi Cœli extingvantur luminaria? Quæ ut in hominum incurrunt oculos, ſic à ſolis rectè æſtimantur Sapientibus. Actum tamen agere nec vacat, nec placet: quando de natura Lucis tam egregia poſteritati monumenta reliquerunt poſt *Franciſc. Aquilonium, Grimaldum, Vosſium, Ricciol. Bulliald.* ingenio-

geniorum aquila *Kircherus*, in Arte magna Lucis & Umbræ; atq; Gedanenſium Hipparchus, *Hevelius* in Selenogr. pariter ac Cometographia.

§. 4. Cum luce communia multa ignis habet, quanquàm diſtinctisſima ſit à Luce. Utriq; ſplendor, amœnitas, incredibilis velocitas, penetrandi vis, ſubtilitasq; & id genus plura competunt. Non tamen ubi lux, ibi ignis. Ignis omnis pabulo, ut videatur, & ſtabulo, ut in eo conſervetur, opus habet. Lux nullum requirit alimentum. Ubi ignis, ibi ſulphur, ibi acidum. Neutrum horum luci neceſſarium. Obſervanti diligenter omnia, in igne hæc apparent diverſisſima: (1.) ignis ipſemet in ſe ſpectatus, ſubſtantia omninò dici debet: (2.) ſubjectum ejus, non inhæſionis interim, ſed informationis, in ſublunaribus his, terra eſt & omne corpus miſtum: cui inexiſtit, non ut ſit, ſed ut proſit. (3.) Pabulum ſeu nutrimentum, igni non propter ſe, ut vivat, neceſſarium, (quemadmodùm *Huartus* in ſcrutinio ingeniorum ſtatuit) ſed ratione noſtri tantummodô, ut manifeſtetur & urat. Exemplo ſulphur eſt in oleis, bitumine, naphtha, ſuccino, ambra, cera, butyro, ſebo, lignis aridis. (4.) Flamma ſubjectivè eſt in ſulphure, formaliter ab igne, ſed efficienter à motu atq; inflammatione. Flammam deſcribit *Emanuel Magnanus*, Gallus, (in Philoſ. nat. c. 15. propoſ. 12. p. 1540.) *ignem fluentem & lucentem; ignem verò ipſum fixum & ligatum, nec fluentem, nec lucentem.* Sed alia res ignis, alia vicisſim flamma, non ex fluxu æſtimanda, nec ex luce. Poteſt & ſolet eſſe ignis ſine flamma; imò actu talis eſt in miſtis & aquis calidis. Poteſt flamma etiam ſine igne eſſe. Eſt in marina aqua, tempore nocturno deprehenſa ſæpê flamma, tempeſtate imminente, propter ſalis irritati copiam. Eſt à Pyropo & Carbunculo & quandoq;, teſte ſummo *Boyleo* (de Gemmis appendice) ab Adamante. Arte Chymicâ Smaragdus præparatus flammam vibrat. Bene-

ficio

ficio ignis, & Magnetis Philoſophici ex Spiritu Nitri flamma poteſt colligi. Quo de artificio ante *Glauberum* jam ſcripſit *Angelus Sala* in hiſt. Vitriol. (5.) Candor in carbonibus potiſſimùm elucet; cui addimus micationem, quæ in fulmine ac fulgure occurrit ſemper. Quandoq; in animalibus, ut pilis oculisq; hominum, equorum, felium, & in corculis cicindelarum. Poteſt esſe candor pariter, ubi non eſt ignis; veluti in gemmis, nive, glacie. Ab igne candor ortus fit ab igniculorum pedetentim ſemet propagantium motu, quod incomparabilis Micrographus *Robertus Hoockius* ad oculum demonſtrat. Candor igitur eſt motus jam lucis, jam ignis, per radios aut igniculos præſentes copiosè propagatus. Ex conglomerata coruſcatione oritur illuminatio, luci pariter ac igni competens. (6.) Calor & caliditas proprietates ignis atq; accidentia, cum calefactione, quæ ad alia emanat actio, in vulgus nota ſunt. Sed illud miraculo propemodùm affine: lucentem & candelæ inſtar ſplendentem ignem in recens inventa Noctiluca caliditatem ad ſenſum nullam prodere. De quo plura in ſequentibus. (7.) Scintilla reſtat atq; ſcintillatio. Iſtam *Bartholomæus Anglicus* (l. X. c. 7.) particulam appellat ignis modicam, ex materia ignea, caloris impetu ac virtute reſolutam; quæ extincta favillam poſt ſe relinquat, & vento temperato accendatur, impetuoſo extingvatur. Scintillant ita oculi hominum quorundam, felium, lyncium, pyritæ, ſilices, ſcipiones Indici, ferrum ignitum ſub incude malleatum. Sine ignium præſentia ſcintillant ſtellæ, ſine caloris ſenſu maria ſcintillant, Adriaticum inprimis ac mediterraneum. Non ſoli ergo igni vendicanda ſcintillatio; cùm lux ſcintilla evibratix ſit, nunc ab ignito aliquo carbone, nunc ab alio ſubjecto lucido, per impulſum repentinum & excitationem momentaneam elicitam.

Caput II.

De

PERENNIBUS LUCERNIS.

§. 1.

QUi rerum naturalium contemplatione non modô, ſed experimentis m. dederunt operam ingenioſiores viri, magnis & ſumptibus & conatibus perpetuas Lucernas invenire laborarunt. An, quod ſperârunt, & Summatibus hìc illic promiſerunt, obtinuerint? Id verò eſt ejusmodi, ut tantùm non ab omnibus in dubium, à pluribus inter impoſſibilia relatum fuerit. Salsê lepidus pro more ſuo in Cardanum *Scaliger:* (exerc. 328. de ſubtilit.) *Non queo mihi perſvadere,* inquit, *quod è ſufflatoriis libellis habui, te ignoraſſe. Omnia enim tibi Naturæ arcana non arcana ſunt: cui nota dicis eſſe arcana æternitatis. Ajunt illi ex junipero factos carbones tanta eſſe vi, ut per annum integrum ignem ſervent incorruptum. Neq; à Prometheo didicerunt hoc; ut per manus traderent Veſtalibus.* Chymicorum libros vellicat, ex quibus talia acceperit, quæ tamen anteà *Cardanus* (8. de Plantis in ſubtilit. opere) attulerat: *fuerunt, qui exiſtimaverint, truncum ligni Juniperi accenſum, & proprio cinere contectum, ignem annuum ſervare. Tamdiu, certè mirum; at diu, nihil mirum; ſubſtantiâ enim pingvi & densâ admodùm eſt, & ad opera incorruptibili.* In Roſario Hermetico Philoſophos haud dubiè ſugillat. Sic ibidem illi: *Sangvinem humanum* (ſulphur intelligunt ex Marcaſita) *& ſcobem ligni juniperini arefactam optimè commiſce & imbue ardente aquâ, exſicca, iterumq; irriga; repetens hoc aliquoties, pulverem include pyxidi ligneæ, cujus interna ſuperficies ſit ſulphure oblita. Immitte prunam vivam & pyxidem claude quàm arctiſſimè. Si ſubitò ignem deſideras, aperi pyxidem & fortiter elide ſpiritum* (ex ore) *ſtatimq; excitabis ignem, quo candelam accendes, injectoq; operculo flammam cohibebis.*

§. 2. In-

§. 2. Inter impoſſibilia proverbio jactata tria numerat *Valerius Saledinus*, perpetuum mobile, Lapidem Philoſophorum, atq; quadraturam Circuli. Fuit, qui quartum in *Perenniluca* addidit, Lucernam ſcilicet perennem. In eandem planè etiam ſententiam deſcendit *P. Kircherus:* (Tom. 3. Oedip. Ægypt. Syntagm. 205. §. 9. p. 547.) *Jam dudum cum ſummis Chymicæ artis magiſtris & inſignibus deſtillatoribus de hoc negotio ſuſcipiendo à me transactum fuit; nec defuerunt, qui in eo extrahendo nullum non lapidem moverunt, at fruſtrà. Oleum enim inde* (ex Amianto & Asbeſto) *extractum vel non concepit ignem; utpote aqueæ ſubſtantiæ, quàm oleagineæ ſimilius; vel adeò fœculentum evaſit, ut igni concipiendo prorſus ineptum inidoneumq; extiterit. Unde deſperato negotio in eam opinionem deveni, hujusmodi oleum extrahendi myſterium ſi non ἀδύνατον, ſaltem difficilius eſſe, quàm ut ad illud humanæ operationis induſtria pertingat. Quare meritò uti τετραγωνισμὸς, perpetuus motus, Lapis Philoſophorum, ſimiliaq; hucusq; inacceſſæ materiæ argumenta; ita & ignis perpetui artificium pro deſperatis habenda ſunt.* Gemina his ſunt, quæ idem habet *Athanaſius* in Mund. ſubterran. lib. 8. ſect. 3. c. 1. Cum quo facit rerum naturæ reconditiorum ſcientiſſimus *Becherus* lib. 1. Phyſic. ſubterr. ſect. 5. c. 3. p. 500. *Meritò illi confunduntur, qui* LUMEN PERPETUUM SOMNIANT, *atq; id ex* AURO, *vel alia materia incombuſtibili comparare præſumunt. Eo ipſo enim, quod materias incombuſtibiles ſumant, ſibi contradicunt. Id enim eſt incombuſtibile, quod ſummè eſt denſum, & quod proinde rareſcere, & per conſequens flagrare nequit. Sin verò materiam combuſtibilem ſumant, impoſſibile eſt, ut ſine rarefactione ardeat, ut & atomi rarefactæ non attenuentur.*

§. 3. E contrario, non tantùm inter poſſibilia numerant perpetuas Lucernas alii, ſed fuiſſe olim probant, quidam & conficiendi modum docent. *Præparabant*, (ſcribit *Guid. Pancirollus* in deperd.) *veteres oleum incombuſtibile, quod nunquàm con-*

conſumebatur. Id noſtrâ quoq; ætate, ſedente Paulo III. viſum fuit, invento ſcilicet ſepulchro Tulliæ, filiæ Ciceronis, in quo lucerna fuit etiam tum ardens; ſed admiſſo aëre extincta. Arſerat autem annos plus minus 1550. *Hermolaus Barbarus* lib. Corollar. 5. & *Franciſcus Maturantius* in epiſt. ad Alphenum teſtati dudum ſunt in ſubterraneis Italiæ monumentis lucentes perpetuo fulgore lucernas deprehendi. Qualis fuerit illa *Maximi Olybii* in agro Patavino, juxta oppidum Atheſte eruta: quam arſiſſe ſuprà mille & quingentos annos Antiquit. Patavin. haud procul à fine tradit *Bernardinus Scardeo* laudatus *Gvilandino* membr. 6. Commentarii de Papyro. Ignis ſive olei iſtius perpetui dilucidam deſcriptionem proſtare ap. *Hieronymum Ruſcellum* in egregio illius opere, cui titulus eſt *Le Impreſſe Illuſtri*, memorat *Henricus Salmuth* ad allegatum ante locum Pancirolli. *Johannes Baptiſta Porta*, Neapolitanus, ingenio experientiâq; magnus, (futurus major, ſi non tàm credidiſſet facilè, quàm, quæ refert, priùs omnia tentaſſet ipſemet) in Mag. Nat. lib. 12. c. 13. ad problema hoc: *quomodò fieri poſſit, ut candela perpetuò ardeat?* Poſt præmiſſa alia de igne Judæorum ſacro, deq; Romanorum illo cuſtodito à Veſtalibus, novum ſemper pabulum ſuppeditantibus, reſpondet: *Noſtris temporibus circiter Annum M. DL. in Naſide Inſula, in Neapolitano cratere ſita ſepulchrum marmoreum repertum eſt cujusdam Romani, quo recluſo phiala intus reperta eſt, in qua lucerna adhuc ardebat, rupta & viſo aëre, extincta eſt; quæ ante Servatoris noſtri adventum clauſa fuit. Aliæ quoq; ab amicis narratæ, ſunt repertæ, & oculis cognitæ. Unde colligimus, hoc fieri poſſe, & à majoribus factitatum.* Inſignis Angliæ Hiſtoricus *Cambdenus* in Britannia ſua p. 473. lampadis ardentis antiquiſſimæ mentionem facit: *fide digni retulerunt*, inquiens, *cùm Patrum memoriâ monachorum ædes diruerentur, in crypto-porticu ædiculæ, in qua Conſtantinum Chlorum ſitum fuiſſe, opinio erat, lampadem ardentem repertam fuiſſe.* Maximiliano I. Imperatore vel eo æſtimatus nomine *Trithemius*, Spanheimenſis Abbas, & ſex

Coro-

Coronatorum millibus donatus fuerat, quod perpetuam illi comparaſſet lampada. De cujus præparandæ modo poſtea dicendi locus erit.

§. 4. Nunc ſiſtendus maximè *Fortunius Licetus*, qui cum Germanis aliquid commune illâ parte habuit, ut *Italorum omnium laborioſiſſimus* hucusq; dici poſſit, propter numerum & molem editorum. In his ejus ſcriptis illud admiratus ſum præcipuê, quod de reconditis Lucernis Antiquorum curâ & impensâ haud mediocri publicatum fuit. Ipſe verò cùm de Veterum Lucernis exempla, veſtigia, & opiniones varias expoſuisſet, ad confectionem ignei humoris has conditiones exigit lib. 3. c. 28. p. 250. ut ſit *(1.) Materia lenta, & craſſities viſcida*, ad reſiſtendum igni. *(2.) Humor non evaporabilis*, ne disſipando extingvatur: *(3.) Materiæ ſubſtantia ſincera, homogenea, pura.* Hîc ſi æqualitas humoris pariter & ignis dominetur, perpetuò ardere colligit. Sic & vivere multos poſſe ſine alimento. Cum Lucernæ igne autem magnam intercedere familiaritatem calori hominis nativo. Inter materias igni reſiſtentes numerari AURUM, AMIANTUM, ADAMANTEM pro ellychnio inconſumtibili; pro materia perenni autem oleum ex Amianto oportere elici. Sed de his paullò poſt uberiora. In exemplum affert *(1.)* Lucernam antiquisſimi *Pallantis*, (lib. 1. c. 10.) reliquarum abs ſe proditarum celeberrimam, temporibus Henrici III. Imperatoris, prope Romam, ab Agricola repertam; dum ſolito is altiùs terram foderet. Cadaver adhuc integrum, in pectore latisſimum occurriſſe vulnus perhibetur. Suprà caput Lucerna, perpetuo igne ardens, circa fundum perforata atq; importunè rupta, flammam protinus amiſit. Inſcriptio hæc fuit:

Filius Evandri Pallas, quem lancea Turni
Militis occidit, mole ſuâ jacet hìc.

(2.) Olibii, quæ Anno Ch. 1500. juxtà Ateſten, Patavinum municipium, ſimili occaſione inter fodiendum eſt reperta, ſpe-

cie urnæ fictilis, cum alterâ incluſa urnulâ, Plutoni ſacra. *Licet.* l. 1. de recond. antiqu. Lucern. c. 9. *(3.) Tulliolæ*, in viâ Appia poſt Annos 1500. inventa cum inſcriptione Lapidis TULLIOLÆ. Idem Lib. 1. c. 2. Magnitudinem ſi quæras, urnæ illæ fictiles aut æreæ in Aldrovandi Coradiniq; muséis communem uſualiumq; lucernarum magnitudinem non excedunt; nec ultrà ſex vel octo uncias olei continere poſſunt; unâ exceptâ Jovis omnium maximâ, quæ tamen olei libras duas cum ſemiſſe vix continere potuit. L. 3. c. 18. Sic & rationibus naturæ, & exemplis pro perpetuarum Lucernarum exiſtentia militat *Licetus*.

§. 5. Propter Hiſtoriæ fidem non ſolicitabimus exempla, materiam examinare potiùs contenti. AURUM *an ſit habile, ut extrahatur arte chymicâ quantalibet incombuſtibilis pingvedo*, ſi quæratur, ſimpliciter negamus quæſtionem. *VVolffgangus* quidem *Lazius* teſtatur (l. 3. Hiſt. c. 18.) Patavii in Italia phialas tales cum ardente adhuc lumine, vaſe duplici concluſas, repertas olim, tantis ſumtibus paratas, ut, *Auro in pingvedinis liquorem arte ſoluto*, diutiſſimè & per multa ſecula arſurum ignem continerent. Sed nec naturam Auri, nec flammæ ſatis intelligere putandi ſunt, qui hæc imaginantur ſibi. Candeſcit quidem liquatum in igne Aurum, ad morem vitri, ſed flammam ex ſe nullam ſpargit. In lucernis autem veterum coruſcus rutilavit ſplendor. Deinde memoratu dignum, in *Auro vel nullum, vel exiguum profectò ſulphur ſupereſſe*. Ubi autem ſulphur nullum, ibi nec pingvedo; propter quam ardere poſſit Aurum. Novi equidem diſtinctionem illam ſulphuris in *combuſtibile* & *incombuſtibile*, ap. Fr. *Baſil. Valentin. Com. Bernh. Lampert.* Spring/ *Sendivog. Glauber. Anonym. Philalethen*, & alios; ſed cur principium combuſtibilitatis omnis ſulphur faciunt, & incombuſtibile tamen ſulphur, id eſt σιδηρόξυλον relinquunt nobis? Cur non docere poſſunt, in

quo

quo ſulphuris incombuſtibilis natura propriè conſiſtat? Cur, quod Mercurio tribuendum erat maximè, asſignant ſulphuri? Si à ſulphure color Auri & inflammabilitas; cur Aurum ab ignibus non deniq; conſumitur? Sed purius identidem evadit. Cur in *Auro fulminante* poſt peractum fulmen, & color Auri remanet, & pondus? An non exhalavit ſulphur, ſi quod adfuit? Quid, ſi ſine Auro, ſalis alicujus beneficio, parari æquè posſet fulmen? Poſſe autem, certò mihi aliunde conſtat. Hîc ſufficiat notasſe, Aurum, ut cætera metalla omnia potisſimam ſui originem Mercurio debere. Ab hoc perfectisſimè excocto illi color, incombuſtibilitas, gravitas, tinctura conferuntur. Ad esſentialem Auri conſtitutionem ante omnia Mercurius, ſal deinde fuſionem tribuens, & terra aliqua irreducibilis requiritur. Hæc tria ita invicem unita ſunt, ut communi menſtruo omninò nullo ſeparari posſint; multò minùs deſtrui. Quantò rectiùs ſcripſit (lib. de Metallis & eorum metamorph.) *Thomas Moreſinus* p. 33. *Auro jam perfecto & à natura concocto inesſe ſulphur negant Chymici*, (peritiores) *vel hâc ratione, quod uni Auro nil deperit in igne; cætera mineralia alterat, perimit, denigrat ignis propter ſulphur.* Ad ellychnium incombuſtibile ſi dicant aptum Aurum eſſe; quærimus nos unicè, quâ viâ oleum aut pingvedo extrahi è ſole posſit, ad perpetuò alendam flammam?

§. 6. Jam examini ſubjiciamus AMIANTUM. Eſt hic quidem lapis cinerei coloris, ſerici in modum per filamenta reſplendeſcens, friabilis, fibroſus, netilis, incombuſtibilis, ac admirandi uſus ad mantilia Regum, & mappas Principum inconſumtibiles conficiendas. Strophiola igitur incombuſtibilia, nec non ellychnia perpetua elaborari non ſine maximo labore poſſe, extrà litem eſt. Sed an & oleum ac liquor ad Perennilucam? Hîc Rhodus, hîc ſaltandum. *Fateor* inquit P. *Athanaſius Kircherus* (eo ipſo loco, Tom. III. nimirum Oedip.

 Ægypt.

Ægypt. Syntagm. 20. §. 9. ubi dubias Lucernas tales reddere laborat,) *ſi ulla res in rerum natura perpetui luminis τέχνασμα præſtare poteſt, id Asbeſtum & Amiantum præſtare debere; quorum lychnus ſtupaceus uti inconſumtibilis eſt, ita* ex eo extractum oleum irreſolubile eſſe, *nemo negare poteſt, qui naturam utriusq́ penitus inſpexerit. Et lychnus quidem ex Amianto confectus (quem jam à biennio lucernæ meæ ardentem video, nec in minimo quidem defeciſſe reperio, neq́; deſiturum puto) ἀφθαρσίας luculenter probat indicia; de oleo tantummodò irreſolubili difficultas eſt; quod ſi quis mihi ex Asbeſto extraxerit, eum unà mihi perpetui ignis nutrimentum ſuppeditaturum eſſe, nullum dubium eſt; at quis eſt hic? Et laudabimus eum.* De hoc non deſperaſſe penitus negotio *P. Caſparem Schottum* colligo, (ex part. 4. Mag. Pyrotechn. l. 2. c. 6. §. 1.) ſic enim ipſe: *Ignem perennem, qui nunquàm extingvatur, ſed novo ſemper pabulo ſuffecto duret perpetuò, vel potiùs in novas ſemper atq́ ſibi mutuò ſuccedentes flammas, ſeu incendia propagetur, humanâ dari poſſe induſtriâ, dubium nullum eſt.* Idem ibidem annot. 3. de autore ac materia hæc ſubdit: *dum hæc ſcribo, & cum aliis eâ de re diſcurro, vir doctus & in rebus Chymicis apprimè verſatus promittit mihi, ſi mercedis loco honorarium ſolvere paratus ſim, edocturum ſe methodum olei inconſumtibilis conficiendi ex triplici ſulphure, minerali, vegetabili & animali; & per ignem Cabaliſticum ſeu æthereum Solis & Lunæ* (id eſt Auri & Argenti) *ſine aëris tamen ingreſſu accendendi. Et hoc ait reperiri poſſe etiam in ordinariis carbonibus, aut in animalium oſſibus combuſtis; & non ſolùm in ſulphure fixo, vel Amianto. Addit, ſe modum ſcire extrahendi id è dictis rebus, per ſpiritum terræ, aut roris Majalis. Ponatur, inquit, carbo ordinarius aut os combuſtum animalis in vaſe clauſo, extracto aëre in ignem, ſpacio 100000. Annorum nunquàm comburentur, nec alterabuntur; manebunt ab Aqua forti & Stygiâ intacta: cùm tamen Aurum ab his non ſit innoxium.* Talia credebat *Schottus*, huic verò promittebat Artifex. Sed quia polliceri præſtare non eſt; dubitandum, veráne *hiatu tanto promiſſor*, an *ſesquipedalia verba* & ampullas ſolummodò proje-

jece-

jecerit? In eo non fefellit fidem, quod è carbonibus oleum quoddam candens certiùs elici, quàm ex Amianto poſſe, faſſus eſt. Si omninò impoſſibile dixiſſet Amianti oleum pingvedinemve hinc produci poſſe, meliùs conſuluiſſet veritati. Eſt nimirum neſcius reſolvi igne Amiantus in vaporem, lentâ viſciditate craſſus, ſine ſapore ac odore. Unde ergo oleum? Ponamus autem arte Chymicâ produci poſſe oleum ex Amianto; an illud inflammabile dicemus? Contrarium futurum potiùs, ut extingvat flammam; cùm nihil aliud exiſtat, quàm ſal fixum è corpore foſſili eductum per elixiviationem. Quin & per menſes aliquot in igne valido relictus ſibi alterationem planè nullam paſſus eſt. Ut contrarium probetur, provocamus ad experientiam.

§. 7. Reſtat, ut de ADAMANTE etiam diſpiciamus. Indomitam naturam ejus (à quâ & nomen habet) ex vero non delineavit Plinius: *Illa invicta vis duarum violentiſſimæ naturæ rerum, ferri ignisq; contemptrix hircino rumpitur ſangvine; nec aliter quàm recenti calidoq; macerata.* Ignibus reſiſtere continuis Adamantem notum; à ferro non expugnari & in ſcobem poſſe redigi, omninò falſum eſt. Ridiculum relatu, ab hircino tantùm, & eo recenti calidoq; ſangvine (ſi herbas ſolutivas hircus ſcilicet comederit,) macerari. Nihil hæc quoq; ad inflammabilitatem Adamantis. Videndum igitur quid cauſæ, cur ad Adamantem provocent hîc quidam. An in eo oleum, aut liquor? Citiùs ex pumice elicias. Sed fortè lux evibratrix atq; fulgurans? Ita eſt; ſed non in omnibus. Orientales illi, qui ex India inprimis afferuntur, ſi affrictu manuum aut veſtium tractentur, in tenebris evibrant radios ac lucem, & per vim electricam, ut ſuccinum, quandoq; filamenta attrahunt. Vid. *Philipp. Baldæ.* part. I. Operis Geographic. Hiſtorici, von denen berühmten Oſt-Indianiſchen Küſten Malabar, Coromandel und Zeilon, c. 24. p. 156. Dn. *de Chapuzeau* in Hiſt.

Gem-

Gemmar. & divitiar. Orientis & Occident. Edit. Gallic. Chapitr. 1. & præcipuè *Thomas Nicols*, in Acad. *Cantabrig.* Regius Prof. part. 1. elegantiſſ. de Gemmis libri, c. 1. Nec id vanum. Quanquàm de Rubino & Carbunculo, & de univerſis gemmis negent vim ineſſe noctilucam *Boëtius* de *Boot* in Hiſt. Gemm. & Lap. l. 2. c. 8. *Johann.* de *Laet*, Cap. de Carbunculis & Rubin. *vulgò*, inquiens, *creditum fuit, Carbunculos & Pyropos carbonis inſtar in tenebris lucere; quod tamen de nullâ gemma hactenus deprehenſum, licet à quibusdam temerè jactetur.* A cujus ſententia parùm abfuit *Olaus VVormius* in Muséo. Contrarium nihilominùs evicit non ſolùm per αὐτόπτας teſtes (*Vartomannum, Garziam ab Horto*, Pro-Regis Ind. Archiatrum, ac *Benvenuto Cellini*, Scriptorem Italum in tract. art. Aurifabril.) *Robertus Boyle*, nunquàm ſine laude nominandus nobis, in Obſervationibus de *Adamante Claytoniano*, in tenebris lucente, epiſt. ad *Robertum Morum*; ſed coram Regiâ Societate demonſtravit etiam in Collegio *Greshamenſi.* Fuerintné inter hos aut ſimiles lapilli illi, quos Philoſopho Romano, *J. Cæſari la Galla* oſtendit ligneæ incluſos pyxidi *Galilæus Galilæi*, qui prunarum accenſarum inſtar clausâ etiam feneſtrâ radiabant, (teſte *Liceto* lib. 2. de Lucern. Antiqu. c. 4. p. 283.) non auſim definire. Ineſt igitur non Adamanti ſoli, ſed nec omni, verùm & Rubinis & Carbunculis quibusdam lux vivacior longè ac in Lapide *Bononienſi*, lignis putridis, piſcium ſquamis, cicindelis & ſimilibus. Lux inquam, non ignis. Unde igitur oleum incombuſtibile? Sal puriſſimum duriſſimumq;, non ſulphur minimum aut reſinam in Adamante deprehendent; quâcunq; vi aut arte illum tractent.

§. 8. Hactenùs res non proceſſit: jam aliâ tentemus eam viâ. In Sulphure, in Antimonio an lampas perpetua quærenda ſit? Sollicitè ſcrutatus eſt *Libavius* Comment. Alch. part 2. l. 2. c. 10. de diuturnis ignibus. *In ſulphure* ait, *ex*

alu-

alumine ſublimato coquitur ex Amianto, & poſtea eodem in vitro aliquo circumdatum incenditur, ſpe & promiſſione æternæ flammæ. Non quidem inficias imus, Amianto inconſumptam ignibus naturam eſſe, & aliquos Alumini tùm ſimplici, tùm plumoſo & Salamandræ pilis; ſed an iſtud artificium tàm facili ſublimatione ſulphuri conferre æternitatem ardoris ſine jacturâ ſui dare poſſit, non immeritò dubitamus. Aliud lumen fit ex vitro ſtibii, ex quo per acetum rubedo extrahitur, quæ corpori, poſt rectificationem, in balneo, iterùm redditur inceraturq́ʒ., & cum eo per vini ſpiritum in oleum reſolvitur, quod incombuſtibile paratur ſulphur, nec in lumine flammeo durare poteſt. Flamma enim vivit in corpore exhalabili, & ſpiritus fundente aptos. Chymicum autem ad poſſibiles Naturæ operationes reſpicere jubemus. De Amianto ſupra tulimus judicium, quod idem dictum volumus de Alumine plumoſo; quantumvis aliud Alumen hoc, & aliud ſit Amiantus. De Vitro Antimonii & ſulphure proceſſum penè geminum *Bartholomæus Korndorfferus* peculiari hâc de re libello tradit, & *Trithemium, Abbatem Spanheimenſem* ex hoc fonte derivaſſe ſempiternam lucem, Maximiliano I. dedicatam docet. Ingredientia, ex ipſius fide, erant ſulphur perpurgatum, alumen calcinatum, per lotones 8. anaticè acceptos, Stibium, Chryſocolla Veneta præſtantior, ſpir. vini generoſioris quater deſtillatus, confectum inde oleum & novo V. S. vel ſepties correctum & abſtractum, donec oleum incombuſtibile ſuperſit, &c. Sed enim ex his tantum effici miraculum à quoquam potuiſſe, credat, qui non cavet decipi. Ingenioſè dictum *Moſcardi*, Itali, huc applicare liceat, dum lib. 1. Muſéi c. 32. exclamat: *Si come quei Lumi eternamente ardevano, coſi eternamente queſte laſciano dubioſa la mente.* Univerſim valet axioma hoc: *ubicunq; aliqua pingvedo aut materia combuſtibilis eſt & ignis, ibi perpetui nil ſubeſt.* Semper etenim principium conſumens agit in ſubjectum conſumtibile ac conſumendum. Rectè ſcripſit tract. de vero Philoſophorum Sale *Dn. de Nuyſement*: (Quæſtor Generalis Comitatûs de Ligny in

Ducatu Barrenſi, p. 118.) *tenendum eſt tanquàm indubitabile, quòd ignis natura ſit conſumere & deſtruere omne id, quod combuſtibile eſt. Ignis devorat omne id, quod volatile eſt & qualitatis aëreæ, quia proprium eſt ejus nutrimentum.* Flamma etiam, ut *Kircherus* (lib. 1. Art. Magn. Luc. & Umb. part. 1. c. 5.) docet, ens in continuo motu atq; ſucceſſivum eſt; motus autem ille neutiquàm durare poſſet, niſi pabulum in ſingula momenta novum conferretur.

§. 9. Quæ cùm ita ſe habeant, credamus firmiter, ex oleo inconſumptibili ac igne non conſtare potuiſſe Veterum Perennilucas, nec in poſterum quærendas eſſe. Videamus ergò, quid in SALE lateat arcani. *Juro ego*, ait *Johannes Garlandus*, Philoſophus Anglus, (lib. de Mineralibus, c. 23. p. 113.) *per nomen* DEI *cuncta ſcientis, quòd, qui ignorat ſalem abſconditum, nihil adeptus eſt illius rei, quam erat adepturus. —— Totum abſconditum* (arcanum) *eſt in ejus cognitione & ſolutione & coagulatione. Et qui hæc novit, jam ſalem abſconditum prævidit. —— Pone mentem tuam in ſale, & non ſtudeas, niſi in eo, & videas, quòd omnes ſapientes circà complementum divertunt ad ſalem, & nominant eum multis modis. —— Invenient autem ſalem in omnibus cineribus vegetabilium, & in calcibus lapidum & in oſſibus animalium, &c.* Ipſe ille, cujus ante mentionem fecimus, *Dn. de Nuyſement* de Philoſoph. Sale: *eſt hoc*, inquit, *illud pretioſum, cui magnus ille Doctor doctorum Apoſtolos ſuos comparabat, tanquàm theſauro exquiſitiſſimo à cœlis producto. Potuiſſet enim æquè dicere: vos eſtis adamantes, rubini, perlæ, aurum & argentum terræ; niſi ſcivisſet omnes haſce res, quanquàm admirabiles, nihil in ſe continere, quod cum ſale hoc generali conferri poſſit, cui ſoli gloriam perfectionis debent.* Eſt in nivibus, eſt in aquis ſplendor & quandoq; ſcintillatio. Et aquis quidem lumen aliquod ineſſe, diligens teſtatur obſervatio. Ipſa etiam ſpuma ab *Hippocrate* λαμπηρὰ vocatur; quia, ut interpretatur *Gorræus*, quodammodò ſit ſplendida. Imò non lucet tantùm, ſed caloris ſubinde faces ſuſcitat. *Nec*

ſpumæ

ſpumæ ſoli, ſcribit *Thomas Bartholinus*, (de Luc. anim. probl. 9.) *ſed ipſis aquis lumen inſidet, ut ſæpius in mari utroq; ſupero & infero obſervavi. Impulſi enim remorum gyro fluctus, clariſſimum ſplendorem oſtentabant, qui de die albeſcit. Quid? Quòd ſine motu ullo ex mari ſcintillantem algam extraxerim, immiſſoq; linteolo, ſplendore infecto, vicinis rebus æmulam ſtellarum lucem communicaverim.* Quæritur, id unde fiat? A motu reſpondent vulgò. Sed ſi à motu, cur non in aquis idem aliis phænomenon occurrit? Medium eſt quidem motus, ſed cauſa nec ſufficiens, nec efficiens ſplendoris. Ad ſal potiùs confugiendum. Piſcatores purpurarios alioſq; rem marinam exercentes plerumq; rufo tingi, inde ſuſpicatur *Ariſtoteles*, (lib. de Cœlo 4. & ſect. 38. probl. 2.) quia mare calidum & ſqualidum per ſuam eſt ſalſuginem. Et lixivio crebriori ſplendeſcere videntur crines ab admixto ſale. Pro ſalis luce ſtetit & *Cardanus* in ſaporum & colorum comparatione. Jam quid de gemmis, & quidem de Adamante, Carbunculo, Rubino, aliiſq; in obſcuro coruſcantibus dicemus? Vitra hæc Naturæ ſunt, ex ſale puriſſimo compacta tincturiſq; mineralibus imbuta. Nitrum ipſum quæſo æſtimemus. Annon ex correcto maximè (rectificatum vulgò vocant) Nitri Spiritu &c. igneus conſurgit ſplendor? Ingenioſiſſimus Academiæ Curioſorum Hermes; *Dn. Balduinus*, Fautor & Amicus noſter colendiſſimus Cap. 5. de Magnet. Univerſ. propiùs rem tetigit: *quod in ipſo naturali humido deſiccatum eſt, ſal eſt naturale rei cujuſcunq;, cùm in id reſolvi nihil non poſſit. Hâc expertus ratione modoq; ſum, quòd in ſale, quaſi ſpiritu univerſali terrificato, incombuſtibile quoddam, ſive ſecretum ignis ſit elementum.* Arcanum quoddam prodidit ex ſale depurati mellis, in opere Vegetabili, (tit. de V. esſent. mell. c. 7. p. 113.) *Iſaacus Hollandus*, lumen inde ſplendidum conficiens. Inprimis autem p. 124. de Lap. Philoſoph. ubi agit, Noctilucam memorat eximiam paratam, quæ præſtiterit officium candelæ, & in forma lapidis apparuerit. Magnus

Olaus Borrichius non ex vano retulit (in tract. de ort. & progreſſ. Chem. p. 188I.) ex Nitro diuturnâ patientia excocto Pragæ in officina Chymici cujusdam corpus quoddam prodiisſe, in tenebris lucens, & ſplendorem ſuum in vaſe etiam frigido aliquandiu ſervans. Salis ſpiritui *Ronſardus*, Gallorum ſeu Homerus, ſive Pindarus, illuminandi vim tribuere videtur, canens:

Je ſuis celuy, qui gouverne le monde;
Qui le premier hors de la maſſe éclos,
Donnay lumiere, & fendy le Cahos,
Dont fut baſty cette machine ronde.

Aperui materiam remotam; de ſpeciali atq; proximâ ſilere jubet Plato.

Caput III.

De NOCTILUCA aliquâ CONSTANTI, & per vices FULGURANTE, nunc reperta.

§. I.

Occaſio. DUm diu multumq; ſolicitor his curis, ut, ſi quâ fieri ratione poſſit, in naturam lucis propiùs liceret intueri; cur deinde per tot ſecula, labores, ſumtus, fruſtrà deſudârint ad Perpetuum conficiendum lumen plurimi, divinitate lucis trahor indies in admirationem magis. Oblectabar ſolo lumine ad exiguum durante tempus, quod ex aëre à Sole jam tum colluſtrato per magnetem Philoſophicum colligitur; quod ex vitro, ex Smaragdo calcinato, & ſuper ardentes prunas laminæ cupreæ affixo, non injucundum, ſed caducum brevi exhibet ſpectaculum. Quod exſaturaret tamen pectus avidum, ac perduraret ſemper, in iſtis deprehendi minimè. De

igne

igne dubitavi ſemper; de luce, tanquàm ſubſtantia ſimpliciori, & ſe ſolâ pariter contentâ re, ſpem ſemper optimam concepi. Quid opus, inquiebam, ignibus, ſi præſtò lux ſit, quæ illuminet. Sint diuturna quædam per neſcio quod oleum incombuſtibile lumina; perpetua non poſſunt eſſe. Lux autem extrahi inſigni arte atq; præparari poteſt, quæ nullo eget alimento. Hæc lux ſi unita, copioſa, & vitro ritè clauſa fuerit, ne ſpiritualis illa vis ab aëre, à tempeſtatibus, à ventis diſſipetur, duraturam credidi tamdiu, quamdiu vitrum ipſum perdurabit. Obſervabam apud *Claudium Gvichardum* (lib. I. des Funerailles p. 82. ſeqq.) *absq; pabulo lucernas à Chymicis effectas.* Stimulum ſuppeditabat *Porta* curioſus, ſed in eo lapſus, quod de ignibus & flamma, non de Luce potiùs durationem eam intellexit atq; ſvaſit. *Si liquor* (inquit lib. 12. Mag. Nat. extr. cap.) *ſubtiliſſimæ ſubſtantiæ & minimæ evaporationis introducatur vitro, & accendatur intùs flamma, permanebit; quod ſpeculis, igne, induſtriâ & ſolertiâ facilè fieri poteſt. Non extingvetur, cùm nullibi aër immitti poſſit, repleturus inane phialæ: vel pabulum continuò ſolvitur in fumum; hic cùm ſolvi non poſſit in aërem, abit in oleum, & denuò accenditur. Sic perpetuo fluxu pabulum miniſtrabit. Principia audiſtis; ſcrutamini, operamini, periclitamini!* Quantumvis apud *Dn. Morhofium*, (ingenii admirandi Virum, ad Phyſin & Poëſin maximè ornandam peridoneum) in epiſtola de *Transmutatione Metallorum* Lucernæ inexſtingvibilis hiſtoriam hanc obſervârim: *Narravit mihi*, ait ipſe, *Vir honeſtus & fide digniſſimus, cùm Lovanii literis operam daret, in notitiam Burgundi alicujus perveniſſe ſe, à quo in muſeum ſuum, ſingularis artificii videndi gratiâ invitatus fuit. Obductis itaq; feneſtris, ne externum lumen impediret, vitrum aliquod anguſti oris, liquore puriſſimo plenum, cui inſertum erat filum aureum, produxit Burgundus, & lucernâ filo admotâ, tantum repente lumen exortum fuit, ac ſi in medio ſole verſarentur: incredibilis verò ſvavitatis odor totum muſeum complevit. Suppreſſâ poſteà flammâ, hoſpitem, ſed ſub juratâ ſilentii fide, dimiſit.*

Non tamen, quod ſalvo amicitiæ jure ſcripſerim, impetrare abs me, ut credam, poſſum, perennitatis privilegio fuiſſe gaviſurum artificium. Et opinioni meæ fidem relatio ipſa facit. Si enim fulgor tantus, quantus illis, qui in medio verſantur Sole, tùm apparuit, nimium & excellens ſenſile non potuit durare diu. Et unde ſvaviſſimus odor ille? Qui mineralium comes eſſe aliàs haud ſolet. Obfirmavi planè animum, in rebus naturalibus ad maximum momentum pertinentibus, credere non niſi oculatis manibus. Artificiales ignes ſplendore & odore admirabili ex tempore repræſentare, ſpecimina non pauca prodidit poſt *Portam Schottus* in Magia Pyrotechn. de Camphora & quibusdam ſpeciebus gummatum.

Artifex. §. 2. Non eſt livore deterendus, aut ſilentio premendus auſus Viri in palæſtra Vulcani ſeu vitra, ſeu metalla ſpectes, diutiſſimè exercitati, & à Celebri Chymiatro, D. *Langelotto* non parùm æſtimati & laudati, *Dn. Joh. Kunckelii*, Sereniſſimo SAX. ELECTORI à ſecretioribus laboribus Chemiæ & Cubiculi miniſteriis devoti. Ab hoc ut primùm alter alteri innotuit, contendi precibus hortatibusq; ut deſiſteret (ſi quidem unquàm in arcano opere fuiſſet occupatus,) ab arte tot damnis & periculis nobilitatâ. Relicto præcipitio ad plana ſe conferret, Naturæ opera certiora potiùs rimando, unde Sapientiæ naturali atq; Medicinæ lux inferri poſſit, ad rerum eruendam veritatem, & promovendam hominum ſalutem. Sic propitium laboribus futurum Deum. Operari claros hâc ætate noſtrâ Viros circa Lumina & Phoſphoros. Auderet lumen circumfundere ingenioſis curis. Imitatus Phoſphorum & Heſperum, phænomena caduca dixit. Contulit cum exteris ſententiam, & redux Wittebergam factus periculum ſuſcepit novæ artis. Sextus propemodùm elapſus menſis eſt, ex quo ſignificavit mihi primùm, *Luminis perpetui ſe poſſeſſorem eſſe.* Dubia, ut ſolent, qui non fidem præbent illicò venalem,

lem, ei plura feci. Reſolvit talia per *ἀυτοψίαν* & experimenta. Rogavi, ut celaret admirabile inventum, donec per intervallum temporis conſtantiam experiremur Noctilucæ. Jocabar etiam, ſæpè nubem pro Junone amplexari Chymicos ſolere. Exſpectaret ergo, dum res ipſa ſemet aperiret. Fecit, & non infeliciter perfecit. Vocatus in conſilium magnificus Naturæ myſta, *Dn. Otto de Gvericke*, reſpondit, cum vitro ſuo duraturam Noctilucam. Vidit ante paucos quidem menſes rudimentum ejus aliquod alicui (qui *πολλῶν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω* per Europam Aſiamq; & Indias) conceſſum à Non-nemine Berolini, *Dn. D. Joh. Sigism. Elsholz*, Archiater Electoralis Brandenburgicus, qui diſſertatione editâ ad Germaniæ Curioſos ſummoperè admiratus eſt ſpectaculum. Manifeſtatâ ergò præter opinionem ſcripto re, deſtinabat apud animum *Kunckelius*, primitias offerre PATRI PATRIÆ, à quo tot hactenùs beneficiis ornatus fuerat. Factum id eſt ſuperiori menſe Dresdæ, interventu Viri Nobiliſſimi, à curis Principalibus & ſecretioribus dudum excellenter meriti.

Artificium ſingulare.

§. 3. Jam in eo fervet labor, ut non videatur ſaltem lux hæc, ſed quò videantur alia, proximè vicina, præſtet. Huc usq; tergeminum obſervavimus mirabile. *Primum* in eo ſitum, ut ſi materia lucifera vel portione minimâ capillis, barbæ, ſuperciliisve illinatur, tempore nocturno, non ſolummodò jucunda, ſed etiam horrenda repræſentet oculis objecta. Ut pænè metuendum foret, mira & inſolita phænomena mortales ſuperſtitioni deditos ac vanitati circà apparitiones Geniorum & id genus plura, ſi reſciſcant, auſuros inde comminiſci; niſi pretium obſtaret Noctilucæ, vix ab hominibus privatis redimendæ. Quamdiu artifex collegerit in materia ritè præparandâ, jam non explanabo; id tantùm contentus memoraſſe, cùm laborem iteraret die XXV. Julii haud ita pridem, vix ultra unciam dimid. elicuiſſe igne valido, per

Mirabile.

horas

horas plurimas continuato. Teſtabuntur de Herculeo labore, qui tùm interfuerant poſt cœnæ tempus, cum Amicis aliis, egregii quidam Studioſi juvenes, Chymiæ ſub ejusdem ductu dediti, & Profesſorum tùm præſentium nonnulli. *Alterum* à fulgure mirandum. Sed hoc per vices fit, & aliud pro cauſsâ habet fundamentum. Qualis nimirum illa flammæ eſt micatio, cum tempore æſtivo disſipantur nubes à ſulphure ac ſale imprægnatæ, (wenn es Wetter = leuchtet) ut deflagret æſtus. Ubi hoc aperiendum elegans ſpectaculum, ſi duplex vaſculum retortum vitreum exactè clauſum ſibi opponatur, materiâ luciferâ imbutum, nihil posſe pulchrius excogitari, quantum ad hoc attinet. Priusquàm flamma emicet, cæruleus præcedit fumus, à luce pulſus; veluti à Sole dispellente nebulas. Et hoc ſæpiuſculè, potisſimùm à motu aliquo, redintegratur. Tantum recipit, quantum evibravit. Inde adæquata cauſa fulguris & aëriæ micationis peti pariter ac reddi poteſt. *Tertium* quandoquidem plus damni, quàm quodvis pyrii pulveris artificium, ſi eodem abutare, infert uſibus humanis, propter comburendi vim inextingvibilem, ſub ipſis licet aquis, à ſolo etiam Sole protinus incenſum, exponere nec licet, nec libet impræſenti. Quoniam hoc velut oleum ex alio procesſu hauriendum, commune nil cum Noctiluca habet; occaſione tamen ejus adinventum nuper fuit.

An Perenniluca ſit? §. 4. *An Perenniluca mereatur ſalutari?* Majoris quæſtio momenti eſt. Mallem egomet judicia admittere à Curioſis & Chemiæ probê gnaris, quàm domeſticum proferre teſtimonium; qui promisſorum ſine re prodigos odisſe ſoleo. A *poſteriori* & eventu, fateor, imposſibile hoc demonſtratu esſe. Quis enim verò vivit, aut victurus eſt, ut finem Luminis perpetui experiatur, aut expertus fuerit? Perpetui inquam, cuſtoditi, & ab externâ vi, aut obſtaculo non aboliti.

Quæ

Quæ autem ab interno aliquo principio corrumpitur, Perennilucæ nomen non meretur lux. Hoc ſcio, hoc affirmo, per menſes complures hactenus vigore pari, pari ſplendoris plenitudine duraſſe. Tentavimus idem etiam diurno tempore in cellis, omni lumine Solari casſis; tentare in camerâ obſcura licet. Noctu commodisſimè, candelis omnibus remotis, facias periculum. Hoc tamen obſervato, aliquamdiu lumen remanens in oculis, à Sole aut accenſis pingvibus profectum, impedire primò claritatem Lucis. Per intervalla enim & ſtringit organa videndi, & relinquit lumen: aut ſummoperè offendit pleno ſuo jubare pupillam. Vocavi interim *Conſtantem Noctilucam*, ne modeſtiæ limites transgrederer. Præſtò tamen ſunt, quæ urget artifex, nec pauca, neq; levia perennitatis argumenta *à priori*. *Primum* ab incombuſtibili principio, è quo elicitur hæc Noctiluca, peti poteſt meritò. Lux videlicet, ut concentrati in cono vitri urentis radii, unita, connexa, copioſa, pura, in ſubjecto ſuo, per naturam ſtabilis perpetuaq; eſt. Subjecto autem ſuo pereunte, non quidem corrumpitur, ſed aliò diſcedit, res naturaliter incorruptibilis. *Secundum* ex analogia, quam cum Stellarum luce posſidet communem, ſumitur. Sol & Stellæ reliquæ primarii ſunt omnis lucis fontes: ſecundarii ſunt ſublunaria ſine numero corpora nativâ ſui luce prædita. Ut verò cœleſtium lux ſemper durat, ſic & ſublunarium; ex eodem Lucis primigeniæ producta globo. Lumen quidem perit, quia ſoboles tantùm & imago lucis. Lux non obnoxia huic caſui. Lumen accidens, ſed lux ſubſtantia, & quidem incorporea; per aquas, vitra pariter, & gemmas penetrans pellucidas. *Tertium* à defectu principii internè conſumentis, & à ſimplicitate lucis derivatur. Abſente hoſte, cesſat pugna, cesſat actio contrariorum. *Quartum* ex perpetua naturalis motus luminoſi circulatione promi

Hh poteſt.

poteſt. Lux inprimis fulgurans & evibratrix nebulam ſubinde motitat retruditurq́; , ut mox emicet de novo. *Quintum* ab indemnitate intra aquam , in qua non ſolvitur , nec deſinit lucere , derivatur. Quin & in aëre libero per ſeptimanas aliquot duravit hactenùs , materiæ impacta ſpisſiori. *Sextum* à minori colligit ad majus : ſi Aurum , corpus miſtum , craſſumq́; etiam , in ignibus non perit ; multò minùs conſumetur lux , nobilior diviniorq́; res. Quin imò propter lucem incombuſtibilis natura Auri. Ut hîc ſilentio prætermittamus Viri circa aërem & vitra innumeris experimentis verſatisſimi Dn. de *Gvericke* judicium. Tu ipſe judica , & nobis interim , ut digniora provoces , *Benigne Lector* , fave.

Ad præcedentem Disſertationem
quædam AUTORIS
HYPOMNEMATA.

I.

Quæ in Cap. 2. Noctilucæ §. 4. ex *Fortunio Liceto* de lucernis veterum adducta ſunt exempla , non venditavi pro infallibilibus , cum , quid de iis cenſeat doctisſimus *Ferrarius* , locorum horum monumentorumq́; in Italiâ ſedulus ſcrutator , minimè ignorem.

II.

Phoſphorum , ut vidit alibi , vulgavit vocavitq́; liquidum , & miſit ad me ſchediasma celeberrimus Virorum *Dn. Elsholzius* ; ſed cur *quintum* appellaret , causſa nulla fuit ſolida. Gradu & perfectione differens ut magis ſcilicet minusq́; , ſpeciem non mutat. Rudimentum eſt in formâ liquidâ ; ſed in ſiccâ complementum.

III. Ac-

III.

Accenditur hic Phoſphorus non ab igne ſaltim proximo; ſed & à ſole remotisſimo; quin etiam à motu digiti aut baculi, quantumvis merum ſal volatile pro nutrimento habeat.

IV.

Haud ex vano conjectavit *Dn. Elsholzius*, lucernas Veterum hoc pacto reſtauratas esſe, quæ multis retro ſeculis inter deperditas ab omnibus relatæ erant. Sed de Phoſphoro illo liquido, minimê elaborato, conſequentia haud valet.

V.

Noctiluca fulgurans ex eo vibrat radios, quod particulæ lucentes innatant liquori; quæ ſi mergantur, veluti mortuæ diſparent, propter levitatem facile reſurrecturæ, ſi liquor ſaltem motitetur.

VI.

Lucet non ſolûm ſed & illuminat objectum præſens maximè, ſcripturam nempê mediocrem, ſi quantitate piſi ſit incluſus vitro, ſed in formâ ſicca, Phoſphorus.

VII.

Fulgurans ungventi quoq; ſuſcipit lentorem; eo fini, ut ſi chartæ, panno, animali, aut corporis humani membris illinatur, jucunda admirantibus ſpectacula repræſentet; fulgura per vices vibrans & diſpellens nubes.

VIII.

Liquore pulvis pyrius imbutus flammam rapacisſimam & in mediis flagrantem undis exhibet, à ſolo Sole inflammabilis.

IX.

Admirationis plena res eſt, ab exiguæ quantitatis grano, ſcrupulóve innumeras ſcintillas ſtellulasq; propagari in pariete, pavimento, chartâ; ſi inprimis nomina & imagines formentur, quæ ſi oris ſpiritu difflentur, avolant, mox redituræ, ubi flatus deſinat.

X.

Etſi odor plurimus, non ad allium; ſed ad accenſi pulveris pyrii indolem accedens, ſurgat & exhalet, nihil interim comburitur in panno, ligno & ſimilibus: lux enim eſt, & *ignis frigidus*, non urens, niſi motu excitetur, aut à flammâ.

XI.

Conſervatur in ſpecifico liquore, quin & in frigidâ; incluſa vitro cuſtoditur optimè: propter ſal volatile in aëre libero & aperto vaſe disſipatur.

XII.

A nullis ſive corroſivis ſive oleoſis aquis læditur. In aquâ calidâ liqueſcit, olei in modum: in frigidâ priorem conſiſtentiam induit.

XIII.

In formâ ſiccâ, ſuccini ex albo flaveſcentis inſtar, Lunæ cornutæ haud abſimilis vim maximè unitam habet; ut ſi grano ſaltem libra pulveris pyrii inficiatur, protinus accendat ligna, tigna, lintea, & vehementisſimè objecta lædat.

[*In literis VVittebergâ Vratislaviam prid. Eid. Sept. 1677. datis ad Collectores Ephem.*]

VENUS AUREA,

IN FORMA CHRYSOCOLLÆ FOSSILIS

CUM FULMINE COELITUS DELAPSA

PROPE HAYNAM

D. XXVIII. MAJI ANNO M DC LXXVII.

Deſcripta per

CHRISTIANUM ADOLPHUM BALDUINUM,

S. R. Imp. Academ. Naturæ-Curioſ.

& Societ. Reg. Angliæ

Collegam, dict. Hermetem.

VIRO

Magnifico, Nobiliſſimo atq; Experientiſſimo

Domino

MARTINO BERNHARDI

de BERNITZ,

Medicinæ Doctori Celeberrimo, S. Reg. Majeſt. Polon. Perſonæ Medico & Secretario meritiſſimo, &c.

Domino & Amico meo

honoratiſſimo

S.

VIR CELEBERRIME,

HÆret Cœleſtis *Venus* illa, Planeta beneficus, Soli comes aſſidua. Phoſphorum mane, veſperi Heſperuginem vocant. Adiaphanum illi corpus atq; opacum. Unde lucis propriæ expers, niſi Solis beneficio uteretur. Cæterum Lunæ æmula, nova ſubinde lucis incrementa patitur eadem.

Hujus ad exemplum, jam biennium eſt, cùm terreſtrem *Venerem*, (hoc eſt, *Phoſphorum Hermeticum*) arte Chymicâ inventam concinnatamq; Orbi literato viſendam exhibui publicè, nec, ut opinor, ſine applauſu. Nam non illa Verum Cœlo ſolùm, ſed Auſtriacum etiam in terris *SOLEM, IMPERATOREM AUGUSTISSIMUM ROM.* noſtrum attraxit magneticâ vi, ſplendoremq;, ab utroq; ſibi Polo acquiſitum novum, exteris adeò quoq; Regnis, *ANGLIÆ* puta, *POLONIÆ, FRANCIÆq;*, communicavit. Equidem non nunc vacat, peculiarem de ſingulis inſtituere ſermonem. Morari, *Magnifice VIR*, ſedet, unâ aliquantulum in *POLONIA*, ob *Indigenatum* Regis & Magnatum ſuffragiis Tibi collatum, Patriâ Tuâ, Tuiq; admiratrice: Nondum elapſus annus integer eſt, ex quo *PHOSPHORI* mei literis tuis ferebantur radii in

POLO-

POLONIAM uſq;, atq; in ipſa adeò *Sacræ Regiæ Majeſt.* Adyta penetrâſſe. Miſi *Solarem* poſt paulò *Aquilam; ut Paciferam* crederes, Palmam Laurumq; ungvibus præferentem. Ornabat Diadema Regium caput, quod Iris diſcolor ambiebat.

Sed quid ego iſta in præſens? Quæ ſilentio premere forſan ſatius fuerat, ne modeſtiæ limites transgrederer? Non poſſum nunc tamen, quin hoc unicum addam, ſcilicet quam ibi fortunam experta Lucifera Aquila ſit. Nam, ſimul contigit Sacrum illum Venerabilemq; *REGIS* Optimi vultum ſubire, *Inſigne idem Polonici Regni* non exceptum tantùm, habitumq; benignisſimè eſt, ſed & peculiarem gratiam meruit, *Imaginem ſcilicet Auream, Torque ſuo pendentem.* Quæ in manus meas ut perveniret certiùs, Tibi tradita eſt, quam ad me perferendam curares. Ita *Magnes* meus *Luminaris*, attractâ Munificentiâ *Regiâ*, aurei Solis & ipſe factus Phoſphorus eſt. Liberalitatem iſtam agnoſco venerorq; publicè nunc gratâ eâdemq; humillimâ mente. Iſtam prædico. Ac, ut *Aquilæ* huic *Paciferæ*, quam jam ſæpiùs nomino, *Polonicæ* adſcripſeram:

Hîc, ex fine novo, Sol Pacis prænitet Auris;

Per purum Anagramma:

JOHANNES Tertius, Rex Poloniæ Pacificus:

Sic idem *Pacificus Rex* non inferior, rogo, *SALOMONE*, ſapientiâ, vivat!

At enim *Veneri ut Luciferæ* noſtræ tanta hoc ipſo acceſsiſſe videri felicitas queat, quanta, cùm ſumma eſt, eſſe ſolet; nulla tamen cenſenda eſt alia, quàm terreſtris ac Inventum merè humanum.

Sed jam ecce novam Tibi, eamq; Cœleſtem, ab ipſomet omnipotenti Chymico, DEO, in ingenti ſuo Laboratorio præparatam. Nimirum ſuſpenſam ab Jove *Venerem* aëre finxit antiquitas. Noſtra, quam dixi, non à fabuloſo illo Jove, ſed ab JOVA vero, conſtituta in aëre, demisſa cum fulmine in terras deſcendit. Credebatur gentium illa benignisſima juxtà ac pulcherrima Dearum. Qualem nos noſtram putabimus? Quæ profectò illi, tantùm abeſt, ut quicquam concedat, uti formam & ſvavitatem, ipſum deniq; habitum etiam, quo & viridi & cæruleo incedit, præripiat planè.

Eam, *Nobilisſime VIR*, ſimul ut deſcendit, delatam ad me URANIAM lætabundus excepi velut hoſpitio, ſecretoq; aliquamdiu habui. Nunc, quo fato neſcio, ad TE viſa contendere eſt; celebratisſimum Naturarum, Artium Scientiarumq; abditarum quarumvis Asſertorem verum ac Vindicem. Non illa autem tetrica importunavè venit viſuq; difficilis, nec, niſi jusſa, loquetur pro me, ſibi muta ac ſilens. Interim, ubi vacuas aures offenderit, cùm, amoto velo, Solarem oſtendet faciem ſuam, tùm erectum in hoc Tractatulo, ſive Aphrodiſium, ſive Statuam ſibi: ultroq; admitti in Sacra-

crarium Tuum petet, aut nusquam, aut hîc contra impudentium Procorum quosvis impetus tuta latensq;. Dab. Haynæ è Muséo, die Veneris, 28. Septemb. A. O. R. M. DC. LXXVII.

Magnifici T. Nominis

Cultor devinctiſſimus

Balduinus.

CAPUT I.

De Veneris Aureæ ejusdemq; Mineræ delapſu, quâq; occaſione ſit inventa.

PAtet Natura Omnibus: & Cœlum ſuprà undiq; patet. Paucis tamen aut ſcrutari illam, aut acutis hoc oculis intueri volupe eſt. Utut non pauca quotidiè in apricum proferat DEUS, aut aperiat Dies.

Diſtat ab Urbe *Haynâ* tribus quaſi pasſuum millibus *Ermendorffium*, pagus, Præfecturæ *Electorali*, mihi commisſæ, immediatê ſubjectus. Ferebatur hinc nuper, nimirum XXIIX. Maji die, inclinante in veſperam, cœloq; internitente crebris ignibus, effudisſe tempeſtas, lapidum vim. Color viridis, miſtus cœruleo. Deferebat ad me, poſt non multò, fragmentum nucis caſtaneæ magnitudine *Johannes Schmid*, Reinersdorfenſium Judex, idq; ſe accepisſe inventum à Filia nunciabat, quæ ibi haberet. Non accredidi primô. Sed, ut natura hominum veri avida eſt, cum *Dn. Johanne Engelhardo*, Amico meo, quô jam multos annos conjunctisſimê utor, *Ermendorffium*, me ipſemet contuli, cogniturus, veranê esſent relata? Ac primùm quidem, quibus in judicio locus, illos examinavi. Poſt deindè, ſuper hac re, incolas aliquot jusſi, quæ haberent, afferre. Nec cunctatus diu, *Martinus Langius*, talem ſe affirmabat, Lapidem, nucis juglandis magnitudine, in ſuperiori parte pagi reperisſe; quô, præſentibus vicinis, in pariete literas cœruleas exarârit. Alium, Ovum ferê gallinaceum æquantem, in medio pagô, *Regina Lehmanna*, *Thomæ filia*: Fruſtulum

ſtulum autem *Eliſabetha, Andreæ Klugii filia*, extra pagi ſepta, in prato *Georgii Burkarti* ſuſtulére. Cujus ad extremum Uxor, *Anna* nomine, particulam dimidium ovum gallinaceum æquantem, in vico (Mohn=Gaſſe) inventam, in duas partes diffregerat; quarum alteram Patri ſuo, *Johanni Schmidio*, eidem, quem ſuprà retuli, dedit habendam. Atq; iſtud ipſum fragmentum illius ego poſtmodùm muneri debeo, quod jam pariter memoravi. His ita cognitis, in eundem me ipſemet vicum, ubi fruſtum illud, (quo de ultimo loco mentionem feci) jacuerat, conferens, non ad dextram tantùm cujusdam tugurii, viridis nec non masſæ cœruleæ, maximô impetu cùm in maceriem illius domunculæ, tùm verô in inclinatum ad parietem ingentem lapidem vibratæ deſuper, cum ſtupore notas quatuor deprehendi: ſed & circa ipſum, quem dixi, lapidem minutas materiæ totiens jam laudatæ particulas aliquas, manu iſthac, quâ hæc ſcribo, ſublatas, domum contuli; ut exactius de his & judicare, & quæ comperisſem, rerum talium Studioſis, poſteâ impertiri liceret. Nam & ſpargere in vulgus decet, quicquid ſe ſuâ novitate commendat. Neq; ego, opinor, in præſens peccabo, ſi, ejusdem obſervans, cum *Ovidio* dulci animos novitate movebo.

CAPUT II.

De Mineræ hujus fulmineæ Forma & Materia.

EST divinæ Fulmen juſtitiæ telum terrificum, mentesq; indomitas adeô, ut vel DEUM ipſum negantes ſtupeſcere idem vimq; agnoſcere Numinis faciat. Delabuntur cum hoc lapides ſæpè, fulminei dicti, Ceraunei item, voce è Græco deflexâ. Germanis Donner=Steine/ Donner=Keile.

De quorum generibus, differentiis item ac figuris adiri poteſt *Anſhelm. Boët. de Boot. l. 2. c. 261. & 262. nec non Joan. de Laet. l. 2. c. 24. de Gemmis & Lapid.* Quem inter rariora aſſervo, formam cunei præfert; eſt is autem colore nigro, ſemiforamen pollicis habens, nitensq; obſcurè.

Sed nec pari omnes magnitudine veniunt. Teſtatur, *in Vita M. Aurelii Imp. lib. 1. c. 25. Modognotus, Valentianô* imperante, *Conſtantinopoli* lapideum velut imbrem tanto impetu decidiſſe, ut jumenta ferè campeſtria omnia extingverentur, civesq; non pauci interirent. Vide ſis *Majolum Colloq. I. & Mich. Majer in Septim. Phil. p. m. 50.* Anno à nato Chriſto, ſupra milleſimum quinquageſimum, octuageſimo primo, interdiu hor. 1. pomer. Lapis pondo 39. præcipitatus *in Thuringia* eſt, oblongus, durus, attritu lapidis flammam emittens, in cœruleo purpureus, fervens adeò, ut attrectari non poſſet. Qualem ferrugineo colore, multos abhinc annos, noſtrâ in Saxonia ex aëre in terras delapſum priſci illi homines videre. Qui hodieq; inter Admiranda Principis *Electoris Dresdæ* oſtenditur Lapis.

Quicquid hujus ſit, non auſim ego, neq; poſſem quidem Mineram hanc fulmineam iſtis conferre, ſeu formam velis, ſeu fermentum ſpecificum. Refert enim foſſilis Chryſocollæ colorem; quæ Germanis Berg-grün nominatur: & ſic viridis eſt, uti ad cœruleum inclinet, ſcilicet non multùm abſimilis viridi *Azuro: cujus apud Petrum Mariam Canepurium, de Atramentis Opere, (Deſcript. 5. cap. 18. pag. m. 349.)* deſcriptio extat. Guſtus ipſi, qualis Vitriolo. Ponderoſa adhæc (inſtar æris factitii viridis,) & friabilis deniq; eſt. Cæterum ſcintillulis quibusdam granulisq; metallicis, coloris aurei, iisq; minutisſimis diſtincta. Hinc, ſi experimentum ejus in coticula facias, Aurum credas, qualis non peſſimi eſſe Coronati ſoleat. Utut fixum non ſit, quâ nativum utiq; gaudet prærogativâ; ſed hac

hac quidem in parte Aurichalco, ſeu (ut alii,) Orichalco communi, i. e. Coronario, ſive tincto per Cadmiam Cupro accedat potius.

Dixi autem Metallum hoc Aureum, quòd de Cupro participet, *Venerem*. Nam eſt Cuprum Chymicis Venus. Cupro autem vocabulum dedit ſine dubio Cyprus, (Maris Inſula mediterranei, & æroſa antiquis, Veneriq; , gentili vanitate, ſacra dedicataq;.) Equidem tuliſſe & *Indiam* Coronarium æs, vix ab Auro, ſi polires, diſtingvendum, Veteres ajunt: referente *Fr. Bacon. de Verulam. in Sylv. Sylvar. Centur. 9. Exper. 849.* nativumq; olim, ære, nobilius multò Orichalcum fuiſſe, teſtis *Plinius eſt, lib. 34. cap. 2.* ſed non pauci ſunt Phyſicorum, qui, in rerum natura an unquam extiterit nativum ac foſſile metallum hujusmodi, vocent in dubium. Quibus, apud Interpretem *Apollonii*, haud ſanè obſcurè, pollicem *Ariſtoteles* premit, idem cum ipſis inficiatus. Quemadmodum itaq;, *apud Plautum*, *Curculione* (I. 3.) putatitium Orichalcum Auro opponitur, tanquam precioſius; nempe cùm nusquam eſſet, tamen quaſi eſſet, aurô excellentius habebant: ſic cùm noſtra è contrario *Venus Aurea* non ſit planè non-ens, ſed verum, idq; rariſſimum metallum, haud ſanè dignitate abjicienda ea infra Aurum commune nobis eſſe videbitur; utpote quàm longiſſimè antecedere exiſtimamus.

Equidem proditum, cùm ab aliis, tùm *Avicenna* potiſſimùm, memoriæ eſt: cecidiſſe in *Perſide* ferrum & propè *Lurgeam* maſſam quinquaginta librarum, nec non in *Lucania*, *refer. Ammiano libro 17.* In Sylvis *Neuholem* ferream maſſam recremento ſimilem ex aëre decidiſſe, adeò, ut nec deportari propter gravitatem, nec curru devehi in via potuerit. *Agricol. Obſerv. Metall. cap. 8.* Alibi æs ſeu Cuprum; quod etiam Anno 1618. hujus ſeculi in *Bohemia* cœlitùs fuiſſe delapſum, *referente Excellent. Doct. Johann. Marco Marci à Kronland, in Philoſoph. vet. reſtit.*

part. 2.

part. 2. Sect. 5. Subſ. 1. pag. m. 149. Imò in *Pelagia* Inſula aurô pluisſe; Præcell. D. *Jonſton. in Thaumatogr. ex Ammiano* autore. Cœterùm quicquam tale circa Aurum non fixum (*Venerem noſtram,*) *in Germania* atq; *Miſnia* contigisſe, omnes hactenus Hiſtorici tacent. Unde nec immeritò peculiare ac novum aliquid cenſendum, dignumq;, cui perſcrutando omne ſtudium tempusq; conteramus. Nam quò rarius quid, hoc admirabilius idem etiam ſolet haberi.

CAPUT III.

De dictæ Mineræ cum Chryſocolla fosſili Comparatione.

DIcitur Chryſocolla Græco nomine, quaſi Auri gluten, quod, ad Aurum glutinandum, ejus ſit uſus; eſtq; vel nativa, vel factitia. Borrax hæc propriè (quam omninò hinc exulare jubemus): illa autem Viride terræ, Montanum viride, Germ. Berg-grün/ Stein-grün/ quodq; lapidibus etiam, fisſili imprimis, deprehenditur adhærere, Schiefer-grün vocitatur. Gignit nativam hanc Chryſocollam in cavernis fibrisq; Natura, ac arenæ quandoq; ſimilis reperitur, quandoq; materia metallica ei adhæret. Naſcitur autem plerunq; in ærariis metallis, nam ex ære tantùm fit. Quocircà ſi in argentariis oritur aurariisvè, venas horum, certum eſt, esſe cum ære permiſtas. *Conſule Agricol. de nat. fosſil. lib. 3. c. 19. & ex eodem Gorræum Def. med. f. 514.* Recenſet *Rulandus, pag. 148,* Chryſocollæ ſpecies ſex: In quibus *Armeniaca* olim primas, ſecundas *Macedonica,* tertias *Cypria* occupaverit. Effoditur hodiè *in Hungaria, Bohemia, Sileſiaq;* atq; alibi: *adde Muſéum VVormianum l. 1. ſect. 3. c. 10.* Imò *in Miſnia* noſtra etiam. Teſtis ipſemet ſum, qui in Fodina, quam vocant

(auf

(auf den 3. Linden bey dem Wieſen=Bade/) ejus generis Mineram, propriô ipſis vocabulô Kupffer=grün appellatam, reperi & adhuc dum inter Mineralia mea cuſtodio. In *Hungaria* ad oppidum *Briſticiam*, ubi ſunt divites fodinæ æris, cuniculus quidam reddit aquam viridem, ex cujus ſedimento Chryſocolla colligitur: ref. Exc. *Caſp. Bartholin. de Aquis lib. 1. cap. 9.* Atq; hæc ipſa forſan eſt aqua, credita transmutare in Cuprum ferrum. Opinionem hanc posſit juvare equina Solea, maximè ſplendens, ex ferro cuprea; quo dono Nobilisſ. *Dn. D. Chriſtoph. Mezgerus, Medicus Reip. Ratiſpon. celeberrimus*, Thecam meam curioſam jam olim reddidit auctiorem. Etiamſi hîc vera ac esſentialis Martis in Venerem metamorphoſis nulla, (uti vulgo quidem putatur,) ſed æratorum tantùm in Vitriolo aut Chryſocolla latentium corpuſculorum ad ferrum confluxus, quod naturaliter appetant, (cum prælaudato Dn. Donatore) ſtatuendus. Vid. incompar. P. *Athanaſ. Kircher. Mund. Subterr. lib. IX. cap. I. ſect. I. & Ephemer. Medico-Phyſ. Germ. Anni VI. & VII. Obſ. 120.* Quomodo verò Chryſocolla fosſilis differat non locô tantùm natali, ſed & colore, conſiſtentiâ nativâ, &c. docuit dudum Magnif. *Doct. Johann. Laurent. Bauſch. Acad. Nat. Cur. Præſes p. m. Schediaſm. Poſth. de Cœruleo & Chryſoc. c. 12. ſeqq.*

Cum hac Chryſocolla, nativa videlicet, æquari conferriq; ex facili *Minera noſtra fulminea* queat. Namq; (1.) ut intenſior hujus color ſuperetq; haud parum, eruuntur nihilominùs & hîc locorum, quam proximè ad cœruleum accedentia, quædam genera Chryſocollæ. Quâ friabilitatem (2.) nihil quicquam fosſili cedat. Jam, quid (3.) prohibet, quò minùs, miſta Oleo, aquæ item confectæ è glutine, uſui esſe Pictoribus posſit? cûm æquè patiatur ſe teri. (4.) Quod ſuprà retuli, Chryſocollæ quandoq; materiam adhærere metal-

licam, & in noſtra hæc pariter deprehenditur, niſi quod granula aureo tingantur colore. (5.) Virtutes Chryſocollæ variæ ſunt: (quæ integrum nobis inter alia caput ordine ſextum conſtituent infrà.) Quas quis noſtræ autem Mineræ demet? Quantum enim cœlum & terra inter ſe differunt puritate: tantum neceſse eſt, Chryſocolla iſta ſuperna, cœlo delapſa, infernam anteeat, generatam in terra. Liquet, opinor, admirabile Cornu Copiæ haud injuriâ aërem & dici & credi, cùm ſit Mineræ hujus ſeu Matrix, ſeu Mater.

CAPUT IV.

De Comparatione Aureæ Veneris cum factitio Aurichalco.

QUanquam, in univerſa, ſi excutias, rerum natura, Aurichalcum nativum reperiri, ſuprà ſumus diffeſſi, (2. c.) non viciſſim tamen negamus, arte confici idem, nec infrequenti nobis eſſe in uſu. Eſt factitium hoc Aurichalcum Cuprum ſive æs flavum, lapidoſa Cadmiâ tinctum, Auri Rhenani colorem referens. *V. Agric. l. 9. c. 1. Aurum Plinius* Coronarium vocat, quòd eo uſi ad coronas Hiſtriones. German. Möſch oder Meſſing. Cadmia verò, quam æs imbibit, eſt recrementum metallicum foſſile, ſubflavum, non admodùm durum, Germ. Galmey: ſecundum *Matthiolum in Commentariis Dioſcorid.* Lapis Calaminaris, Calamina quoq;; &, ſecundum *Cardanum, de Subtil. rer. lib. 6. de Metall. l'* Ottone appellatur, vid. plura apud *Gabriel. Fallop. Tract. de foſſil. c. 12. & Vanantium Biringutium lib. 2. Pyrotechniæ cap. 9.* Cæterùm hìc non intelligo Cadmiam metallicam, (Cobaltum:) ſed nativam illam, expertem metalli, quæ in multis Germaniæ locis, *Aquisgrani* imprimis, foditur. Quanquam neq; Cadmia

mia nobis factitia deſit; corpus denſum, puta, ex fuligine æris, dum in fornace conficitur, concretum, adhærens lateribus camerisq; fornacum, vel in partem infimam delabens. Cujus eſt ſpecies *Tutia* (favilla arabicè,) *Pomphylix, Spodiumvé*, quæ raró in Officinis noſtratibus extant; unde eorum loco uti *Cadmiâ* ſolent.

Huic ſe Aurichalco ſive Cupro, Cadmiâ tincto multis *Venus aurea* partibus noſtra conformat, contenta in Chryſocolla fulminea. *Primùm* enim, Aurichalcum revocatum ad Lapidem Heraclium, Rhenano auro reſpondet. Unde in opinionem venit nonnullis, derivari à Chalcos, (quod Græcis eſt æs,) Auroq;: ſcilicet quòd & Auri ſplendorem, & duritiem æris habeat. Refert & *Venus aurea* noſtra ſplendorem Auri Coronarii, imò Coronati & duritiem pariter. (Qua de re ſuprà actum *c. 2.*) At enim, quòd experimentum Auri non ſuſtinet, penè immaturum dixerim, ut Sophiſticum illud, ex ære virid. deſtill. Tutia, Tartaro & Borrace venet. ſolitum præparari; Quanquam religioni non immeritò ducam, modumq; & pondus exprimere hîc: cum in Jure noſtro Alchymiſticum Aurum, ex ære conflatum, prohibeatur; *per l. Sacrilegii pœnam ʃ. fin. ff. ad l. Jul. pecul. Ex Dialogo 6. Necyomantiæ Forcat.*

Aurichalcum *deindè* factitium, ſeu Sophiſticum mavis Aurum, nihil prohibet, quò minùs cum vero Auro Argentove liquefacias conflesq; in unum: ſolutum interim forti Aquâ colorem aureum rurſum deperdit. Quòd, quæ iſti ineſt, acrimonia Cadmiam Tutiamve (unde nimirum fuit Tinctura,) præcipitat diſſipatq;. Eadem Veneris noſtræ conditio eſt. Nam, ſi ſolvas Nitri Spiritu, eâq; cultrum inficias, non aureum illi, ſed verò colorem induet cupreum.

Deniq; fugitivum (ut ſic loqui amemus) atq; inconſtans Aurum in ſe, attractum ex *Cadmia* in cemento, Aurichalcum

continet. Neq; enim mineralium ullum naturâ ſuâ atq; eſſentiâ magis aureum, Cadmiâ, eſt; maturariq; ſi queat, plurimum ſanè Auri ex eo nobis polliceamur. Ineſt & *Veneri* noſtræ immaturum Aurum, ſed ex alio principio, ſulphure univerſalisſimo, ortum. Quô de VI. *Cap.* erit locus dicendi. Sic inperſcrutabilis Natura eſt, & ſingulis quidem horis diſcimus aliquid.

CAPUT V.

An Aureæ Veneris Minera ſit Meteorum?

Conſtat illud, vel Emphatica eſſe, vel Hypoſtatica Meteora: atq; rurſum hæc vel ignita, vel aquea, vel ſpirituoſa, i. e. aërea. Licet Meteororum quatuor Claſſes conſtituat *Nollius, Phyſ. Hermet. l. 7.* igneorum, aëreorum aqueorum, terreorum. Quæritur de materia, quæ ſit? Equidem, ſi cum *Ariſtotele* ſimus facturi, â cujus pleriq; Phyſicorum partibus ſtant, dicendum utiq; fuerit: ex halitibus, aſtrorum virtute, ex aqua & terra elevatis, generari. *Vide Franciſc. Reſtam à Talleacotio, in Meteorolog. l. 7. Tr. 2. Adelbert. Tylkowsky, S. I. in Meteorolog. Curioſ. p. 1. cap. 10. Libert. Fromond. in Meteorologia, Barth. Keckerm. in Syſtem. Phyſ. lib. 6. Sennert. in Epit. Phyſ. lib. 4. Petr. Joh. Fabr. in Panchym. Vol. 1. lib. 3. c. 7. Alios.* Cæterùm convitiis ſibilisq; hanc ſententiam conſectatur *Dn. Robert. Fludd, aliàs de Fluctibus, in integro Morborum Myſterio Medicin. Cathol. Tom. I. ſive Tract. 2. part. 1. lib. 2. c. 1.* multisq; imprimis rationibus conatur oſtendere, *Sapientiam æternam omnia meteora depromere ex generali aëris fonte, qui ſit Arca DEI theſauraria & Spiritus catholicus, macrocoſmicus, inviſibilis, more Mercurii cœleſtis, mutabilis & de natura in naturam verſatilis.* Inclinat & hùc non obſcurè *Excell. D. Johann. Marcus Marci à Kronland, in Philoſ. Veter. reſtit. Part. II. Sect. V. ſubſect. 1. p. m. 148. Nimirum ea, quæ à terra ſublimantur, materiam ignitis Meteoris non poſſe præſtare, ſed eadem ipſo in aëre conti-*

contineri, ut ſint veluti plantæ aereæ ex inviſibili principio in eam ſpeciem naſcentes. It. Sect. 7. p. m. 168. *An, quia cum fulmine* Lapis *decidit, idem ex vaporibus ſaxeis concrevit? Verum hujus generationis principium in Archéo aëris continetur. Quod enim ſuperius, inquit* Hermes*, eſt idem cum eo, quod inferius eſt, &c.*

Non ullius Ego juravi *in verba*, quod neq; par eſt, nec, vi *Lemmatis* noſtri *Anglicani*, facere teneor. Quòd ſi verò, quos nominavi modò, Autores *Principia* ſive *univerſalia generaliſſimaq;* (Materiam ac Formam,) ſeu *ſecundaria ac materiata* (IV. Elementa) non reſpuant, ſed, per Spiritum univerſalem ſeu Principium inviſibile, Elementorum omnium Cœliq; ſeu Lucis Solaris reliquorumq; aſtrorum tenuiſſimam partem innuant, quâ, quæ vult, in ſuperioribus iſtis agit DEUS ac operatur, hactenus horum Ego opinioni asſentiorq; atq; lubens ſubſcribo. Sed (quod pace tantorum Virorum ſcriptum velim,) non ſatis mihi dictum videtur: *Meteora ex Spiritu univerſali depromi.* Sciendum enim, ſummum Numen inviſibilem Spiritum hunc Catholicum induisſe in corpus aliquod, *quod Principium proximum* eſt & tria complectitur, quibus quidem, ſed absq; differentia manifeſta, diſtingvitur: Mercurium nempe, Sulphur, & Sal. Non hinc tamen *Principiis ſpecialisſimis activis*, Spermapoëticis, excluſis. Eſt enim Materia Mundi Spiritus Salino-Sulphureo-Mercurialis generica quidem atq; univerſalis, cœterùm ab ſeminibus matricibusq; redacta in ſpeciem, modò in minerale, jam in vegetabile, rurſum in animale mutatur. Nam aliàs ex quolibet fieret quodlibet, neq; inter principia & principiata daretur disſtinctio.

Quemadmodum itaq;, corporificatum Mundi Spiritum h. e. Sal mundi, indolis nitroſæ, copioſisſimum noſtro in Nitro exiſtere: cujus volatilis ſubtilisq; atq; activa magis ſolo ab aëre proveniat pars; quod ſit reliquum autem Nitri, è terra proſapiam ducat: ut iſtud, inquam, pluribus alibi

 (cap. 3.

(cap. 3. de Auro Auræ,) rationibus ſum perſecutus; ſic materia univerſalis hæc Nitro-ſalina non generalis tantùm Meteororum omnium, ſed &, ſpecialiter, materialis ignitorum, ac præcipuè urentis, disſipantisq; atq; terebrantis fulminis, Adjunctorumq; illius, tonitru, puta, & fulguris, fulminarisq; Cauſa lapidis eſt. Quanquam ſic quidem volitantes in aëre vapores ſulphureos, quibus Nitrum incenditur, nulli imus excluſum; quicquid *Exc. Dn. D. Joh. Mayovius in Tract. Med. Phyſ. cap. 13. de Fulmine* contrà asſerat. Nam non, niſi diſpoſitione ac copiâ Nitri atq; Sulphuris fulmen differt à fulgure. Quo enim copioſius illud ſubtiliusq;, hoc vehementior exiſtit percusſio: ob Sulphuris vero abundantiam, major ignis conſpicitur. Hinc, ubi cum tonitru decidunt fulmina, teterrimus odor Sulphuris aërem totum infeſtat. Quod in pulvere pyrio, artificiali illo tonitru atq; fulgure, deprehendere licet: qui, æneo in tormento accenſus, odore, luce, ſonitu, impetu fulmini perquam ſimilis eſt. Quô ipſo, ad ſui deſtructionem humanum ingenium terribilius, addo & violentius, invenire potuit nihil; utpote cujus vi domus in aërem mittuntur, concutiuntur caſtella, monteſq;, & quæ non alia? removentur. Etſi autem, præſuppoſitis iſtis, materialis & proxima fulminis cauſa Sal mundi Nitro-Sulphureus: generando tamen lapidi fulminari nequicquam ſufficiens mihi esſe videtur, quòd & metallariâ & lapideâ ſimul materiâ conſtet. Sine dubio enim Spiritus illi generativi ſpecifici, tàm minerales, quàm lapidifici, ex terra aquaq;, beneficio Solis attracti, rarefiunt, ſubtilioreſq; redditi, Sali poſtmodum Univerſali Nitro-Sulphureo ſubminiſtrant fermentum, quò, in ipſo fulminis ictu, fulminare telum coagulatur exhibeturq;.

Sed, quod ad Ceraunias (Wetter-Steine) lapides candidos illos ac pellucentes, quorum apud *Dn. Boëtium de Boot, Gemmar. Hiſtor. l. 2. c. 262.* extat mentio, ex fulminea, quam

dixi,

dixi, maſſa, ſpecialiſſimi Spiritus lapidifici operâ utiq; generantur. Quod quàm verè ſtatuam, Experimentum docebit: Recipio Nitri puriſſimi partes tres: Arenæ albæ partes duas: Forti his igne in Crucibulo liquefactis, cum aqua communi poſteà extraho Sal, idq; aëri committo; quo facto, intra aliquot dies, ex aquoſo iſthoc Extracto, benè durum idq; pellucidum vitrum habebis. Unde vitrificatio ſeu lapidificatio iſta oritur? Absq; dubio à Spiritu vel ſucco lapidifico aut concretivo in arena contento attractoq; ab Nitro; Ut ſic nihil ferè detur in rerum natura (niſi ſit lapide durius) quod ſucco lapideſcente, ſeu Gorgoneo, eoq; puro vel impuro converti in lapidem nequeat. Ut cum *Exc. Dn. Georg. Hieron. Velſchio in Hecatoſtea I. c. 39. Obſ. Phyſ. Med.* ſtatuam rectè: *Illum, qui chryſtallum in ſuccum vel fluorem reſolvere, & gemmarum liquores ſpecificos ſive ſeminales ex metallicis in proprio ſuo ſubjecto, ut ſemina, latentes agnoſcere & elicere nôrit, eum igni ad Naturalis pyrophylacii ideam compoſito, facili arte, veras gemmas (non vitreas, quas nihili facimus) producere poſſe.* De Concretione Cryſtalli nativi vide *Diſſert. Prodr. de Solido intra Solidum, Celeb. Nicolai Stenonis p. m. 37. & ſeqq.*

Quæ cum itaq; *Veneris aureæ* noſtræ Minera dubitari non poſſit, quin fulminei modô lapidis, ex materia diſpoſita univerſali, præſente fermento Venereo, generata in aëre fuerit, quod cum fulmine indè atq; tonitru decidit: Adjunctum ſeu ſpeciem Meteori igniti realis & mixti illam merito exiſtimo habeoq;. Verùm hac de re, ſequenti poſt capite, fuſiùs. Quanquam forſan Opificis ſummi ſilentio majeſtatem admirari præſtaret, quàm aſſerere audacter, quô pertingere ingenio atq; acumine nequeas. Nihilominùs, cùm ſit naturale corpus Minera hæc, nec delata cœlo incaſſum: cur non & liceat cauſas ipſius naturales ſcrutari inquirereq;? dum intra modeſtiæ ſepta atq; cancellos te contineas. Quod ſi quidem

dem certi cognitio deſperanda, at ſequendum omninò ſtatuendumq; fuerit id, quod vero proximum videatur.

CAPUT VI.

De Mineræ hujus Generatione, modo & tempore.

NOn præter rem, capite præcedenti, Spiritum illum univerſalem Salino-Sulphureo-Mercurialem, unam Subſtantiam triplici virtute diſtinctam, nuncupandam cenſuimus. Eſt is enim humidum illud viſcoſum unctuoſumq; in intimo Elementorum centro latens; cujus continuò exſpirans vapor, adhæc intra intimas telluris fibras montiumq; abditos ductus diffuſus, tandem, ubicunq; materiam aptam proportionatamq; repererit, pro ratione puritatis impuritatisve, nunc lapidem gignit, nunc gemmam producit, nunc minerale aut metallicum corpus procreat. Vide diffuſius hæc diſſerentem R. P. *Athan. Kircher. Mund. Subterr. l. 10. ſect. 1. c. 3.* Quantum itaq; ad metalla: una omnium eademq; materia eſt, forma una esſentialis; ſed accidentalis ſpecies, accidentalis diverſitas, h. e. licet plumbi, ſtanni, cupri, ferri, argenti, & ſic porrò, formæ nobis ſpeciales ſpecificæq; appareant, accidentibus tamen tantùm, ex varietate ſcilicet coctionis & puritatis materiæ metallicæ reſultantibus, differunt. Quanquam *Gvarinus Gvarini, Cler. Reg. in Placitis Philoſoph.* hîc quidem defendere ſatagit Paradoxon: *Formam ſubſtantialem materialem non niſi puram esſe potentiam, neq; ſubſiſtere eam per ſemetipſam.* Num autem Metallorum ſeptem generationi ſeptem Planetæ quicquam conferant, influentes in ea, Phyſicis inter ipſos atq; Chymicis pugna eſt. Nam, (ut de Venere tantùm ſermonem inſtituamus,) ſecundum D. *Thom.*

Aquin.

Aquin. tract. 6. de eſſ. Mineral. c. 2. Nob. D. Petr. Johann. Fabr. in Panchym. Vol. 2. l. 4. c. 22. & Dn. Ludov. de Comitibus in Elucidar. Metall. l. 3. cap. 6. & præſidet Planeta Venus dominaturq; productioni Cupri vulgaris. Econtrario autem Planetiſtas (ut loquamur ita) ille rejicit, qui cuilibet metallo Planetam autorem & formantem cauſam asſignant, prorſusq; *à Phyſica ſubterranea ſua (pag. m. 280.) Excellent. J. J. Becher.* relegat.

Quæ utut ſint, non negari tamen à quoquam posſe putamus: Cœlum & aſtra, tanquam principium univerſale ac remotum ad metallorum cœterorumq; mineralium concurrere geneſes, in quantum Virtutum cœleſtium impresſionumq; aſtralium quædam velut vehicula ſunt.

Etſi itaq; *Venus Aurea noſtra* ex eodem in aëre orta principio ſit, è quo in Metallifodinis Cuprum producitur (qua de re nullum nobis dubium fit), aliam tamen ejus (1.) geneſin arbitramur fuisſe. Nam non differt quidem esſentialiter ejus materia à materiâ Veneris communis genericâ, quam Spiritum univerſalem Salino-Sulphureo-Mercurialem agnoſcimus: cæterùm exiſtimo ego, materiam *Aureæ noſtræ Veneris*, hærentem in aëre, ex ærariis Spiritus iſtos Veneris attraxisſe, quâ confermentata in naturam metallicam conformaretur. Quandoquidem è fodinis exhalationes minerales conſtat oriri, Metallicolis die Witterung dictas; quæ cùm ſuperficiem terræ attingunt, haud rarò ita fortes ſunt, uti, fulgurum inſtar, arbores, herbasq; & glebas, imò ipſos lapides comburant. Hinc *Fribergæ*, celebri *Miſniæ* noſtræ civitate, in Metallicorum pulmonibus ea ipſa inventa ſæpè metalla fuére, in quibus effodiendis laboraverant vivi. Cauſam non aliam, quàm metallicos Spiritus, asſignamus. Sic ex aëre quid Mercurio ſimile posſe ſecerni, fidem faciunt, quæ tradit *Dion.* Et de cœlo lapſum nonnunquam Argentum vivum, *Gvil. Arrogoſius*

diligentisſimè obſervavit: referente *Jac. Zwing. Medic. Baſil. in Exam. Princip. Chym. pag. m. 35.*

Quid? Quòd cum nebula deſcendisſe currentem Mercurium, circa medium Maji, 1672. notavi ipſemet *in Epilogo noſtro ad Aurum Auræ, in Ephemer. noſtris Ann. V.* Imô affirmare hoc amplius auſim, in aëre ſubtilisſimum perpetuô Salium Ens mercurificans latitare.

Quòd ſi tales itaq; ex ærariis (quarum non paucæ apud nos), metallicæ atomi exhalantes, vel Venerei Spiritus, attracti ab Sole, in ſublime feruntur, cumq; fulminea univerſali materia conjunguntur, ecquis Venerei Mineralis ſeu metalli, (qualem quidem noſtram *Uraniam* venditamus), productionem inde imposſibilem ſtatuat?

(2.) Generationis locum (ſalvis aliorum judiciis), *Veneri Aureæ* ſuperiorem aëris regionem, tredecim milliarium Germanicorum à terra ſpatium, asſigno. Probabile enim eſt, cenſente *Clarisſ. Fromondo lib. 1. Meteor. cap. 2. artic. 1.* Meteora, pro materia vaporem terreſtrem habentia, plerunq; non altius à terra, quam 52. milliaribus Italicis, ſive 13. germanicis elevari. Evolve, quæſo, *R. P. Caſp. Schotti Phyſicam Curioſ. lib. 11. c. 5.* Objicis mihi inconvenientiam loci, & matricis in cœlo defectum, qui quidem detur in terra. Reſpondeo: necesſe quidem esſe, principia mineralia, in ſua matrice, nempe ſemine proprio & receptaculo miſceri: ſed ubi ea conveniant, quovê loco ambiantur, parùm referre. Experientiam enim teſtari, extra mineras, ſed habitis requiſitis, metalla miſceri atq; produci. *Vid. Obſervat. meam circa Regerminationem Argenti in Ephem. noſtris Anni V.*

(3.) *Venerem noſtram*, arbitror, in inſtanti coagulatam, cum fulmine in ſuperiore aëris regione, ſtatimq; indê terris immisſam. Gravis enim Minera hæc. Vixq; ac ne vix quidem eſt, ut diu hærere in aëre queat, cùm, quô retineri posſit,

non

non detur. Ais : ſuſpendi à Sole vi magneticâ? Sed impoſſibile hoc, poſtquam concreverit. Noctu enim, cùm non amplius illuminatur à Sole, Minera talis metallica, propter inſitam gravitatem, ruat in terram.

Regeris: ſuſpendi à DEO? Audio. Sed non præſtat Is ſine cauſis ſecundis effectus naturales. Atq; hinc nondum hujus me meæ ſententiæ pœnitet: initiò quidem maſſæ mineralis, iſtius particulas, in ſuperiore aëris regione, diſtractas hærere ſuſtentariq; liberè : deinde autem tempeſtate ipsâ cogi in unum, per fulmen coagulari, coagulatasq; è veſtigio in ſubjectas terras præcipitari deorſum. Inſtas porrò : mixta actione phyſicâ generari, quæ tantùm abeſt, in inſtanti ut fiat, uti potiùs abſolvatur in tempore. Reſpondeo: diſtingvendum eſſe inter materiam mineralium influentem & inter eam, quæ jam influxit; de qua ultima jam loquimur. Vid. *Excell. Doct. Becher. in Phyſ. Subterr. l. 1. ſect. 4. c. 6.* qui ex profeſſo hoc egit.

In magnis voluiſſe ſat eſt. Nec, ut colligat atq; intelligat omnia, quisquam ita ingenio atq; induſtriâ valet.

CAPUT VII.

De Cauſis Colorum Aureæ Veneris.

NOn eſſe Colores viſibilibus in rebus, de ſe non lucidis, permanens aliquid, etiam quando non illuſtrantur : ſed, ſub peculiari aliqua ratione, ipſum per viſum ſenſibile; non hîc quidem anxiè inquirendum videtur, multò minùs oſtendendum cum curâ. Cùm non diu ſit, quòd, de *Lumine & Coloribus* integrum *P. Franc. Maria Grimaldus, S. I.* Volumen conſcripſit, ſublatô eò è vivis demûm publici juris factum, *Bononiæ* 1665. In quo ille (part. 1. prop. 45.) materiam hanc ſeparatim pluribus tractat.

Defixos tantùm in *Venere Aurea* oculos noſtros tenebimus nos, quatenus eadem corpus opacum & permanenter coloratum in ſe, dum illuſtratur, recipiens lumen. Notatur autem *Veneris hujus Minera* duplici Colore: nam & reſpectu formæ Chryſocollæ, ex cœruleo viridis: inſiti autem Metalli intuitu, planè aurea eſt. *(Sed de his jam egimus ſuprà, c. 2. 3. 4.)* Quod ad priorem: interventu utiq; ille luminis oritur à Cupro, quod potisſimum in ea dicimus contineri. Hinc ſi Chryſocollam aëriam noſtram Vini Spiritu (inſtillatis tantûm Nitri Spiritus guttis aliquot,) ſolvo, eoq;, quod eſt ſolutum, chartam aliquam infectam accendo, habebis, quæ mirè oculos tuos pulchritudine oblectabit, flammam viridem, ubi atomos cupreas in flamma larvari nullum dubium eſt. Quantum autem ad alterum, Aureum ſcil. *Veneris* noſtræ colorem: non posſum, quin illum ipſum, unà cum calore atq; igne à fonte, almo Sole videlicet, cum *Excellent. Dn. Doct. Chriſtiano Menzelio, Ser. Elect. Brand. Conſil. atq; Archiatro, Collega & Amico noſtro colendisſimo (in de Lapide Bonon. collato cum Phoſphoro meo Hermetico cap. 4.)* autumem quidem proficiſci. Sed, uti Solis Nitrum filius eſt, ſic prægnantibus ſanè cauſis adducor, ut Colorem illum Aureum noſtræ *Veneris* credam omninò, quoad proximam cauſam materialem, non aliunde esſe, niſi ab Anima Nitri (ſeu Materiæ fulminis), quæ reverà univerſalisſimum Sulphur tingens, undê, quantumcunq; ſpecificorum in hoc univerſo Sulphurum eſt, ea non immeritò creduntur oriri.

Equidem contra *D. VVilliſium, Excellent. Dn. D. Joh. Mayovius, Med. Oxon.* Nitro negat Sulphur inesſe. *(Tract. 1. de Sal-Nitro, c. 4.)* Sic enim ille *(cap. 3. p. m. 26.), Si Nitrum,* ait, *in Crucibulum ignitum immittatur, idem mox quidem liquabitur, ſed non flammam concipiet.* Sed quid ſi exemplo Viri illius ſummi oſtendam contrarium? Immitte Nitrum in Crucibulum ignitum,

tum, teſtaceoq; operculo, (ſic, ut exiguum medio foramen relinquas) obſtruens, fortisſimum ignem ſuppone, qui plurimum ſanè hac in parte præſtabit: & fortisſimam pariter, in eodem, quo dixi, Crucibulo flammam per foramen illius asſiduè emicantem videbis, lucidiorem multò atq; adeò etiam candidiorem, quàm ignis ille esſe poteſt, qui à prunis ſubjectis excitatur.

Ubi autem ignis & flamma, ibi Sulphur. Nam eſt ſubjectivè in Sulphure flamma, ab igne formaliter; ſed à motu atq; inflammatione efficienter.

Sed demus hoc, (ais) nondum evinci hinc tamen, Tincturam ex eo posſe haberi, colorem aureum referentem? Ego verò; quid ni? Et duobus Experimentis, notisſimo altero, altero recentisſimo, evictum hoc dabo. Quod ad (1.) attinet; In confesſo, opinor, apud Spagyricos eſt, nec quisquam eorum hactenùs ignoravit, *Hermetis Inferius*, h. e. Nitrum commune, Veneri ſive Cupro combuſtibile Sulphur ſuum adimere per Chymicum fulmen, pulchriusq;, addo, & purius corpus inde posſe producere. Cur, quæſo, *Superiori Hermetis*, h. e. Nitro aërio purisſimo in fulmine, per inflammationem, *Veneris Aureæ* masſam purificare, aureumq; ipſius colorem intendere maximè imposſibile ſtatuatur? Quod ad (2): Paucis, quod ſciam, inventum hoc cognitum notitiæ jam publicæ edo, unde, Nitrum in ſe, liquet, rubram esſe Tincturam: Recipe Vitri Veneti, redacti in pulverem, partes 4. Nitri comm. pur. partem unam. His mixtis, ad ſemihoram, in Crucibulo, fac, paulatim ut candefiant, ad extremum etiam liqueſcant paulùm. Pignus dabo, nî Sulphur, ſeu Anima illa Nitri Vitrum per omnia Venetum purpureo planè colore tinxerit. Utut Tincturam hanc, extra dubium ſit, ſupremo ignis gradui ſuſtinendo non esſe, quòd hactenus nondum ſatis ea figi potuerit.

Pergis : non negare te, Nitrum hoc poſſe. Sed quæ Nitro ejusve Sulphuri tanta cum Metallis Analogia ? Ingens verò, imo & Sympathia. Nam non omnibus tantùm metallis Nitroſus ineſt Spiritus, qui ſi e. g. Solis, Lunæ, Veneris, Martis, &c. limaturas accenſæ inſpergas cereæ, incendatur: ſed & tenue idq; corporale Nitrum ardens in nonnullis datur Metallis, Saturno cumprimis. Cujus utpote granula, vel communi admota Sulphuri incenſo, tanto cum impetu fulminabunt, quanto Nitrum commune Sulphuri unitum. Et quam Materiam luteam illam ſeu flavam, in *Phoſphoro* meo Sôlis radios attrahentem, eosdemq; ſpargentem in tenebris, dicemus, niſi Sulphur Nitri, coactumve in centrum Cœleſtem Ignem, vel absq; attractione prævia, per attritum ſolùm lenem, evomentem ſcintillas ? Quin imo, ſi cui Sulphur hoc, Animam Mundi, Naturæ Sangvinem, ſeu Tincturam Nitri ſecretisſimam, cum aureo argenteove fermento imbuere, artisq; felicitate figere liceret, illum, multis iisq; non levibus motus cauſis, pro indubitato haberem, ſummum ac inæſtimabile Arcanum iſtud, tot jam ſeculis abhinc indagatum asſimilatumq; fulguri, posſesſurum. *Vid. Phoſphor. meum Hermet. §. 14.* Sed hîc acriori judicio ingenioq; opus Chymico fuerit; *Et tanto paucos dignantur munere Divi.*

CAPUT VIII.

De Chymicis circa Veneris Aureæ Mineram Experimentis.

FInxêre, poſt *Ariſtotelis* Signum velatam facie Fœminam, eiq; Phyſeos ſeu Naturæ dedêre vocabulum Veteres. Nimirum ſummo iſti Viro illius fuiſſe faciem tectam, nec niſi veſtem externam ab eodem viſam quodammodò innuen-

nuentes. Idem ferê cum *Venere Aurea* noſtra, Naturæ filia, mihi ſentio contigisſe. Equidem (ut ex jam dictis patuit), multi hactenus in conſiderando illius habitu fuimus, non vili nec contemnendo; Vultus autem corporisq; adeò Venuſtatem non licuit contemplari. Quod jam, age, tentabimus, ſi, remotô velô, veſtibusq; detractis, nudam ſiſtere dabitur forſan: hoc eſt, ipſam *Mineræ Aureæ* Analyſin, his, quæ ſequuntur, Experimentis, quâ quidem eam licuit penetrare, exhibituri ſumus in præſens.

(1.) *Eam candelæ ardenti immittens, colorem ipſius cœruleum deprehendi.*

(2.) *Ad Lydium Lapidem revocata hæc Minera, deliteſcentis in Venere Auri Coronati coloris non exiguam mihi ſpem fecit. (Quo de cap. 2. actum.)*

(3.) *Minerâ hâc in crucibulo candefactâ, pars plurima ejus abiit in fumum, nec niſi cinis canus remanſit.*

(4.) *Redactæ in pulverem, Mineræ iſtius partem unam, cum tribus Nitri partibus candenti Crucibulo injeci. Quo facto, non incenſa hæc quidem, at fumavit tamen materia, igneum planè nacta ſaporem.*

(5.) *Cui quoq; fortiorem ignem cùm ſubjecisſem, Nitrum evaſit in cœruleum fixum, ſeu Sal Alcali, diffluensq; ad aërem in viride oleum, canam in fundo terram reliquit.*

(6.) *Eandem in Spiritu Vini (inſtillatis prius de Nitri Spiritu guttis aliquot) ſolvens Mineram, imbui (quod jam ipſum ſuprà referebam cap. præced.) eâ chartam*

tam aliquam, quæ incenſa poſteà elegantem eamq; viridem flammam vomuit.

(7.) Solvens ipſam acetô communi, ſolutio ſummè cœrulea prodiit.

(8.) Tinctura hujus Cœruleæ gutta Cultro inſtillata, colorem ipſi, qualis cupri eſſe ſolet, ſuperinduxit.

(9.) Huic & ipſi Soluto cœruleo partem ferri politi cum indidiſſem, præcipitata contenta in Minera VENUS ſeu Cuprum è veſtigio eſt.

(10.) Totiens jam dictam ſolutionem cœruleam, in calore, ad dimidiam quaſi partem ejus abire in fumum ſum paſſus, habuiq;, quô literas, maximè virides in cœruleum inclinantes exarare potuerim.

(11.) Partem unam Mineræ hujus, contuſæ in pulverem, unà cum Borrac. Venet. parte in Crucibulo conflans, viride inde ac luteum obtinui vitrum.

(12.) Minerâ hâc ſolutâ in Nitri Spiritu, pugna utrinq; ſeu fermentatio primùm, poſt deindè autem & coorta ſolutio eſt, qualis maximè eſſe cœrulea ſolet.

(13.) Minerâ hâc ex Retortula ſine additamento aliquo deſtillatâ, Sal albus juxtà ac flavus aſtringens ſublimatus eſt, ſubſiditq; in fundo terra ſubnigra, Vitrioli referens ſaporem.

(14.) Salem hunc ſublimatum in aqua deſtill. ſolvens, terram albam (habitam mihi pro Mercurio), inveni, quam ille reliquerat.

(15.) Gra-

(15.) *Grana aliquot Mineræ hujus crudæ Vitro Veneto commiſſa, contuſaq́ probè invicem contritaq́, urgeri forti igne ſum paſſus. E quà maſſâ fluor (Fluß) extitit, ſimilis gemmæ, quam Aquam-Marinam dicere conſveverunt.*

(16.) *Pari modô, Sapphiri inſtar, habebis fluorem, ſi plura adhuc Mineræ hujus Vitro Veneto admiſcueris grana, eôq́, quô dixi modô, tractâris.*

(17.) *Potuiſſem & hoc amplius experiri: an (de qua n. 9.) præcipitata cum Borrace Venus ſeu Cuprum poſſet reduci, ſalvô aureô ejus Colore. Item,*

(18.) *Num redacta Venus illa, conflata Argento, ſolutaq́ in Nitri Spiritu, Calcem ex ſe Auri gigneret: cùm & in communi Cupro ſemper aliquid Auri.*

Verùm, quòd Experimentis iſtis, quicquid *Veneris* hujus *Aureæ* Mineræ habebam, ferè impendisſem, & verò nonnihil ſuperesſe cuperem curioſæ, quâ utor, Ciſtæ, deſinere utiq; hâc vice atq; hîc pedem figere ſum coactus. Sed, ut prolixior fuisſem, quid hominis etiam induſtrii maximè & laborioſi ad Naturæ latifundium labor?

CAPUT IX.

De Viribus itemq́ uſu Chryſocollæ Veneris Aureæ.

NOtabilis de ſubterranea ſive fosſili Chryſocolla Magnif. D. *Bauſchii* p. m. animadverſio eſt. (*Sched. poſth.* ſuprà-laudato, *de Cœruleo & Chryſ.*) quam, non præter

rem fuerit, hîc repetere. Nam & calefacere, ait, reſiccareq; atq; aſtringere maligna ulcera, adhæc purgare, dolores mitigare, alvum ſolvere & quæ ſequuntur. Sed non eſt, in quo *Chryſocolla* noſtra aëria illi cedat magnoperê. Imò, ſi verum volumus fateri, multò hæc, illâ, purior eſt. Quis jam vires ejus credat inferiores? Et quid multis? Paucas dabimus.

Fertur communis Veneris Sal corroborare ventriculum, cruditatesq; inibi emendare, frigidum uterum calefacere, deniq; renum morbis ſuccurrere: docente *in Pharm. Med. Chym. l. 3. c. 12. D. Joh. Schrödero.* Numquid autem *Aureæ* noſtræ *Veneris* volatile Sal, (cujus mentio præced. facta cap. eſt) non comparare illi audebimus? Imò verò præferendum longê exiſtimamus. Et foret imprimis, cum eadem quantitate Nitri puriſſimi conjunctum, ſimpliciſſimum contra Dyſuriam, ardoresq; urinæ, adeoq; inflammationes renum ſolatium.

Eſt Cœrulei & Chryſocollæ ſpecies *Molochites*, reputata maximas habere vires & facultates: geſtantem nempè defendere, ne tonitru vel fulmine lædatur: *Anshelm. de Boot, in Hiſtor. Gemm. & Lap. l. 2. c. 113.* Quòd ſi reverâ ſic ſe iſta haberent: major utiq; *Chryſocollæ* noſtræ vis ac efficacia fuerit, quòd cum fulmine generata.

Teſte *Agricolâ, de Nat. Foſſil. lib. 3. c. 19.* foſſili quâlibet Chryſocollâ, præſertim Hungaricâ, utuntur Pictores.

Poſſet & noſtra iſtis artificibus uſui eſſe, quòd illam ſuperet colore; dummodo quantum ſatis, quotannis cœlo delaberetur.

Nativâ ex Chryſocollâ optimum, *Goldbergæ Sileſiorum*, Aurum conflari, autor eſt *Encel. de Re Metallica l. 2. c. 21. & lib. 1. c. 4.* Equidem tentare id mihi cum *Noſtra* non licuit, ob defectum illius; neq; enim ſatis ejus habebam. Cœterùm cùm tinctum ei Cuprum ineſſe deprehendatur, non fugitivum tantùm, ſed & corporale fixum maximê Aurum reperiri in

ea,

ea, dubito nullus. Quanquam impenſos in eam rem ſumptus, metus ſit quidem etiam, ut refundat; niſi ingens illius ac luculenta adſit copia. Nam & communi in Cupro Auri ſemper aliquid.

Prodidit *Ariſtoteles*: gigni in *Cypro*, æris ſeu Cupri, non abſimilis Auro, quoddam genus, quod in fruſta minutisſima conciſum, agricolæ ſerant, mox, ad pluviam, exoriri, & coaleſcere: ad juſtam autem maturitatem colligi idem atq; recondi. Vid. *Alex. ab Alex. Gen. Dier. lib. 4. cap. 9. pag. m. 199.* Equidem noſtræ illius *Aureæ Veneris* duæ tantùm Drachmæ mihi ſuperſunt, quas in memoriam rei ſervare conſtitui. Cœterùm ſi, in morem æris Cyprii, eas poſſe ſcirem multiplicari, vel cras ſationi illarum accingerer. Secundum enim *Blancani* digresſionem, ſæpenumero revolutio facta, intra X. annorum curriculum, ingentem haud dubiè uſumfructum pareret. Sed, quod in proclivi eſt animadvertere cuivis, jocor hîc tantum. Nunquam poterimus ita Naturæ ſubtilia artificia perveſtigare, ut non multa ſuperſint.

CAPUT X.

An Aureæ Veneris delapſus miraculum ſit, & an aliquid portendat?

SAtis ſuperq; inter Hiſtoricos conſtat: varias unà cum fulmine ac pluvia cœlo res decidisſe. Recenſentur ſangvinei imbres frequentisſimi *à Lycoſthene*, *è Livio*, *Obſequente*, *Dione*, multis aliis. Imprimis de pluvia ſangvinis in *Borusſia* adeundus *Thuanus* lib. 27. Itemq; illâ in *Æmathiis* campis, ante prælium *à Scanderbegio* proſperè factum, *Scodr. de Rebus geſt. Scanderb.* De Lactis pluvia, *Camerar. Cent. V. cap. 97.* De Cineris pluvia, *Leonis tempore*, *Niceph. lib. 15. c. 20.* De Arenæ pluvia,

via, *Acta Phil. Illuſtr. noſtræ Soc. Reg. Angl. Relat. VI. Menſ. Jan. 1666.* De Cretæ pluvia, *Jul. Obſequ. in libr. de prodig. c. 45. 51. & ſeqq.* De pluvia Piſcium & Ranarum, quæ *Dardaniam & Pœoniam* vexarunt, ut olim *Ægyptum, Athen. l. 8. c. 2. & Scalig. Exerc. 191.* De pluvia Annonæ, *Thuan. l. 5.* De pluvia Tritici in Anglia & Germania, Excellent. *D. Georg. Hieron. Velſchii Hecatoſt. 1. Obſerv. 32. Phyſ. Med.* Quarum prodigioſarum exempla plura collegit Nob. *D. Jonſton. Admir. Met. cap. 8. pag. 127. Clariſſ. Fromond. l. 5. Meteor. cap. 6. Johann. Garcæus Meterol. cap. 25. p. m. 99. & Henric. Kornmann. in Templo naturæ, part. 2. Coroll. 10.*

De his & ſimilibus aliis diſcrepantes Eruditorum ſententiæ ſunt. *D. Corn. Gemma de Natur. Divin. Character. lib. 1. cap. 6.* inter alia ſic ſcribit: *Cum pluviis Vellera, ranas, vermiculos, ligna, frumentacea varii generis, item lac & ſangvinem & id genus alia, terrarum permiſta effluviis, ſurſum ferri iterumq́ deorſum præcipitari, non ſemper mirum aut inſolens eſſe debet; hæc enim cauſas habent legitimas à cœleſtibus Syzygiis.* Non haberi pro miraculis à literatis, quæ per aërem nonnunquam delabantur in terras, autumat *Jul. Cæſ. Baricellus, in Theſaur. Secret. cap. 28.* Nec abhorrent ab hac mente celeberrimi Viri, *Dn. Joh. Jac. Chifletius, Archiater Reg. & Dn. Joh. Marc. Marci à Kronland. in Phil. vet. reſt. p. 2. ſ. 7.* quorum uterq; quoad pluviam illam ſangvineam, quæ Anno 1646. die 6. Octobris irrigavit *Bruxellas*, in cauſis unicè naturalibus acquievit. Diſtat ab his nimiùm quantum *Excellent. Dn. Doct. Dan. Sennert. p. mem. l. 4. Epit. cap. 6.* & adſcribit pluvias pleraſq; prodigioſas ſuperioribus cauſis, DEO ſcil. de futuris malis homines commonefacienti, & Diabolo, ejusmodi prodigiis homines in errores & ſu-

& ſuperſtitiones ducenti. Vid. & *D. Mich. Majer. in Septim. Phil. p. m. 50.*

Contrà autem Nobil. *D. Petr. Joh. Faber, in Secret. Chymic. l. 1. c. 8.* animalia, mineralia, &c. in cœlo per extraordinariam, ſtatuit, cauſam produci, cùm ſemina illarum rerum potuerint transferri ventorum aliquo turbine violento usq; in cœlum, &c.

Aliam adhuc viam inſiſtunt *P. Nic. Labeo l. 5.* Meteor. *l. 11. text. 47. & P. Gaſp. Schott. in Phyſ. curioſ. l. XI. c. ult.* Plurimi tales pluvias malunt hyperphyſicas fateri, quàm leviculis ratiunculis demonſtrandas asſumere. Nam præſtat, inquit Clarisſ. *Sperling. in Inſt. Phyſ. l. 5. c. 8.* digitum DEI agnoſcere, quàm cauſas leviores producere.

Mihi mediâ potiùs hîc incedere viâ, eoq; me brevibus expedire eſt viſum: in Meteoris omnibus ſuam esſe clasſem, numero propè inexplicabilem, prodigiorum, quæ aliàs tamen nituntur Phyſicis cauſis, aliàs ſolo pendent à DEO. Haud rarô & miſtam indolem ſortiuntur, vel ex naturali facie in Metaphyſicam transferuntur.

Jam ad *Venerem* noſtram ut revertamur: *c. 5. & 6.* eam oſtendimus, tanquam ſpeciem Meteori, ad exemplum fulminei Lapidis, non excluſis cauſis naturalibus, generatam; cùm in aëris regione ſæpè materia ſit ſufficiens, ex qua talia posſint mixta conſurgere. Quo ſtante, non *Venerem* quidem *Auream* noſtram, de qua omnis nobis hactenus ſermo, propriè ſic dictum miraculum vendito: ſed, quòd non quotannis Metallum hujusmodi atq; Minera deferantur ad nos cœlitùs, (non deficientibus licet ejus in aëre materialibus & formalibus cauſis,) nec ſe oculis noſtris in casſum hæc ſtiterit, quantum nos quidem arguimus; non negabo juxtà esſe *Portentum*, ſed non contra Naturam. Nam non fit contra Natu-

ram *Portentum*, ſed contra, quàm eſt nota Natura: *Auguſtini verbis, è l. 21. de Civ. DEI, c. 8.*

Sed num venerit boni nuncia, an ſecus, non noſtrum eſt judicare, & nôrit, qui deſcendere eam fecit. Attamen, ſi, de ea quid ſentiam, efferre Politicè liceat, judicium meum hoc eſto: feciſſe Antiquos *Venerem Marti* amicam: quô intelligi voluerunt, poſſe belli impetus omnes matrimoniô & ſolâ *Venere* cohiberi, ut quæ Pacis Signum ſit. Age, ſatis hucusq; turbarum *Mars* Romano in Imperio dedit. Fortaſſis, atq; utinam propediem faxit DEUS! almæ ſe mox *Veneri* Idem conjunget, pulcherrimam ex ea Filiam, HARMONIAM, procreaturus, quam PACEM dico. Auream PACEM! maximè cùm Imaginem *Veneris* Auream, prænunciam velut ipſius cumq; fulmine Aureo Symbolon, pluvius nobis immiſerit Jupiter.

Tempora mutantur. Nam ferrea cuprea fiunt;
Aurea quando feres *Chryſeocolla-Venus!*

MEL-

MELCHIORIS FRIBEN, M. D.
Naturæ-Curioſorum
CLEANDRI,
Ad COLLEGAS
EPISTOLA,
Sive
Brevis enumeratio
Hactenus à *SE* Actorum.

DIu ſilui, *Illuſtres & Honoratisſimi COLLEGÆ*, Silentium autem meum non fuit otium, ſed labor perpetuus. Poſtquam enim ſtudium chimicum incepi, multum me temporis legendo & meditando trivisſe confiteor, eam præprimis ob causſam, ne illotis, ut dicitur, manibus, opus philoſophicum aggrederer, aut aliquid eruditisſimo ſeculo proponerem, quod aut ſanæ rationi, aut experientiæ doctisſimorum Virorum contradiceret, aut ullum ſcrupulum movere posſet. Fuit, ut dixi, ſilentium hocce perpetuus indefesſusq; labor.

Omnia metalla, variæq; mineræ, ad hanc vel illam ſeptem metallorum ſpeciem directæ, ſub incude chimicâ fuerunt, ſaltem ut viderem, quia Autores probatisſimi aut nihil, aut obſcurè ſaltim, de materia lapidis fuerunt locuti. Quæ nullam ſpeciem metallicam agnoſcunt, ſicco pede prætereo, ceu inutilia ad rem tam arduam, referam ſaltim pauca hùc pertinentia.

Iſaac

Iſaac Sperberus in Iſagoge, requirit pro materia lapidis, terram Adamicam, rubram, dum *pag. 17.* ait: Tinctura nihil eſt aliud, quam terra rubra, vel pulvis terræ rubræ, ex aquâ, terrâ & animâ ſeu igne interno coagulatus, qui totius mundi vires ac proprietates in ſe continet. *Ruricola* major (groſſe Bauer) *in aperta arcâ*, mineram Lunæ pro verâ habet Lapidis materia. *Jacobus Böhmius*, Philoſophus Teutonicus *in Pſychologiâ* ſeu libro 40. quæſtionum, de quo *D. Joh. VValtherus*, citante *Lucerna Salis Philoſophici p. 137. & 138.* affirmat, quod in hujus Idiotæ ſcriptis omnia ſummatim reperisſet ad lapidem necesſaria; Solem & Lunam pro materiâ lapidis agnoſcit, quapropter etiam in Libro de triplici vitâ, è ſex partibus Lunæ, & unâ, ſcilicet ſeptimâ, parte Solis lapidem fieri fatetur. *P. 247. §. 14. 15. 16.* Proceſſus *Böhmii in Pſychologiâ p. 138.* habetur, quem ibi vide ſis. Obſcurus valde quidem eſt, interim apertè ex Sole & Lunâ eum esſe conficiendum, & ad crucem usq; perducendum, docet. Per crucem Nitrum intelligi, *Hermes* noſter non ſine ratione autumat. Nuper lucem viſus *Autor Particularis ex Univerſali* ad terram rubram in monte quodam Tirolienſi inventam, cum *Sperbero* collimat. Alii vero aliter de vero lapidis ſubjecto disſerunt, quos recenſere ſupervacaneum duco, nec juvat cumulum Autorum disſidentium acervare. Labor & ejus filia probatisſima nunquamq; fallax Experientia filio artis materiam veram omnium optime monſtravit. Quærite ergo, quocunq; vultis modo, filii artis eam, præeunte naturâ & forſan invenietis.

Nondum quidem pro certo affirmo me illam invenisſe, eò quod nondum adhuc veri lapidis posſesſor exiſto: interim tamen, quia *Comes Bernhardus*, & ejus asſeclæ Solem & Lunam, ut propinquisſimam materiam, prout adhuc in mineris & ignem nondum experti ſunt, ubiq; commendant, judicare posſum, me, quoad materiam, non procul à vero tramite abesſe.

Dictam

Dictam materiam ſola mihi monſtravit vitrificatio, & inde orta Colorum varietas, tàm in metallis, quàm in mineris & aliis. Prout autem materia vitrorum varia eſt, ita etiam ex unico metallo ſeu minera varii producuntur colores. Vitrum vulgare aut Venetum alium, alium item vitrum cum Nitro aut alio ſale commixtum oſtendit. *Chriſtophorus Grummel* in tractatu germanico Bluft der Natur / de Nitro & ejus colore ex parte docuit. *Sol*, uti *Illuſtrisſimus JASON II.* ſæpius mecum, ceu Collaborator in vitrificatione, expertus eſt, dat aureum & amethiſtinum, *Luna* variegatum & citrinum ſive luteum, interdum quoq; cœruleum & ſmaragdinum, *Venus* & *Marchaſita* ſapphyrinum vel cyaneum, *Mars* & *Antimonium* hyacinthinum, *Saturnus*, *Rubinus*, *Granatus*, *Corallia* & *Creta* ſmaragdinum; *Tutia* aquamarinum; *Zinkium* luteum, *Talcum Moſcowiticum* & *glacies Mariæ* album vel cryſtallinum. *Terra talcoſa Miſnica*, viridem colorem, & ſic porro. Conjunge per Nitrum Solem & Lunam & non procul aberis à colore carfunculi, granati aut rubini. Experientiâ hoc dico, & mecum omnes affirmabunt, qui Amauſa mea & lapides artificiales viderunt. Quàm egregiè Sol è nubeculâ inſtar Jaſpidis luceat, oculariter cuilibet posſem demonſtrare. Vitrificatio quoq; mihi ſola & unica præluxit, ut eò facilius è *mineris immaturis ſolaribus Sileſiacis*, quarum copiam *Dn. Sirius* mihi fecit, perfectum aurum producere potuerim, & ita antea imposſibile permutaverim in posſibile.

Affirmant Philoſophi materiam lapidis esſe lapidem & non lapidem, & quidem talem materiam, in quâ ſimul lateat *ſangvis Leonis*, & *gluten Aquilæ albæ*; mas & fœmina; ſulphur & mercurius; fixum & volatile, forma & materia, corpus & fermentum *&c.* Inveniuntur mineræ in Hungariâ, Bohe-

Bohemiâ, Sileſiâ, & aliis regionibus, è quibus ſangvinem Leonis ſive Sulphur auri, non autem gluten Aquilæ ſeu Mercurium ſimul: reperiuntur etiam è quibus Mercurium ſeu lunariam, minimè autem Sulphur ſeu ſangvinem elicere posſumus. Neutra horum ſufficit ad lapidis formationem, ſola illa tantum pro verâ habetur, in quâ ambo latent requiſita, & quæ ſub nomine Magneſiæ venit.

Hæc *benedicta terra foliata nigra* ex aurifodinis provenit, & arida eſt, hanc calcina leniter & reſplendet ut aurum; calcina igne fortisſimo & acquires terram rubram. Quod ſi ſuperfuderis huic mineræ ſpiritum ſalis aut aquam regis, nanciſceris tincturam aurei coloris, & remanebit terra ſummè alba foliata, inſtar argenti finisſimi. Præcipita tincturam auratam, mox reſidebit in fundo pulvis intenſe ruber, ſeu ſulphur, æquè ac illum ſupra citatus Autor *Particularis* ex *Univerſali*, deſcribit, aſt metalla non tingit nec ingreditur propter mercurii carentiam. Exinde liquet mineram hanc unicam esſe quoad materiam, quoad vero ejus formam intrinſecam duplicem, nimirum marem & fœminam, Sulphur & Mercurium vel Solem & Lunam esſe, quam differentiam vitrificatio & colorum diverſitas manifeſtavit.

Largietur hæc materia, ſi rectè illam tractaveris, utrumq;, Sulphur & Mercurium. Sulphur auratum obtinui inſtar cinnabaris, non per præcipitationem, ſed calcinationem ſublimatoriam, Mercurium autem vivum & verè currentem per calcinationem humidam, quæ tamen, quod probè notandum, absq; Nitro vix procedit. Liquor, addo inſuper, quem pro calcinatione humidâ, ut aquam ſolventem adhibeo, non eſt ſpiritus corroſivus; ſed oleum quoddam aurei quaſi coloris. Extrahit hoc ſine ullâ ebullitione ſenſim & ſenſim è mineris Solis & Lunæ tincturam rubram, quam aliàs Luna denegat. Interdum has tincturas miſceo, inter-

dum

dum ſolarem ſolùm ægrotantibus porrigo, & egregia eſt medicina in affectibus cerebri & cordis, utpote quæ de Sole æquè ac de Lunâ participat, & loco auri potabilis ægrotis inſervire potis eſt. Calcinatio iſta humida non denegat tincturam rubini colori æmulam, ſi illa cum ſpiritu vini extrahatur. Abſtracto iterum ſpiritu ad oleitatem ſi collocetur in loco frigido per aliquot dies, ſeparabit ſe & ſpiritui reſtanti ſupernatabit oleum rubrum in colore rubinum fermè ſuperans. Tincturæ ſublimatæ nondum conſtant vires, vitra vero aureo colore inficit.

Præſuppoſitis hiſce, terram ſupradictam eſſe veram, unicam & genuinam lapidis Philoſophici materiam, & aureum iſtum libellum *Comitis Bernhardi* & *Fratris Alberti* ſpiritum conjunctum, quem vide in *Lucernæ Salis Philoſophici Appendice p. m. 158. ſeqq.* affirmare audeo, citra tamen ullius aliter ſentientis præjudicium.

Hæc hac vice ſufficiant, impoſterum cum DEO & die plura & lucidiora. Numini interim & Lumini cœleſti maximas ago gratias pro hâc illuminatione, humillimis precibus devote rogans, ut ad ulteriorem illuminationem paternâ ſuâ gratiâ mihi adveniat, ac ſua dona in me coronet. Valete.

[*Haynâ, ad Collectores Vratislaviam.*]

VIRIS

Summè VENERANDIS

&

ILLUSTRISSIMIS

PRÆSIDI & SOCIIS

SOCIETATIS REGIÆ,

Sequentem

DISCURSUM

humillimè

offert

Author

NEHEMIAS GREW.

REVERENDISSIMO

DOMINO,

JOHANNI,

EPISCOPO

in

CHESTER.

VEniam *Tuam*, DOMINE, mihi promitto quod *Tibi Librorum optimum* in alterâ manu tenenti paginas quasdam è *Libro Naturæ* in alteram modò tradam: maximè cùm *Dominationi Tuæ* optimè conſtet, poſteriorem hunc *prioris* eſſe *commentarium* excellentiſſimum; è quo DEUS ex parte ſui ipſius Definitionem Mundo, & hujus erga ſe debitum declarat. Ac licet hæc mea Dedicatio, DOMINE, non inconveniens ſit, multò tamen magis æqua eſt: oſtendendum enim erat & *Tuæ Dominationi*, & aliis, quantopere & quam meritò extraordinarium Tuum favorem

rem æſtimem: cujus beneficio ſpeciatim *Tibi* placitum fuit meos excitare conatus, ut *obſervationes* ſequentes publico exponerem. Quædam harum, & potisſimùm eæ, quæ Caput primum ſpectant, jam ad ſeptennium ferè veterno quaſi ſepultæ jacuerunt; adhuc forſan eo detinendæ, niſi *Dominationis Tuæ* Oculus lucem iis tandem intulisſet. Quo facto inter tot alia Documenta unum edidiſti, quod & promtitudinem *Tuam* in promovendis aliorum ope Artibus & Scientiis; & ſummam *Tuam* Aptitudinem, quâ idem Ipſe effectum dare posſes, declaret: utraq; in *Dominatione Tuâ* adeò eminet, ut, ceu prima *Scientiæ Mathematicæ* principia, demonſtratione non indigeat, utpote nemini non nota, & ab omnibus concesſa.

Rei hujus conſideratio, DOMINE, non modò me facit certum, *Tuum* Favorem mihi esſe proprium: verùm etiam admodùm *Ambitioſum* ob *Patrocinium Tuum:* quod tamen exorare me vix posſe, confiteri oportet. Non, quod exiſtimem, id, quod Bonitate & Pretio

Oo valet,

valet, ſui ipſius optimum ſemper eſſe Advocatum; novi enim, judicia hominum pro ingeniis variare, atq; Ætatem unam hâc gaudere licentiâ, ut Libros illos fronte caperatâ intueatur, quibus alia nunquam minorem exhibet affectum, quàm ut eos oſculo & amplexu excipiat: Verùm eâ præſertim de ratione, ne ad minimùm adeò cupidus videar, qui ad omnia ea, quæ dixi, defendenda *Dominationem Tuam* ſollicitem: ſicut enim honori *Tibi* cedit, quod tantum evibrare ſplendorem *Tibi* non allubeſcat, à quo minima ſtella obſcuretur; ita Gloria *Tua* læderetur, ſi Nomen *Tuum* exorarem ad illuſtrandum Errata, quæ in plurium oculos incurrunt.

Dominationis Tuæ

Devinctiſſimus
&
Humillimus
Servus
Nehemias Grew.

PRÆFATIO.

Quantæ antiquitatis ſit *Anatomia Animalium*, & quanta nuperis annis ceperit incrementa, ſatis eſt cognitum. *Vegetabilium* verò *Anatomia* ſubjectum eſt, quod ab omnibus ætatibus ad hunc usq; diem non ſolùm jacuit incultum; ſed, quantum ego ſcio, exceptis quibusdam Conterraneorum noſtrorum Obſervationibus, ne quidem de eo cogitatum eſt; utrum ideo, quod mundus amore prioris magis captus, aut commiſeratione fragilitatis humanæ magis ad illam exercendam adactus fuerit, an ob alias rationes, non opus eſt, ut inquiram.

Conſiderans autem, utrumq; genus ex eadem manu primam ſumſiſſe originem, ideoq; ejusdem ſapientiæ Producta exiſtere; planè mihi inde perſvaſi, non vanum eſſe inſtitutum poſſe, licet forſan ſucceſſu nonnunquam fraudaretur, ſi excoleremus eam in utroq;.

In hoc inſtituto quousq; progreſſus fuerim, neq; ipſe judico, neq; patior, alius aliquis id faciat, cùm quousq; adhuc eundum nobis ſit, aut eundo apti ſimus, nemo perſpectum habeat. Neq; eſt quicquam, quod magis impediat aut ſuffocet augmenta ſcientiæ,

quàm determinationes hujuscemodi, ſive reverà eas ſtatuamus ſive opinemur ſaltim.

Quicquid tantiſper perfecimus, maximam partem omnium uſui & applicationi expoſitum eſt. In quibusdam ſaltim locis, uſi ſumus auxilio vitrorum, & in *tertio* præcipuè *capite:* quo jam abſoluto obſervationes quædam ab ingenioſo & doctisſimo *DN. HOOK*, dignisſimo *Societatis Regiæ* Membro, Amico meo honoratisſimo, notatæ, & ab Ipſo mihi communicatæ, ſuperadditæ ſunt: ut & ſimiliter aliæ quædam *microſcopicæ*, à me ipſo factæ, quas ut experirer, Ille mihi anſam præbuit.

Illos, quibus hæ obſervationes tàm examinatu, quàm perlectu dignæ videbuntur, monemus, *Primò*, eos debere ordiri, atq; ita procedere, donec quoq; finiant, in ſemine; ægrè enim illi vitabunt errores aut apprehenſiones contrarias, qui vel particulatim ſaltim vel præpoſterè in his disquiſitionibus procedent. *Dein*, ne ſua experimenta uni tantùm anni tempori adſtringant; ſed ut ea ſuſcipiant diverſis temporibus, in quibus *vegetabilis* alicujus partes per ſingulos ſtatus ſuos obſervari queant. Et *tandem* ne comparativam *Anatomen* negligant; ut enim quædam melius animadvertuntur in aliquo certo ſtatu, ſic & in uno *vegetabili*, præ altero.

Sicut,

Sicut, quæcunq́; obſervationibus jam factis ſuperſtruximus, ea non ſunt virgulta aut ſtramina; ita nequaquam asſeveramus esſe optima robora. Quomodocunq; etiam Asſertiones meæ videantur dogmaticæ; tyrannidem tamen irrationalem non affecto, quâ eas alicujus oculis obtrudam. Qui cum ratione loquitur, magis ſibi ſatisfecisſe videtur, ſi intellectus fuerit, quàm ſi asſenſum impetraverit.

Cl. GLISSONIUS *in Prolegomenis præfixis Libro de* Hepatis Anatomia, c. 1.

PLantæ quoq; in hunc cenſum (ſcil. Anatomicum) veniunt. Varia enim partium textura & differentiis conſtant: & procul dubio ex accurata earundem diſſectione utiles valde Obſervationes nobis exurgerent; præſtaretq; in illis (inferioris licet ordinis) rebus examinandis operam impendere, quam in tranſcribendis (ut ſæpe fit) aliorum laboribus, inutiliter ætatem transigere. Quippe, hoc pacto, ignavarum apum more, aliena duntaxat alvearia expilamus, nihilq; bono publico adjicimus.

ANATOMIÆ

VEGETABILIUM PRIMORDIA

CUM GENERALI THEORIA VEGETATIONIS,

Illi ſuperſtructâ.

CAPUT I.

De Semine, quoad vegetat.

ACturi de vegetabilibus & quousq; inſpectio cum ratione manuducent, inquiſituri in viſibilem conſtitutionem & uſum ſingularum eorum partium, eam eligimus Methodum, quæ nos feliciſſimè ad ea, quæcunq; de his dicenda ſunt, comitatur: Et hæc eſt ipſius Naturæ Methodus, in continuâ ſuâ per vegetationis opus ſerie procedens à ſemine conſito, ad formationem radicis, trunci, ramorum, foliorum, florum, fructuum, & in fine tandem omnium, ſeminis iterum ſerendi; de quibus omnibus eo ipſo ordine particulatim erimus diſſerturi. *Methodus operis propoſiti.*

Conſtitutio omnium dictarum partium eſſentialis in omnibus vegetabilibus eſt eadem: obſervationum autem fide quædam magis conveniunt, quas inprimis producemus. Et primò omnium pro Semine eligimus Fabas hortenſes majores.

Fabam itaq; diſſecando duplici veſte aut cute tectam invenimus: hæc Involucra, quamdiu Faba recens eſt, ſeparatu & diſtinctu ſunt facilia: poſtquàm verò exaruit, arctè adeò invicem cohærent, ut oculus (inſtrumento) non inſtructus *Faba hortenſis diſſecta.* *Duo Involucra ejus.*

tantum

tantùm eſſe judicet, quin Cutis ſimiliter interior (quæ texturæ eſt tenerrimæ) eo usq; contrahitur, ut videatur tantùm eſſe exterioris aſperitas, cruſtam placentularum dulciariarum, quas Maquarones dicunt, aliquatenus referens.

Foramen exterioris Involucri.

In parte Fabæ craſſiori, in exteriori cortice exiguum *foramen* ſe conſpiciendum præbet: quod diſſectum obſervavimus terminari verſus punctum illius partis, quam nos vocamus *radiculam*, & de quâ ſtatim dicemus. Ejus eſt capacitatis, ut exiguam aciculam, quali virgines utuntur, admittat, & maximè notabilis eſt in fabâ recenti ſeu viridi.

Foramen illud non tantùm obſervatur in fabis hortenſibus majoribus; ſed in reliquis etiam ſpeciebus; in Ervis maximê patet; in Piſis, Lupinis, Viciis, Lentibus & aliis leguminibus quoq; reperitur; in variis item ſeminibus huic cognationi non annumeratis, ut in ſemine *Fœnugræci*, *Medicæ Tornatæ*, *Galegæ*, & aliis: in quibusdam horum adeò exiguum eſt, ut abſq; vitri ope vix diſcernatur; & in quibusdam non videtur niſi pars quædam ſeminis viſum ejus interceptura abſcindatur: eſtq; in his & ſimilibus ſeminibus à loco, unde pedunculus abruptus eſt, perfectè diſtinctum.

Quid in genere obſervetur in Involucris Seminis.

Hinc obſervandum nobis, omnia ſemina, quibus eſt durum aut craſſum involucrum, ea ſimiliter id eodem, vel alio quodam modo perforatum exhibere. Ac congruenter, licet Cuticulæ ſeminum ejusmodi, corticibus vel nucleis incluſorum, dum ſunt teneræ, viſibiliter perforatæ non exiſtunt, ipſi tamen nuclei & cortices ſemper ſunt, uti *cap. 7.* oſtendemus: ad quod caput, quæ porrò obſervari debent quoad naturam pariter & numerum involucrorum ſeminis, referimus.

Tegumenta fabæ detracta proprium ſemen ipſum oſtendunt. Partes ipſam conſtituentes tres ſunt; ſc. Corpus elatius & duo alia ipſi annexa, quæ organicas tres fabæ partes eſſe dicimus.

Cor-

Corpus elatius non eſt pars una continua, verùm longitudinaliter ubiq; diviſum in duas dimidietates vel Lobos, qui ad Fabæ baſin invicem utriq; conjunguntur. Lobi hi in aridis Fabis difficillimè ſeparantur, obſervanturq;; ſed in junioribus, in ſpecie coctis, facilè in partes dilabuntur. *Vid. Fig. 1.* *Corpus elatius Seminis.*

Quædam ~~exilia~~ pauca admodum ſemina dividuntur non in duos, ſed in plures Lobos; ut ſemina naſturtiorum; & quædam planè non dividuntur, ſed continua ſunt, ut grana frumenti: exceptis his paucis, omnia ſemina reliqua, etiam exilisſima, non ſecus ac fabæ, in veros duos Lobos ſunt diviſa, quâ de re licet in pluribus ſeminibus per ſectionem informari nequeamus, facilè tamen aliâ ratione posſumus, ut in ſequentibus videbimus.

Baſi fabæ partes duæ reliquæ organicæ ſunt appenſæ: quibus mediantibus duo Lobi invicem conveniunt & connectuntur. Major harum extra duos Lobos ſita eſt, &, denudatâ Fabâ ſuo tegmine, immediatè videtur. Candidioris eſt coloris, & magis nitet ipſo corpore, de quo diximus, elatiori, inprimis in recentibus Fabis. In Fabâ & aliis quibusdam Seminibus aliquantum ſupra partem crasſiorem ſita eſt, ſi Fabam eo in ſitu, quô ad creſcendum diſponitur, manu tenueris. In Glandibus quercinis, Pomorum nucleis, Amygdalis, aliisq; variis ſeminibus verè juxta finem prominet: Baſis enim & extremitas in his unum ſunt & idem, in Fabis verò diverſa. *Vid. Fig. 1.* *Radicula distincta.*

Hæc pars non modò in Faba & memoratis ſuperius ſeminibus eſt; ſed etiam in omnibus reliquis: illud nempe exiſtens, quod in vegetatione ſeminis Radix plantæ fit; quod ideo nobis vocatur *radicula:* per quam intelligo Materiam radicis, demtâ hucusq; Formâ. ~~Facilis~~ Difficilis eſt obſervatu, præter-

Pp quam

quam in nonnullis, & paucis quidem ſeminibus, inter quæ *radicula* Fabæ eſt pulcerrima & maxima omnium, quas vidi; aſt quorundam aliorum ſeminum radicula major eſt proportionatè; ut in *Fœnugræco*, quod ferè craſſitiem alterius Lobi æquat.

Pluma distincta. Minor dictarum Appendicum duarum inter duos fabæ Lobos occultatur, poſt quorum ſeparationem demum videtur. Incluſa eſt Cavitatibus duabus exiguis pro eâ recipiendâ intra Lobos formatis. Color ejus accedit colori radiculæ: fundataq; eſt ſuper hujus Baſin, contrariæ plane productionis ſcilicet verſus conum Fabæ, dum reverà eſt ea ipſa pars, quæ in progreſſu evadit Corpus ſive Truncus vegetabilis. *Vid. Fig.* I.

Hanc ob partem primariò Faba in Lobos dividitur; ut nempe tepidè & tutò inter utrumq; recumbat, & ita præſervetur ab injuriis, quas tenera ejusmodi pars à mucagine pati poſſet, cui, bono, dum integrum eſt corpus elatius in germinatione Fabæ contigua, eam jacere oportebat intra Loborum latera.

Hæc pars non ſicut *radicula*, eſt unum corpus integrum, ſed in laxâ ſuâ extremitate dividitur in partes diverſas tàm benè invicem conjunctas, ut ſunt Pennæ in faſciculo; quam ob rationem nobis dicitur *pluma*. Adeo hæ ſunt connexæ, ut ab initio duæ vel tres ſaltim exteriorum in conſpectum veniant: ſed per ſeparationem accuratam & curioſam harum *Deſcripta.* interiores ſtatim prodeunt. Jam uti *pluma* eſt pars illa, quæ fit plantæ Truncus, ſic partes iſtæ ſunt tot veræ, & jam formatæ, licet non explicitæ Frondes, pro dicto trunco deſignatæ, & complicatæ in eâ ipsâ plicaturâ, in quâ poſt Fabæ germinationem poſtea apparent. In Ervo duæ exteriores ſunt admodum pulcræ & elegantes. In Faba hortenſi majori, duæ admodum exiles ſunt *plumæ*, & ſæpè, ſi non ſemper altera ſita eſt ad latus alterum majoris illius nuper deſcriptæ. Cujus,

cùm

cùm nullo alio, præter quàm ſitu à reliquis differat, tantùm hìc mentionem injicere volui. Et hæ tres partes, *corpus* ſcilicet *elatius*, *radicula*, & *pluma*, concurrunt ad unumquodq; Semen conſtituendum; neq; plures his ſunt.

Luſtratis hactenus Organicis Fabæ partibus, proximè examinemus Similares, eas nempe, ex quibus Organicæ componuntur; quarum obſervatio diſtincta pro intelligendâ clarius Seminum vegetatione & inde exſurgentis Plantæ requiritur: pro quâ obtinendâ in Anatome noſtrâ progrediamur.

Diſſecantibus itaq; Fabam, prima pars occurrit ejus Cuticula. Oculus & cogitationes primæ perſvadent, eam tantùm eſſe denſiorem & nitidiorem ſuperficiem; ſed inquiſitio accuratior demonſtrat eſſe veram Cuticulam. Tenuis eſt adeò exquiſitè, & maximam partem Corpori fabæ connectitur ita arctè, ut non poſſit, niſi in quibusdam laciniis tenuibus, diſtinctè videri; quæ, ſi cultrum tuum ſuperficialiter ſupra Fabam vehas, & tunc modeſtè admodùm id, quod diſcidiſti, ſurſum trahas, ſeparabitur & apparebit transparens. Cuticula hæc non ſolùm ſupra convexas Loborum partes extenſa eſt, verùm & in ipſarum Planities, ubi ſe invicem contingunt; extendens ſe ſimiliter ſupra *radiculam* & *plumam*, atq; ita ſupra fabam integram. *Cuticula deſcripta.*

Pars hæc, licet eatenus communis ſit cum Involucris fabæ, quod non ſecus ac illa, hæc quoq; ſit Integumentum, differentem tamen omninò notionem de eâ concipimus: nam cùm Involucra, dum ſeritur faba, tantùm ſuggerunt ſuccum, & expleto ſuo officio areſcunt, uti poſtea videbimus: hæc è contrario cum Organicis fabæ partibus nutritur, augmenta capit, & per vegetationem veram coextenditur.

Proximè à Cuticula progredimur ad ipſum *Parenchyma*; *Parenchyma* partem nempe illam, per quam totam *corpus interius* de quo mox ſumus locuturi, disſeminatur; quâ de causâ nobis dicitur

tur *Parenchyma.* Superficietenus eſt denſius aliquantò, interius verò magis poroſum, & texturæ laxioris exiſtit. Si illud per microſcopium inſpexeris, ſimilitudine aliquâ refert Medullam, dum eſt ſucculenta, Radicum vel Truncorum in plantis; & hoc optimo jure, uti *cap. 2.* videbimus; optime videtur in viridibus ſive recentibus Fabis. *Vid. Fig. 2.*

Pars hæc, ſi color ejus conſideretur, peculiaris Fabæ Lobis videretur; verûm uti Cuticula, ſic & hæc communis eſt *radiculæ* & *plumæ*; hoc eſt, Parenchyma fabæ, quoad esſentialem ſuam ſubſtantiam, eadem eſt in iſtis tribus. Ratio, cur *plumæ* color, & in ſpecie *radiculæ*, quæ candida eſt, adeo differat à colore Loborum, ex eo potisſimùm dependet, quod hi ſint magis compacti atq; denſi, & hinc eorum Tincturæ differunt. Eandemq; ob cauſam Lobi ipſi in junioribus fabis virides ſunt, in vetuſtis & aridis accedunt ad albedinem. In variis quoq; ſeminibus aliis, ut in Glandibus, Amygdalis, Nucleis pomorum, prunorum, nucum *&c.* lobi etiam recentes & juniores, æque ac ipſa *radicula*, puro colore albo ſplendent.

Licet autem Parenchyma, uti dictum eſt, omnibus partibus Organicis ſit commune; hoc tamen in differentibus plane proportionibus fit. In *plumâ*, in quâ proportionaliter minimum eſt, tres totius *plumæ* quintas circiter explet; in *radicula*, quinq; totius *radiculæ* ſeptimas æquat; & in utroq; Lobo eousq; proportionem tranſcendit, ut ad minimum novem decimas totius lobi conſtituat.

Superius ubi dictum eſt, Parenchyma non esſe partem ſolummodo conſtitutivam, præter Cuticulam, intimatum eſt; esſe inibi aliud corpus differentis esſentialiter ſubſtantiæ inſinuatum: non in *radiculâ* & *plumâ* tantum, ſed in ipſis quoq; Lobis, adeoq; in Fabâ totâ reperibile. *Vid. Fig. 2.*

Corpus Interius quomo- Hoc Corpus internum planum admodum fit & conſpicuum, ſi *radicula* ſcindatur transverſim, procedendo ita per gradus

gradus *plumam* verſus, per quarum utramq; in Truncum egregium & rectum decurrit. In Lobis proportio ejus admodum tenuis exiſtit, unde difficulter quoq; diſcernitur, quoad Virgas in ſpecie: ſed ſi cultro acuto leniter fabæ lobos transverſim disſecueris variæ Maculæ exiles, colorem à Parenchymate diverſum oſtendentes, inq; Lineâ per totam longitudinem latæ obſervabuntur: quæ ſunt Ramorum Corporis hujus intrinſeci extremitates. *Vid. Fig. 3.* *do obſerventur.*

Intrinſecum hoc corpus quemadmodum in quacunq; Organicâ fabæ parte exiſtit, ita ad ſingulas reſpectivè admodùm regulariter diſtribuitur. In bonâ *radiculæ* parte Truncus eſt integer; verſus Baſin in tres magnos Ramos dividitur; medius rectâ in *plumam* incurrit; poſteriores duo ad utrumq; latus parvo abhinc ſpatio in lobos abeunt: ubi Rami dicti in alios minores dividuntur, & hi rurſus in plures & teneriores, ac verſus Loborum Virgas *(forte, margines)* utrinq; terminantur; qua ratione diſtributum Corpus dictum interius in utroq; lobo Radix fit vera & perfecta. *Vid. Fig. 2.* *Deſcriptum.*

Radix hæc Seminalis, uti eam nunc vocabimus, tenera adeò non poteſt excarnari, ſive ſeparari perfectè, ut posſunt Vaſa partium in Animalibus, licet vel accuratisſima adhibeatur manus: verùm disſectione, modo ſuperius declarato, cœptâ & continuatâ tota ejus compages & diſtributio obſervatu eſt facilis. Si item à Lobo fabæ longitudinaliter Parenchyma ejus gradatim & per tenuisſimas lamellas detraxeris, varii Radicis ſeminalis Rami (qui alterâ disſecandi methodo Maculis tantùm notantur ſive punctis) tàm pauciores iſti circa Baſin fabæ, quàm numeroſiores verſus Virgas ejus, diſtincti ſatis & integri apparebunt. Huic fini novæ deſtinandæ ſunt Fabæ.

Sicut Corpus internum ramificatur in Lobis, ita & in *pluma*: nam ſi transverſim ſecetur *pluma*, & à Baſi per longitu-

dinem corporis ejus procedatur, invenies in ea primò Truncum vel Ramum grandiorem, poſt circumcirca Puncta quatuor vel quinq; verè exigua, quæ ſunt extremitates tot minorum ramorum unà cum iis in ſingulas *plumæ* partes diſtributæ. *Vid. Fig. 4.* Diſtributio corporis hujus interioris, prout per cunctas fabæ partes organicas continuatur, exhibetur *Fig. 2.*

Corpus idem internum, disſecando Fabas & Lupinos majores, optimè obſervabile eſt: in aliis Leguminibus grandioribus nonnullas etiam, licet obſcuras, ſui notas oſtendit: ſed in aliis nullis ſeminibus, in quibus obſervationes inſtitui, quamvis maximis, e. g. Pomorum, Prunorum, Nucum *&c.* poſt disſectionem clarè conſpicitur, niſi in *radicula* & *pluma*; ratio hujus partim dependet ab ejus quantitate, quæ in pluribus ſeminibus tantopere parva deprehenditur; partim à colore, qui in pluribus ſeminibus cum *parenchymatis* colore coincidit, adeoq; ab eo diſcerni nequit.

In ſemine tamen *cucurbitæ* tota *radix ſeminalis* non quoad Ramos ſaltim magnos, verùm & quoad Subdiviſiones & Anaſtomoſes (inoſculationes) minorum, ſine ulla disſectione, ſolâ Loborum ab invicem ſeparatione per ipſorum Planitiem immediatè apparent. *Vid. Fig. 5.* Ac quicquid quoad Seminalis hujus Radicis exiſtentiam ſectio expiſcari nequit, in aliis centum ſeminibus etiam exilisſimis oculari inſpectione demonſtrari poteſt; quomodo id fieri queat, capite hoc declarabitur.

Notemus intereà, nos, dum dicimus unamquamq; Plantam ſuam habere Radicem, ſtrictè id dicere. Quælibet enim planta duas revera Radices licet non contemporaneas, ſed ſuccesſivas obtinet; *radicem* nempe originalem vel *ſeminalem* in ſuo ſemine, & *Plantæ-radicem* quæ in germinatione fit *radicula*: *Parenchyma* ſeminis in quadam ſimilitudine primò in

reſpe-

reſpectu ad *radicem ſeminalem* idem eſt, quod poſtea Matrix eſt ad *Plantæ-radicem*; & *radix ſeminalis* reſpectivê ad *Plantæ-radicem* idem, quod *Plantæ-radix* eſt ad *truncum*. Pro cujus intellectu meliori, dum ſingulas Fabæ partes, quousq; diſſectio nos ducit, examinavimus; breviter proxime in uſum Partium dictarum inquiremus, quâ ratione illæ Fons vegetationis exiſtant, & ad futuræ plantæ productionem concurrant.

Germinationis *fabæ* aut alterius cujusdam ſeminis cauſa generalis eſt *fermentatio*; h. e. *fabâ* in terræ gremio ſitâ, accedente aliquali humiditate, diſſimilari partim, partim affini, lenis fermentatio inde oritur; cujus ope intumeſcit *faba*, *ſuccus* ſemper augetur, & *faba* intumeſcere continuò pergit, eousq; opus procedit; quæ communis eſt explicandi ratio. Verum nudam ibi eſſe *fermentationem*, eamq; pro ſuppeditando *ſucco* ſufficientem, haud ſufficit; ſed ut ea *fermentatio*, & *ſuccus* in illâ productus, diverſarum partium ei inſervientium multiplici ſubjiciatur imperio, requiritur; & hoc quidem æqualis eſt neceſſitatis cum varia *alimenti animalium* præparatione; proceſſum particularem hujus operis & ejus cum illa convenientiam neminem declarare tentaſſe invenimus.

Involucra quomodo communiter inſerviant Vegetationi Seminis.

Inſpiciamus itaq; *fabam*, tanquam partem operis ita formatam & compoſitam, ut apta ſit inſtituto productionis plantæ, quæ in convenienti Solo poſita hinc proceſſit declarando. Primò omnium, dum *faba* circumcirca ſuis pelliculis involvitur, *ſucco* quo nutriri debet per has neceſſariò eſt tranſeundum: hâc ratione non tantum in quantitate proportionata & per decentes gradus; verùm etiam purior, & forſan non ſine quadam Tinctura Vegetabili ad *fabam* tranſmittitur. Cùm, ſi nuda foret *faba*, *ſuccus* neceſſariò ut nimium ſuperfluus, ſic & crudus immaturusq;, tanquam per egregium adeo quaſi goſſypium, uti ſunt Pelliculæ, non filtratus, eſſet. Ac quemadmodum uſum *filtri* pro *ſucco* tranſeunte obtinent; ſic & va-

& vaſis vicem gerunt, ratione ejus, qui jam in iis depoſitus eſt: eodem modo pro *fermentatione* ſecuriori conformatæ, ac ſunt ampullæ aut cadi reſpectu cereviſiæ, aut alterius cujusdam *liquoris fermentativi.*

Foramen cui uſui inſerviat. Et quemadmodum *fermentatio* per aliquam vaſis aperturam promovetur; ita in ſuperiori Cortice *foramen* quoq; conformatum videmus; ut, ſi opus ſit plurium quarundam particularum aërearum pro excitanda *fermentatione* per hoc ipſis pateat aditus: aut è contrario, ſi inibi continerentur quædam tales particulæ vel halitus, quæ genuinum (fermentationis) progresſum ſuffocare posſent, per hoc iterùm facilem ſortiantur exitum: eſtq; hoc communis velut *ſucci* porta, idemq;, quod eſt reſpectu noviter in vaſa illatæ cereviſiæ illud, quod vocamus Spiraculum cadi. *Foramen* illud verè quoq; permeabile esſe in *fabis* vetuſtis ſativis, apparet, ſi hæ ad tempus quoddam macerentur in aqua: exemtis enim illis poſt, & aliquatenus presſis, multæ Bullæ exiguæ ex eo per vices ſurgunt & erumpunt.

Uſus Involucri interioris, & Cuticulæ. Succus poſtquam Pelliculas penetravit, proximè Corpus fabæ ſubintrat; non tamen ſine diſcrimine: verùm per *pelliculam exteriorem* filtratus, & in *interioris* tàm corpore quàm concavitate fermentatus mediante Cuticulâ rurſus, ut purior evadat, filtratur, & ita *parenchyma* pro quartâ digeſtione ingreditur.

Parenchymatis uſus. Per quam partem penetrans *ſuccus* verſus *radicem ſeminalem*, tanquam per eam, quæ eſt ſpatioſioris molis; præter ulterioris percolationis beneficium, ſatis quoq; ſpatii ibi invenit pro liberâ magis & activâ fermentatione & maturatione. Quod Parenchyma dum præterea ⌉ ipſius *fabæ* corporis pars, & propriis ejus Seminalitatibus aut Tincturis ſufficienter repletum eſt: *ſuccus* ibi non ſaltim ſpatii, ſed materiæ etiam ſatis invenit, cujus ab energia *fermentatio* ejus hucusq; magis promovetur.

genuini ⌉ (handwritten marginal note)

Succus

Succus item debitè hìc præparatus ſtatim abhinc in omnes *Radicis ſeminalis* ramos, adeoq; in digeſtionem quintam tranſit. Ubi quàm delicatus evadat, ex proportione inter *Parenchyma* & *Radicem ſeminalem* colligere posſumus: tantum enim optimè digeſti ſaltim *Succi* à toto Trunco in hanc dimittitur, quanto hæc eſt recipiendo. Atq; cùm præterea hæc, uti *Parenchyma*, propriis ſuis Seminalitatibus dotata ſit: *Succus* pro complenda *Radicula*, & hinc Radice recenti, ibi decenter præparatur, tincturâq; ſuâ potisſimâ & imprægnatione ultimò ditatur. *Uſus Radicis Seminalis.*

Succus huc usq; præparatus in *Fabæ* lobos inde dimittitur; atq; vel in *Plumam* vel in *Radiculam* illicò emanat. Et quoniam *Pluma* dependet à *Radiculâ*; *Succum* priùs in hanc diſpenſari oportet; quæ congruenter quoq; ſemper obſervatur priùs ſurculos emiſisſe, quàm *Pluma*, eosq; nonnunquam pollicis unius vel duorum longitudine. Jam quia, ut *Succus* primò in *Radiculam* influat, requiritur; ideo in partium *Fabæ* formatione hæc necesſario apta nata eſt. Obſervandum enim eſt, quod magni duo *ſeminalis Radicis* rami, quorum ramificationes quævis in Loborum alterutro uniuntur, non committantur inter ſe intra *Truncum ſeminalem Plumæ*, neq; ita, ut cum eo angulos rectos conſtituant, & æqualem ad utramq; reſpectum obtineant; ſed per *Parenchymatis Radiculæ* partem producti deniq; in hâc uniantur in Truncum amplum, & cum eâ angulos acutos forment; uti videri poteſt *Fig. 2*. *Quomodo Radicula primò fiat Radix.*

Jam *Succus* eousq;, quo in alterutro Lobo fertur *Radix ſeminalis*, delatus, & ſecundum ejus ductum motum usq; continuans, necesſariò immediatè, in eam partem, in quam rami ipſi abeunt, effluit, hoc eſt, in *Radiculam*.

Quo *Succo*, tincturas ſingulas partium dictarum afferente nunc nutrita illa, non amplius eſt *Radicula* mera, ſed facta eſt *ſeminalis*, & ita Radix perfecta evadit.

Quomodo poſt Radicem Pluma vegetetur.

Radiculâ ita imprægnatâ & in Radicem excreſcente, tempus eſt, ut & *Pluma* prorumpat è ſuis clauſtris, & quoq; germinet: quod ut fiat, jam à Radice laudabili & ſufficienti alimento ſuſtentatur. Nam ut repletio & motus *Succi* primò à Lobis verſus Radicem dirigebatur, ſic Radice intrà terram optimè defixâ, & nunc ab eâ novum & copioſiorem *Succum* nactâ, motus ejus neceſſariò jam fit vehementior, & per gradus revertitur *Succus* primitivus in contrarium curſum promotus, à *Radice* puta verſus *Plumam*, ac per continuationem *Trunci ſeminalis* directè eò ducitur; quò nutrita *Pluma* gradatim increſcit & ſeipſam explicat.

Quomodo Lobi.

Curſus ita redeuntis Succi, inquam, in lineâ rectâ à *Radice* in *Plumam* fertur, collateraliter verò quoq; in Lobos; per illos ſcilicet duos prædictos ramos, qui obliquè à *Radiculâ* in utrumq; Lobum transmittuntur. Per quos ramos *Succus* dictus in *ſeminalem Radicem* expenſus, & inde ſimiliter in Loborum *Parenchyma*, nutrit utrumq;, & hinc ipſi Lobi ad tempus quoddam aucti reverà creſcunt; ut evidens eſt in *Lupinis*.

Non tamen hoc omnibus Seminibus eſt commune; quædam ſub terrâ putreſcunt, ut grana *Secalis*; quæ ſunt laxioris & minus oleoſæ ſubſtantiæ, in eo ab aliis plurimis ſeminibus diverſa; ſimulq; non dividuntur in Lobos, ſed unum corpus integrum ~~ſolidum~~ exiſtunt. Et quædam, licet firma perſiſtant, non tamen excreſcunt, ut *Faba hortenſis* major; in quibus propterea obſervatur, magnos duos ramos Loborum, ſi comparentur cum eo, qui in *Plumam* inſeritur, eſſe ſaltim tenues, & inſufficientes pro ſuſtentandis & vegetandis Lobis; *Pluma* è contrario adeò egregiè creſcit, ut extra illos in altum exſurgat.

Exceptis harum duarum ſpecierum quibusdam paucis, omnia alia Semina (quæ ego quidem obſervavi) præter hoc,

quod firma perſiſtant, in *Plumæ* Vegetatione quoq; ſurſum excreſcunt, & unâ cum hac ſuper terram prorumpunt; ut in Seminibus omnibus, quæ cum Foliis disſimilaribus efflore-ſcunt, duo (ut plurimùm tot ſunt) Folia disſimilaria, ſint veri Seminis Lobi diviſi, expanſi, & eousq; aucti.

Quo minus hæc apprehendamus, impedimento ſunt Color, Moles & Figura Foliorum disſimilarium. Quibus tamen non obſtantibus hæc nihil aliud, quàm Seminis partem crasſam esſe, primò cogitavi, dein ſequenti modo cognovi: Primò in genere obſervavi, disſimilaria Folia nusquam inciſa, ſed undiquaq; æqualia (levi limbo circumſcripta) esſe: vidensq; Virgas (margines) Loborum Seminis æquales his reſpondere, illas, quæ adeo ſunt ſimiles, hoc probare ipſum putavi. Hinc ad particularia Semina deſcendens, primò in *Lupinis* obſervavi: horum ſemen, dum ê terrâ excrevit, colorem ſuum ſemper mutare in perfectè viridem. Et cur hoc ipſum pari ratione de aliis Seminibus non inferatur? Deinde, quoad magnitudinem, in crasſitiem aliquantò majorem, quàm quæ ipſi eſt, dum primò ſeritur, excreſcere. Unde, cum (augmentatione exiſtente verè exiguâ) diſcernerem, nihil aliud præter duos Lobos hìc haberi: ſic (ubi quædam aderat augmentatio) ſimiliter fieri, & quidem in gradibus potioribus in aliis Seminibus, inferebam.

Quid hi faciant, demonſtratur.

Deinde in Semine *Cucumerum:* hoc, quoad ſuum colorem, principio ſuper terram ſæpe album apparere, ex albo tranſire in flavum, à flavo in viridem, proprium Foliorum colorem: quoad magnitudinem, licet Lobi, cùm primò excreſcit, aliquantò ſint crasſiores, quàm ſunt, ubi ſeritur; cum tamen hi poſtmodum colorem ſuum mutant, mutare quoq; dimenſiones ſuas, triplici, quadruplici, quintuplici amplitudine primitivam ſuam molem excedentes. Verùm cum Lobi Seminis proportionaliter ſint arcti, breves & crasſi,

unde Folia diſſimilaria adeò in latitudine, longitudine & tenuitate excedunt? Quæſtio hæc ipſam ſe decidit: Folia enim diſſimilaria hanc ob rationem ſunt tenuia, quia adeò lata ſunt & longa: uti videmus res multas, quò magis in longitudinem vel latitudinem extenduntur, eò plus de profunditate amittere, tenuioresq; evadere; id quod hìc Lobis in Folia expanſis accidit. Ex quo enim ſemel è captivitate pellicularum ſuarum ſoluta ſunt, & Succi in iis contenti curſus magis magisq; auctus, neceſſariò augmenta notabilia capiunt; & ratione ramificationis, quam *Radix Seminalis* in iis obtinet, amplificatio iſta fieri nequit in craſſitie, ſed in longitudine & latitudine: in quarum utrâq; incrementa quorundam Foliorum diſſimilarium admodùm ſunt notabilia; in ſpecie in longitudine, ut in *Lactucæ Foliis, Cynosbato,* aliisq; quorum Semina licet ſint verè exigua, Lobi tamen eorum in diſſimilaria Folia expanſi pollicis & nonnunquam majorem longitudinem nanciſcuntur; quamvis, qui Lobos *Cynosbati* & aliorum quorundam per diſſectionem exactè cognoſcere vult; opus etſi non facile, obtentu tamen poſſibile reperiet. Ex quibus omnibus, & aliorum Seminum obſervatione, tandem inveni, Folia Plantæ recentis diſſimilaria nihil aliud eſſe quàm Lobos aut *Corpus craſſum* Seminis: ita, ut, quemadmodùm Lobi primò *Radiculam* nutrivère & imprægnavère, ut fieret *Radix perfecta*; *Radix* ita perfecta viciſſim nutriat & per gradus amplificet utrumq; Lobum in perfectum Folium.

Quomodo Lobi hinc abeant in Folia diſſimilaria.

Quid hinc reſolvi queat.

Origine Foliorum diſſimilarium ita cognitâ, intelligimus, cur quædam Plantæ iis careant? Quia nempe Semen vel non excreſcit, ut *Fabæ hortenſes, Frumentum* &c. Aut in ipſa germinatione Lobi parùm alterantur, ut *Lupini, Piſa* &c. Cur, licet Folia propria & genuina ſæpè circumcirca inciſuras habeant, diſſimilaria tamen, æq; ac Lobi, æquali limbo gaudeant? Cur, licet Folia propria ſæpe ſint villoſa, diſſimilaria

ria tamen ſemper ſint levia? Cur quædam Plantæ plura duobus Folia diſſimilaria obtineant, uti *Naſturtia*, quæ habent ſex, quod Ingenioſus *Dn. Scharrok* quoq; notat? Cujus rei cauſa eſt, quod *Corpus craſſum* Seminis, non in duos, ſed ſex Lobos diſtinctos dividatur, ut ſæpe numeravi. Cur *Raphani* primò videantur habere quatuor, quæ tamen poſt planè duo apparent? Quia Lobi Seminis utriq; levem habent inciſuram, & utriq; unus ſuper alterum ſunt plicati. Quibus addere poſſemus,

Uſum Foliorum diſſimilarium eſſe, primò protectionem *Plumæ*, quæ recens & ſubtilis adeò teneraq; his, tanquam duplici tegmine ad utrumq; latus munita eſt. Hanc ob cauſam *Pluma* Frumenti vaginâ membranaceâ ſuccingitur; & *Pluma* Fabæ pari Superfoliorum concluditur; ubi autem Lobi progerminant, *Pluma* utroq; caret, neutro enim indiget. **Uſus Foliorum diſſimilarium.**

Hinc quoniam *Pluma* adhuc tenera injurias pati poſſet non ab Aëre ſolùm, ſed ob defectum quoq; Succi ſegniter & parcè à Radice ſuppeditati: *Pluma* illa ideò diſſimilarium Foliorum ope beneficium hoc nanciſcitur, ut etiam à rore aut pluviâ reficiatur. Hæc enim dum baſin ſuam paulo infra *Plumæ* baſin habent, & ſeipſa ad omnia ejus latera expandunt, ſæpe ſtant poſt pluviam, quaſi labrum aquæ, continuò macerantes & emollientes *Plumam*, ne in recenti ſuâ in Aërem irruptione marceſcat.

Porro quoniam Folia diſſimilaria per baſin ſuam intercipiunt *Radicem* & *Plumam*, major & craſſior Succi portio hac via deponitur in iſtam; & puriſſima in teneram adhuc & delicatam *Plumam*, velut aptiſſimum ejus Alimentum, procedit.

Tandem, hic habemus demonſtrationem [existentiæ] *Radicis ſeminalis*, quidnam hæc ſit; quæ dum ob colorem & exiguitatem Seminis per diſſectionem, niſi in paucis quibusdam obſervari non poterat; Natura nobis hic viam procuravit videndi

eam in Lobis noviter in Folia expanſis, non in uno tantùm, aut duobus, ſed vel in centum Seminibus; dùm *Radix ſeminalis* viſibiliter ramos ſuos verſus conum & virgas Loborum dictorum, aut jam Foliorum disſimilarium dispertitur.

Caput II.
De Radice.

EXaminatis & evolutis *Vegetationis* in *Semine* gradibus, reperimus, ejus Lobos duos hìc ultimam figere periodum, atq; dum illi ſuas Seminalitates in *Radiculam* & *Plumam* tranſtulerunt, has velut Radicem & Truncum Plantæ, jam ſupervivere: de his in ſuo ordine proximè disſerere pergimus; & primò, de *Radice*: de quâ, æquè ac de *Semine*, per disſectionem informabimur.

ri (Senis) 7 Disſecantes itaq; *Radicem* invenimus eam cum *Radiculâ*, ut partes cum partibus *fœtus*, ſubſtantialiter unam, eandemq; esſe. Prima partium occurrit Cutis ſeu Cortex, cujus origo eſt à Semine: extremè enim Cuticula ſuper Lobos Seminis & hinc ſuper *Radiculam* expanſa cum *Radiculâ* in Radicem germinante coëxtenditur, & ejus Cutis evadit.

Cutis Radicis, ejusq; Origo. (ms.: ...is illa #)

Subſtantia Corticalis, ejus Origo.

Proxima hinc eſt *Subſtantia Corticalis*, cujus origo itidem eſt à Semine: *Parenchyma* nempe, quod ibi commune eſt tam Lobis quàm *Radiculæ*, per vegetationem auctum & prolongatum in *Radicem*, *corticalis* fit *Subſtantia*, aut illud, quod nonnunquam dicitur *Liber*.

Deſcriptio ejus.

Textura hujus *Subſtantiæ corticalis* optimè illuſtratur per *ſpongiam*, eſtq; corpus poroſum, extenſibile, & plicabile. Pori ejus, ut ſunt innumerabiles, ſic extremè ſunt exigui. Hi Pori non modò ſuſcipiunt tantum humiditatis, quantum iis explendis ſit, ſed ut inde quoq; amplientur, & ita dilatetur

Sub-

Subſtantia Corticalis, in qua hi ſunt; quod in marceſcente, quando aëri exponitur, videre eſt. In quâ dilatatione quædam ejus partium laxæ magis fiunt & diſtantes ab invicem, nulla verò earum continui ſolutionem patitur; hinc Corpus ſufficienter adeô plicabile fit; aut exquiſitisſimâ cum elegantiâ elaborata ſpongia.

Extenſio Pororum horum tam quoad longitudinem, quàm quoad latitudinem reſpondet Radici, quod à contractione *Corticalis Subſtantiæ* in parte Radicis disſectæ per ~~æquales~~ easdem dimenſiones arguitur. *Pori ejus.*

Proportiones *Subſtantiæ Corticalis* variant: ſi eſt tenuis, dicitur *Liber*, & nulli alii fini inſervire putatur, quàm ei, qui uſitatê ipſi adſcribitur, tanquam *Libro*; ſenſu ~~tamen nimis~~ ſtricto: ſi eſt Corpus ~~craſſum~~ ventroſum comparativè ad illud, quod intra ipſum continetur, ut in Radicibus junioribus *Cichorii, Aſparagi* &c. tunc, quoniam eſt pulcerrima, ideo creditur pars principalis eſſe; licet quoad uſum Medicum; non tamen quoad uſum Plantæ privatum. Color ejus, quamvis ab initio albus, creſcente tamen Radice varias Tincturas, ut flavam in *Lapatho*, rubram in *Biſtortâ*, induit. *Proportiones.*

Intra hanc Subſtantiam mox detinetur *Corpus Lignoſum*; cujus origo, æquè ac priorum duorum, eſt à Semine; hoc eſt, *Radix Seminalis* lobi utriusq; unita in *Radiculâ*, & cum ſuo *Parenchymate* coëxtenſa in Radice eſt *Corpus Lignoſum*. *Corpus Lignoſum ejusq; Origo.*

Textura ejus in quibusdam partibus eſt compactior quàm *Subſtantiæ Corticalis*; & Pori admodum differunt. Nam prout *Corticali* in *Subſtantia* ſunt innumeri, non ita tamen ſunt comparative in Lignoſo Corpore; ſed hi, utut ſint pauciores, ſunt tamen plures ex iis magis aperti, elegantes, & viſibiles: ut in tenuisſimo taleolo per transverſum Radicis recentis in Arbore ſecto, ſi verſus lucem teneatur, apparet. Non tamen in omnibus æqualiter; in *Coran-Tree*, *Grosſulariâ* &c. minus; in *Deſcriptum per Poros ſuos.*

Ribeſium.

vide Prologuium hujus Appendtcis lit. Aa 3.

Quer-

Quercu, *Prunis*, in ſpecie *Damaſcenis* magis: in *Sambuco*, *Vite* &c. magis ſunt conſpicui. Et quemadmodum differunt in numero & magnitudine, ſic & (unde quoq; numeroſitas Pororum Subſtantiæ Corticalis præcipuè dependet) in figurâ ſuâ. Nam ſicut Pori Corticalis Subſtantiæ æqualiter admodùm extenduntur tam per longitudinem, quàm latitudinem *Radicis*; ſic Pori *Corporis Lignoſi* tantùm per longitudinem, quod præcipuè in *Vitium* & aliis Radicibus evidens eſt. Quoad hos Poros obſervatur quoq;, quod, quamvis in omni *Radicis* loco ſint viſibiles, ſint tamen maximè elegantes & aperti ſupra *extremitates* quarundam *Radicum fibroſas* (& in quibusdam *Radicibus* altiùs) ubi non eſt Medulla. Hos Poros, uti deprehenduntur in junioribus Arborum Radicibus, *vid. Fig. 6. & 7.*

Corpus Lignoſum cum omnibus ſuis partibus, quousq; videri queunt, in circulo vel orbe poſitum eſt: ſunt tamen ibi variæ fibræ valde ſubtiles hinc emisſæ cum *Subſtantiâ Corticali*, miſceri ſolitæ; fibræ iſtæ ex colore nonnihil diverſo à dictâ *Corticali Subſtantiâ*, in quâ hærent, dignoſci queunt; Corticalis Subſtantia & Cutis unà propriè formant *Librum*.

Proportiones ejus. Proportio inter hanc *Subſtantiam Lignoſam* & *Corticalem* variat, ut dictum fuit: hoc tamen eſt perpetuum, ſcilicet quod in fibroſis & tenuioribus *Radicis* partibus *Lignoſum Corpus* non in ambitu ſolùm, ſed & in quantitate ſit minus; reliqua illud circumdantia inſtar teneræ aciculæ aut nervi perreptans. Hæc duo corpora conjuncta ſtant pyramidaliter, quod maximè *Radicibus junioribus*, ſed & aliis quoq; quibusdam eſt commune.

Inſertimentum, ejusq; Origo. Proxima pars quæ in Radice obſervatur, eſt *Inſertimentum*. Exiſtentia ejus, quousq; hactenus Obſervationes noſtræ ſe extendunt, nonnunquam in *Radiculâ* Seminis ipsâ invenitur; quod enim ſemper fiat, affirmare nequeo. Quod naturam Subſtantiæ ejus concernit, plus certitudinis habemus, eſſe

can-

eandem cum *Parenchymatis Radiculæ* Subſtantiâ; dum ſemper ultimò augetur, & partim à Corticali Subſtantiâ, partim & mediatè, quaſi à dictô *Parenchymate* oritur: In diſſectione *Radicis* enim invenimus, quod *Corticalis Subſtantia* non tantùm cingat *Lignoſam*, ſed etiam ~~fiſſa~~ ſit, & diverſis partibus in illam inſeratur: & quod dictæ partes inſertæ non faciant nudam ſinuationem, ſed planè usq; ad Medullam transmittantur & evibrentur; quod in exiguô per transverſum ſectæ *Radicis* taleolô, in tot lineis à circumferentiâ ad centrum decurrentibus, ſuâ ſponte claret. *Vid. Fig. 6. & 7.* *Corticalis Subſtantia cingit Lignoſam, & fiſſa eſt, inſeriturq; in illam.* cunea

Pori *Inſertionis* nonnunquam ad minimum per latitudinem *Radicis* aliqualiter extenduntur, ut in *Radicis Borraginis* apice (extremitate) videre eſt; & in hoc differunt à Poris *Subſtantiæ Corticalis*, qui per longitudinem pariter & latitudinem extenduntur; & à Poris *Lignoſi Corporis*, qui tantùm per longitudinem decurrunt. *Pori Inſertionis differunt à Poris Subſtantiæ Corticalis, & à Poris Lignoſi Corporis.* magi

Numerus & magnitudo Inſertionum harum variant: in *Spinâ albâ*, aliisq; nonnullis, ſpeciatìm in *Salicibus* extremè ſunt tenues; in *Ceraſis* & *Prunis* ſunt magnæ, inq; *Damaſcenis* præcipuè, admodum egregiè apparent. In *Radicibus Plantarum* minorum communiter facilius deteguntur; quod nos ad obſervationem earum in omnibus deducere poteſt. *Numerus & Magnitudo Inſertionum*

Inſertiones hæ, quamvis per longitudinem æquè & latitudinem *Radicis* continuent curſum; id tamen non in omnibus partibus ita fit, ſed per diverſos *Corporis Lignoſi Radios* multotiès intercipiuntur. Nam de *Corpore Lignoſô* (optimè hic) notatur, ſingulos ejus Radios inter quos *Subſtantia Corticalis* inſeritur, non per totam Radicem totaliter eſſe diſcretos; ſed totâ viâ arcuatos, *Lignoſum Corpus* tam per longitudinem, quàm per latitudinem hinc ad amplexus & inoſculationes diſponere. Inter hos ſingulos *Lignoſi Corporis Radios* ita connexos *Inſertiones per diverſos Corporis Lignoſi Radios multoties intercipiuntur.*

(inoſculatos) Corticales Radii itidem ſemet oſculando, * alter alteri reſpondet, ut hinc illud, quod *Inſertimentum* dicimus, formetur.

Inſertimentum quid.

Inoſculationes quomodo fiunt.

Inoſculationes hæ ita fiunt, ut Poris *Corporis Lignoſi*, ceu mihi videtur, non obſtantibus, rarò una in alteram decurrat; ſed maximam partem, quævis diſtinctè feratur; eo ipſo modo, quo nonnulli nervorum, licet occurrant & ſibi invicem per ſpatium quoddam ſocientur, probabile tamen admodum eſt, nullas eorum Fibras verè hic inoſculari, ſed tantùm in Plexibus.

Inoſculationes hæ *Corporis Lignoſi*, interceptiones item inſertionum *Corticalis*, non obſervantur ſecta *Radice* transverſim, ſed remotô *Librô*, ſive *Subſtantiâ Corticali*. In Arborum Radicibus communiter ſunt obſcuræ; in plantarum verò Radicibus ſæpe magis diſtinctè apparent, ſpeciatìm in *Rapâ*: facies ejus, *Corticali Subſtantiâ* detractâ, apparet velut Reticuli arctè connexi, expleta dictæ *Subſtantiæ Corticalis* inſertionibus. *Vid. Fig. 8.*

Medulla; ejus origo nonnunquam à ſemine;

Proxima & ultima Pars ~~Radicalis~~ Radicis, diſtincta eſt *Medulla*. Subſtantialis ejus Natura, eâdem, uti de *Inſertimento* dictum, naturâ gaudet cum Subſtantia *Parenchymatis* in Semine. Et ſecundùm optimam Obſervationem, quam habuimus hactenus, nonnunquam in ejus *Radiculâ* exiſtit; in quâ duo Rami majores Loborum concurrunt, invicemq; combinati in unum Truncum rotundum coaleſcunt, & ita tanquam pars *Parenchyma* cingens, inde *Medullam* efficiunt, uti vel in *Radiculâ*, vel in *Radice* juniori *Fabæ* majoris, aut *Lupini*, meo judicio, egregiè videri poteſt.

nonnunquam à corticali ſubſtantia.

Nonnunquam tamen Origo ejus immediatè à *Corticali Subſtantiâ* provenit. In diſſectione enim variarum *Radicum*, Arborum & Plantarum, e. g. *Berberum* vel *Malvarum*, obſervatur

[* *Anſwerably brace for brace.*]

tur *Subſtantiam Corticalem* & *Medullam* de eôdem Colore participare ; in illis utramq; de Flavô ; in his de Viridi. In ſectione itêm partium teneriorum radicum quarundam plantarum, ut *Borraginis, Malvæ, Petroſelini, Aquilegiæ &c.* evidens quoq; eſt, *Lignoſum Corpus* in iis non minimam cavitatem obtinere, ſed in centro perfectè poſitum esſe ; & inſertionibus poſtea per gradus multiplicatis medullam per longitudinem verſus partes Radicis crasſiores, ſemet oſtendere & ampliare. Unde apparet, quod in talibus *Radicibus* omnibus *Medulla* non tantùm eandem ſubſtantiæ naturam obtineat, & per inſertiones communicet cum *Subſtantiâ Corticali*; & quod illa magis minùsve per hanc augmentetur ; quod de omnium Radicum *Medullâ* verum eſt ; verùm quod etiam Inſertionibus dictis mediantibus planè originem inde trahat. Quam variæ ſint Figuræ Inſertionum & Medullæ, à fibroſis partibus ad Summitatem uſq; Radicis, *vid. in Fig. 9. 10. 11. 12. 13. 14.* Pori *Corporis Lignoſi* integri in memoratis partibus fibroſis optimè videntur, ubi poſt ſectionem per noctem exaruêre.

Variatio Figurarum Inſertionum & Medullæ.

Evidentiùs hoc fit ex proportione *Corticalis Subſtantiæ* & *Medullæ*. Nam ſicut circa inferiores *Radicis* partes, ubi *Medulla* eſt exigua, *Subſtantia Corticalis* proportionatè magna eſt ; ſic verſus apicem, ubi *Medulla* ampliatur, *Corticalis Subſtantia* proportionaliter fit minor, quia ſcilicet per Inſertiones ſuas gradatìm in *Medullam* extenditur. Similiter peculiari quarundam *Radicum* forma, in quibus præter *Medullam Corpus Lignoſum* in duplicem dividitur Annulum, inq; eorum mediô Annulus eſt crasſus, ſubſtantiæ albæ, & mollis ; nihil aliud exiſtens, quâm Inſertionum *Subſtantiæ Corticalis* in Annulum dictum collectio ; aſt verſus *Radicis* apicem, dum rurſus Inſertiones fiunt, Medulla evadit magna & ampla ; ut in *Fœniculi* Radicibus conſpicitur.

Proportio Corticalis Subſtantiæ & Medullæ.

Pori ejus. Pori *Medullæ*, pariter ac Pori *Corticalis Subſtantiæ*, tàm per latitudinem, quàm longitudinem *Radicis*, extenduntur prorſus æqualiter; ſunt tamen majoris minorisve quantitatis, præ illis, qui ſunt in *Corticali Subſtantiâ*.

Proportiones ejus. Proportiones *Medullæ* differunt: in Arboribus tenuis ſolùm eſt; in Plantis ~~ut plurimùm~~ admodùm elegans; in nonnullis maximam ferè *Radicis* partem conſtituit; velut in *Rapâ*. Ratione amplæ ejus circumferentiæ, atq; ita Concoctionis potioris & Aſſimilationis Succi ejus, ea pars, quæ in Truncis antiquiſſimis eſt arida & dura *Medulla*, hîc eſt tenera delicataq; *Caro*. Partes *Rapæ* transverſim ſectæ *vid. Fig. 8.*

Fibræ Lignoſi Corporis in eâ. In Radicibus multarum admodùm Plantarum, ut *Raparum*, *Paſtinacarum &c. Corpus Lignoſum* ultra extremum ſuum Annulum largum, nonnullas, inoſculatarum ſuarum Fibrarum per Corpus *Medullæ* dispergit; nonnunquàm omnes æqualiter, nonnunquàm magis ſpeciatìm in vel juxta Centrum; quæ Fibræ ubi verſus *Radicis* apicem aſcendunt, declinantes à Centrô, ultimò collateraliter ejus Circumferentiam ferientes, aut omnes, aut paucæ quædam Centrum occupant: ex his præcipuè *Lignoſum Corpus* Trunci ſæpe oritur.

Medulla harum Fibrarum. Fibræ hæ, quamvis exceſſivè ſint tenues, in nonnullis tamen *Radicibus*, e. g. in Radice *Iridis*, concavæ ſunt viſibiliter; quâvis harum in ſingulis ſuis Cavitatibus verè tenuem *Medullam* circumdante; cujus aſpectus, ſi transverſim ſciſſa *Radix* per diem aut biduum ad exſiccandum extra feneſtram reponatur, ſine vitro obtineri poteſt. Et hæc eſt generalis *Radicis* delineatio; cui declarationem rationis vegetationis ejus, cum uſu & officiô ſingularum ejus partium erutô, annectemus.

Quomodo Radix creſcat, & de uſu Cutis Dicimus ergò, *Radiculâ* impræ gnatâ & in terram protenſâ humiditatem contiguam per *Subſtantiam Corticalem*, tanquam laxum & ſpongioſum Corpus facilè admitti: non omnem tamen

men abſq; diſcrimine, ſed illam, quæ apta magis eſt, ut circumcingentem Cuticulam penetret. Qui Succus tranſiens, licet hìc clarus evadat, non tamen eſt ſimplex; ſed eſt mixtura Particularum, tàm quoad eas, quæ originaliter ſunt in *Radice*, quàm quoad ſeipſas, invicem aliquantùm heterogenearum. Cumq; hæ in *Subſtantiâ Corticali* in moderatâ laxitate, & formâ circulari ſint repoſitæ, lenis inde Fermentatio exſurgit. Fermentante *Succô* partium ſeparatio ſequitur, aliquæ earum Circumferentiæ *Corporis Corticalis* inſinuantur; unde *Cuticula* in Cutem degenerat, uti videmus in Cuticulis caſeorum creſcentibus, in Cute diverſis liquoribus ſupertenſâ, & ſimilibus; per quam *Succus* in *Corticalem Subſtantiam* defluens, tanquam per *Manicam Hippocratis*, pro majori puritate filtratur. Quô *Succô Subſtantia Corticalis* eouſq; dilatatur, quouſq; ejus *tonus* abſq; continui ſolutione ferre poteſt; *Succusq;* de novô ſemper ſuppletur; & pars puriſſima, tanquam aptiſſima & paratiſſima, cum convenientibus ſuis Tincturis, à dictâ *Corticali Subſtantiâ* ad *Lignoſum Corpus*, tranſit. Quod *Corpus Lignoſum* itidem dum ſuas proprias Tincturas in dictum *Succum* transfert; hic jam ad præparationem ſummam deductus, fit, (uti aliàs nutrimentum Animalium vocatur) *Ros* Vegetans aut *Cambium*: cujus pars nobiliſſima tandem coagulatur & aſſimilatur in ejusmodi ſubſtantiam, qualis eſt *Lignoſi Corporis*. Reliquiæ licet ipſi non unitæ, in ipsâ tamen Tincturâ dotatæ, hinc recedunt, hoc eſt; per continuum *Succi* appulſum partitìm in *Corticalem Subſtantiam* revehuntur, ubi à *Succô* ejus in Alimentum proficuum convertuntur: ita quidem, ut, dum ante *Subſtantia Corticalis* in ſuis partibus laxa erat, & dilatabatur, nunc in realem partium quantitatem aut numerum excreſcat, & ita verè nutriatur. *Corticalis Subſtantia* ſic tantô Vitali *Succô*, quantùm ſibi ſufficit, ſaturata, Remanentiam ſecundam hinc ad Cutem dimittit: quâ eâdem hæc etiam nutritur

Corticalis & Lignoſi Corporis in eum finem.

ſaltim

tritur & augmentatur. Sic, ut in *Animalium Corpore* inſtauratio & incrementum partium, non per ſolum fit Sangvinem, ſed *Nervoſus* quoq; *Liquor* hìc ſuppetias fert, comparatum quoq; eſt in his: *Succus* in *Corticali Subſtantiâ* præparatus, eſt quaſi *Arterioſus*; & pars ejus in *Lignoſô Corpore* præparata, tanquam *Liquor Nervoſus*; qui partìm ſeipſum nutriens, partìm rurſus in *Subſtantiam Corticalem* remisſus, per *Succum* inibi repertum, Tincturam ſuam diffundit, unde hic evadit verum Nutrimentum *Subſtantiæ Corticalis* & *Cutis*, & ſic omnes hæ partes creſcunt.

Quomodo creſcat in Longitudinem.

In quô Incrementô proportio longitudinis & latitudinis requiritur; ac, ſi commodum Plantæ expendatur, tàm ut ipſa firma conſiſtat, quàm ut ſufficienti Succo inſtruatur, principaliter longitudo exigitur. Et quoniam hoc ita requiritur, ideoq; per conſtitutionem unius ejus Partium *Lignoſum* nempe *Corpus* illud factum eſt neceſſarium. Pori enim ejus, dum omnes per ejus longitudinem extenduntur, *Succus* etiam ſecundum formam & ſitum illorum principaliter movetur; & quâ viâ *Succus* movetur, eâdem partium quoq; generatio procedit, ſcilicet per longitudinem eorum. Et *Corpus Lignoſum* primò (hoc eſt, prioritate cauſæ) ſeipſum in longitudinem movens unà quoq; *Subſtantiam Corticalem* movet. Id enim quod nutritur, extenditur; quodcunq; extenditur movetur; ut itaq; quodcunq; nutritur, moveatur. *Lignoſum Corpus* itaq;, dum primò nutritur, movetur quoq; primò, & ſic fit, ac in ſe derivat Principium omnis vegetativi motus in *Corticali Subſtantia*, & ſic hæc ambo moventur in longitudinem.

Verùm ut *Corpus Lignoſum* Principium Motus in *Corticali Subſtantia* exiſtit; ſic *Corticalis* eſt moderator motus in *Lignoſo*. Uti in motu animali principium à nervis eſt; cum tamen etiam quid Muſculis & Lacertis datum ſit, his in proportione ad ſtructuram ſuam motis, Nervi in eundem cum illis motum rapiuntur.

Qua ratione deſcendat.

Supponimus ergò, quod, ſicut principalis motus

motus *Corporis Lignoſi* fit per longitudinem, ſic ejus quoq; propria tendentia eſt aſcenſus: ſed dum hoc *Subſtantia Corticalis* excedit valdè tàm in ambitu, quàm quantitate, prout in partibus minoribus *Radicis* exiſtit; neceſſariò illud hæc in creſcendo ſuperat, eiq; imperat, atq; ita, licet illud ſuum motum non perdat, talem tamen ſternit viam, quâ *Corticalis Subſtantia* magis ei poſſit obedire; quod fit per deſcenſum: utrumq; tamen horum ſufficienter flexile aptum utiq; eſt, ubi terra directo deſcenſui obſtacula ponit, aliâ viâ, ubi major datur penetratio, deſcendendo, & quidem ita obliq;. Ipſa enim hæc eſt ratio, quod, etiamſi terræ mandetur *Faba* versâ ad ſuperiora *Radiculâ*; hæc tamen *Radicula*, ubi germinat, per gradus declinans formâ Unci arcuetur, & ſic demum deſcendat. Quævis enim declinatio à linea perpendiculari, mixtus eſt motus inter aſcenſum & deſcenſum; qualis eſt motus *Radiculæ*, & ita dependere videtur à duobus contrariis niſibus *Lignoſi* & *Corticalis Corporis*. Quænam ſit cauſa horum niſuum, (eſt autem maximè probabiliter externa, & forſan aliquid de *Magnetismô* continet,) præter meum eſt propoſitum ut inquiram.

Quomodo creſcat in Latitudinem.

Jam licet *Corpus Lignoſum*, juxta poſitum & figuram Pororum ſuorum, præcipuè in longitudinem creſcat; in quibusdam tamen gradibus quoq; per latitudinem augetur. Non enim dici poteſt, aut ſupponi, *Succum* puriſſimum omnem à Poris dictis abſumi, ſed partem ejus aliquam *ſuperficialibus* eorum *partibus* ſupernatantem, ſimiliter tincturam ſuam accipere & agglutinari illis. Et quoniam Pori hi per earum longitudinem prolongantur; admodum hinc laxum eſt, & difficulter hac viâ dividitur; ut, dum ſcinduntur Baculi, finduntur Tigna, & transverſim ſecantur aut cæduntur, videre eſt. Unde accidit, ut, dum à centrò verſus circumferentiam germinat, ibiq; plus ſpatii reperit, dicta ejus laxitas originalis faci-

faciliè in quibusdam locis jam augeatur, quin tandem in apertas Fisſuras planè viſibiles abeat. In quarum mediô, *Subſtantia Corticalis* ex unâ parte à circumdante Cute & ~~Matrice~~ cincta, & ex alterâ à *Lignoſô Corpore* ſurſum adactâ, necesſariò inſeritur, & ita movetur in contrarium, à circumferentiâ verſus centrum: ubi dictis motibus contrariis, uti ceperunt, continuatis, hæc invicem concurrunt, & *Medullam* vel efficiunt, vel augent. Et ita formatur *Radix*, ejusq; Cutis, concurrentibus hìc, uti dictum eſt, *Corticali* & *Lignoſô Corpore*. Ut de uſu quoq; partium reliquarum duarum, nempe *Inſertimenti* & *Medullæ* agamus, convenit, & primò quidem de *Medulla*.

Terrâ

Quomodo Medulla hinc formetur.

Uſus Medullæ.

Uſus unus *Medullæ* genuinus eſt, pro meliori progresſu *Succi*, quò de proximo capite disſeremus. Uſus quem hic obſervamus, infert citiorem & intenſiorem *Succi* Fermentationem: quamvis enim Fermentatio in *Corticali Subſtantiâ* peractâ optimè pro primis Vegetationibus ſufficiebat, hæ tamen ad majorem perfectionem in *Truncô* poſtea conſequendam Corpus requirunt magis aptum, & hoc eſt *Medulla*; quæ adeò eſt necesſaria, ut non tantùm ſit communis, verum quoq; evidenter larga in *Radicibus* Plantarum plurimarum; ſi non in partibus earum inferioribus, tamen circa apices. Quo ſive derivetur ſive amplietur à *Corpore Corticali*, per Inſertiones ejus tamen ſaltim, ſupponamus hinc, decet, ut has, ita hoc, in majori puritate esſe conſtitutum. Et dum ab ejus (*Subſtantiæ Corticalis*) coarctatione, quando inſerta eſt (*Medulla*) libera fit; omnes ejus Pori poſt *Succi* ſupplementa magis minusvè ampliantur: quam ob rationem *Succus* eò receptus magis purùs, & ejus Fermentatio magis activa evadit. Ac quemadmodum *Medulla* in ſua conſtitutione ſuperior eſt *Corticali Subſtantiâ*, ſic & locô. Nam ſicut hæc ſtat in centrô, ſic à *Lignoſô Corpore* cingitur. Jam ſicut Cutis eſt vallum *Corticalis Corporis*, & hoc

Lignoſi;

Lignoſi; ſic *Lignoſum* itidem magis eminet præ *Medullâ*; ut *Succus* hic ſit velut liquor agilis, in doliô ligneô, concluſus.

Et ut *Medulla* inſervit Fermentationi *Succi* exaltandæ, ſic *Uſus Inſertionum.* Inſertiones ejus puriori diſtributioni, cui fini per ſeparationem partes *Succi*, dum in *Medullâ* fermentabantur, diſpoſitæ reddebantur, quæ jam per ejus in Inſertiones introitum fit: ita, ut, ceu Cutis eſt Filtrum *Corporis Corticalis*, ſic Inſertiones quoad *Lignoſum* magis in hoc opere præcellant, & ut hæ inſerviunt puriori, ſic etiam liberiori & ſufficienti *Succi* diſtributioni. *Radice* enim auctâ, & *Corpore Lignoſô* increſcente, quamvis *Medulla* & *Corticalis Subſtantia* ſufficientem Succum pro nutritione iſtarum Partium ſibi proximê adjacentium, ſuppeditarent, hæ tamen cùm ſint internæ magis, fruſtrarentur necesſariò ſuo *Alimento*, & ſic, ſi non citò deficerent, pro æquali tamen incremento esſent inidonea: quare dum *Corpus Lignoſum* per totam ſuam latitudinem frequenter dividitur, & *Corticale* illi inſeritur: *Succus* per has Inſertiones, tanquam Sangvis per *Arterias* diſſeminatus, liberè & ſufficienter deducitur ad interiores partes, eas ſcilicet ipſas, quæ aut à *Corticali Corpore* aut *Medullâ* ſunt remotiſſimæ. Tandem, quod inde ſequitur, conducunt quoq; hæ pro incremento *Radicis* ad latera; quemadmodum *Corpus Lignoſum* pro incremento in longitudinem; ſic hæ Inſertiones *Corticalis Corporis* faciunt, ut melius in latitudinem excreſcat.

Perluſtratis jam uſibus ſingularum Partium *Radicis* ſolitariis, ultimò proponendæ ſunt conjecturæ noſtræ circa illud Inſtitutum, in quo omnes concurrunt, quod eſt *Succi* Circulatio: *Succus* enim per *Corticalem Subſtantiam* verſus *Medullam* motus, per ejus in hanc Inſertiones aditum obtinet. Cui curſui Inſertiones ſuperiores minùs favent, quoniam *Medulla* in eâdem cum his altitudine proſtat, ibiq; eſt craſſior, Fermen- *Quatenus omnes hæ Partes junctim inſerviant. Circulatio Succi.*

S ſ tatio

tatio & affluxus *Succi* vehementior, & ita oppoſitio fit valida. Sed per inferiores facilius intrat; quoniam ibi per *Medullæ* tenuitatem oppoſitio eſt exigua, & per Inſertionum brevitatem via magis patet. Licet enim & hic *Succus* aliqua offendat obſtacula, quoniam tamen hæc ſunt minima, ſeipſum extendit (nutriens in tranſitu *Corpus Lignoſum*) in *Medullam.* Intra eam *Succus* recens dum ſemper infunditur, hic crudus adhuc ſubſidet: & ille, qui primò fuit receptus, & ſic factus eſt Liquor magis elaboratus, facilius ſurſum fertur; dumq; in *Medullâ*, velut in *Arteriâ magnâ* in æquali cum Inſertionibus ſuperioribus altitudine movetur: volatiles maximè partes continuant ſemper aſcenſum ſuum verſus *Truncum* directum. Eæ verò, quæ mediæ ſunt naturæ, & pro aſcenſu minus aptæ licet, ſubtiliores tamen & leviores illis, quæ ſubter eas, indeq; nec deſcendendo idoneæ; à *Medullâ* tendunt verſus Inſertiones in motu inter utrumq; medio: per quas Inſertiones (in tranſitu *Lignoſum Corpus* nutrientes) per inſequentem mox *Succum* in *Corpus Corticale*, tanquam *Venam Cavam* rurſus remittuntur. Ubi ſemper à novô *Succô* à Centrô veniente urgetur, & ab aliô item, qui à circumferentiâ ipſi occurrit, verſus Inſertiones inferiores hinc deſcendit: per quas unâ cum parte *Succi* de novô à ~~matrice~~ imbibiti, retrogreditur in *Medullam.* Hinc in *Corpus Corticale*, & inde in *Medullam* crudior ejus pars reciprocê extenditur; dum magis volatilis, ope circulationis non indiga, directè magis verſus *Truncum* aſcendit.

CAPUT III.
De Trunco.

DEclaratis hactenus gradibus Vegetationis in *Radice*, ejus in *Trunco* continuationem nunc demonſtrabimus; pro quô ſcopô partes illum conſtituentes itidem nobis erunt primò obſervandæ. Id,

Id, quod citrà ſectionem ſe videndum exponit, eſt, *Coarctatio*, (Connexio:) Non posſum eam appellare *Radicis*, nec *Trunci*; ſed, de quâ nunc ſermo eſt, in medio illorum ſita, utriq; communis eſt; omnesq; illorum Partes invicem arctiùs colligat, uti in apicibus Radicum excreſcentium in variis Plantis, apparet.

Ex Partibus *Trunci* primò occurrit *Cutis*. Cujus formatio non fit ab Aëre, ſed in *Semine*, unde & originem trahit, eſtq; productio Cuticulæ, *Lobum* Seminis utrumq;, & *Plumam* inveſtientis. *Cutis, ejus Origo.*

Pars proxima eſt *Subſtantia Corticalis*, quæ in *Truncô* non eſt Subſtantia de novô formata, ſed velut ea, quæ in *Radice* eſt, à *Seminis Parenchymate* oritur, & tantum augmentum & excreſcentia ejus eſt. *Cutis*, *Subſtantia* hæc *Corticalis* propriè ita dicta, & (quoad maximam partem) Fibræ quædam *Lignoſi Corporis* cum illis mixtæ, unà *Librum* conſtituunt. *Origo Subſtantiæ Corticalis.*

Hinc eſt *Corpus Lignoſum*, quod, ſive viſibiliter in Fibras varias tenuiores dividatur, uti fit in *Fœniculô* & plurimis Plantis; ſive partes ejus magis ſint compactæ, & compresſæ, unum corpus durum, firmum & ſolidum conſtituentes, ut in Arboribus evenit, in omnibus una eademq; pars exiſtit, eaq; originem formationis non in *Truncô*, ſed in *Semine*, agnoſcit, dum nihil eſt aliud, niſi prolongatio *Corporis interioris* in *Lobos*, & *Plumam* Seminis diſtributi. *Lignoſi Corporis Origo.*

Inſertiones demum & *Medulla* hìc etiam à *Plumâ* oriuntur, ut eæ ipſæ in *Radice* à *Radiculâ*: ita quidem, ut quoad partes ſubſtantiales *Lobi* Seminis, *Radicula* & *Pluma*, *Radix* & *Truncus* omnia ſint unum. *Inſertionum & Medullæ Origo.*

Nonnulla tamen in *Truncô* concinnius obſervantur. Primò Radii (ſive ſtriæ) *Lignoſi Corporis latitudinales*, qui in *Truncis*, pro ſingulis Vegetationis eorum annis, totidem Circulis videndos ſe exhibent, ut vulgò notum eſt: ſingulis enim *Corpo-* *Radii Latitudinales Lignoſi Corporis ubi obſerventur.*

 ris

ris Lignoſi Fibris novellis, ceu in *Radice*, ſic & hic, uno anno in *Corticalem Subſtantiam* abeuntibus, & intermediis ejus ſpatiis poſt pluribus (neſcio, an ulteriùs) proximo (anno) infarctis, tandem hæ conjunctìm fiunt Annulus firmus & compactus: cùm unius Annuli perfectio & alterius fundamentum hic coincidant, ſive ſemet concomitentur.

Ab his Fibris junioribus annuis deducendum, quod, licet *Subſtantia Corticalis* & *Medulla* unius ſint naturæ & ſubſtantiæ, poriq; eorum parùm differant; cum tamen *Medulla*, quæ anno primo viret, & omnium partium maximè *Succo* affluit, deinde areſcat, & alba evadat; *Corticalis Subſtantia* è contrario tamdiu, ac Arbor creſcit, usq; conſervatur viridis & humida, nempe quoniam dictæ Fibræ annuatim ei inſeruntur, & cum eâ communicant.

Pori Corporis Lignoſi, ubi & quomodo maximè notentur.

Similiter Pori *Corporis Lignoſi* ~~in~~ variis maturis Lignis, ut in Aſſeribus quernis, clarè conſpicui ſunt, ſecando ea longitudinaliter & transverſim; raró admodùm horum unus in alterum decurrit, ſed per totum corpus omnes, tanquam totidem vaſa ſingularia, diſtincti manent; quod obſervari poteſt, ſi unum ex his, quousq; fuerit libitum, ad pedis vel virgæ dimidiæ; aut majoris menſuræ extenſionem, ſecando perſequamur.

Hi Pori majores, quamvis in tabulatô, menſis, & ſimilibus, ubi diu ~~fuerunt aperti~~, nihil aliud ſunt, quàm meræ Vacuitates, ideoq; viderentur quaſi continuiſſe ſaltim *Succum* in arboribus, & poſt tantùm aërem; in recenti tamen ſectô corpore, quivis eorum, corpore ſpongioſo & levi repletus videtur, quod ope vitri, aut etiam nudis oculis apparet eſſe *Medulla* perfecta; integra nonnunquàm, nonnunquàm magis, minusvè diviſa.

Medulla ipſorum Pororum.

Minor Species Pororum

Præter hos, inibi Eorum minor occurrit ſpecies, quæ ope *Microſcopii* quoq; videtur, ſi non *Medullâ* repleta eſſe, tamen

men partes quasdam leves & membranaceas, plures, paucioresve, naturæ *Medulloſæ*, intra ſe continere.

Et hi ſunt Pori omnes, quos (inter has Inquiſitiones) optima vitra, qualia quidem ad manus tunc nobis erant, oſtendebant. Eruditus verò & Ingenioſisſimus Phyſicus *Dn. Hook* præter hos, adhuc tertiam, & tenuiorem ſpeciem nobis demonſtravit; cujus deſcriptionem inveni ab Ipsô datam inter *Obſervationes* ſuas *Microſcopicas*. De his Poris (in confirmationem ejus, quod *cap. 2.* de *Lignoſi Corporis* Poris in genere, diximus) etiam demonſtrat; eos omnes continuari & produci per longitudinem *Trunci*; ſicut illi majores; cujus rei experimentum fieri posſe asſerit, ſi omnes dicti Pori, in fruſtô *Carbonis* puta, *Mercuriô* inferciantur, qui penitùs per illud tranſit, quia per Vitrum optimæ notæ in orificiis eorum ab utrâq; extremitate videtur, & absq; Vitro, è pondere Carbonis ſolùm, quoq; fit manifeſtum.

Tertia Species Pororũ, viſibilis tantum ope Microſcopii.

Obſervata in Ligno & Carbone.

Ulteriori inquiſitione invenimus item Poros *Corporis Lignoſi* in Plantarum *Truncô*, quos primò ſaltim ſupponebamus, auxilio Vitri boni admodùm luculenter videri; dum unaquæq; Fibrarum 30. 50. 100vè Poris perforatur. Aut, quam ego notionem rei hujus verisſimam esſe puto, unamquamq; Fibram, licet nudo oculo ſimplex ſolùm appareat; esſe tamen numerum Fibrarum conjunctarum ingentem; Porus enim quivis, non ſpatium merum inter ſingulos Ligni Poros, ſed Fibræ concavum exiſtit; ita, ut ſi quæratur, quid omnis ea pars, quæ lignea propriè dicitur, Vegetabilis ſive Plantæ ſive Arboris, ſit? Ego ſupponam esſe nihil aliud, quàm Racemum innumerabilium & tenuisſimorum Vaſorum, aut Fibrarum concavarum. *Vid. Fig. 15.*

Obſervata in Fibris Truncorum Plantarum.

Corticalis Subſtantiæ Inſertiones, quæ in Arboris *Truncô* transverſim ſectô, evidenter diſcernuntur, tanquam à circumferentiâ ad centrum decurrentes; totum Arboris corpus viſibi-

Inſertiones ubi magis ſint viſibiles.

viſibiliter è duabus Subſtantiis diſtinctis componitur, eâ ſcilicet ſingulorum Circulorum, & Inſertionum alterâ, invicem ſe ſecantibus; quod aliquam in planô ſimilitudinem habet cum Lineis Latitudinis & Meridiani in Globô. *Vid. Fig. 16.*

Inſertiones hæ etiam verè conſpicuæ ſunt in Arboribus per longitudinem in Aſſeres ſectis, & in his lævigatis, ac in Tabulas elaboratis pro Menſis, Tabulatis, Orbibus, & ſimilibus. In quibus omnibus, ut in Orbibus craſſis *Faginis*, & Menſis Quernis nonnullæ inveniuntur partes lævitatis majoris, præ reliquis; ſuntq; ibidem variæ adeò partes *Corticalis Subſtantiæ* inſertæ; quæ ratione harum in *Lignoſô Corpore* videntur eſſe discontinuæ, licet in *Truncô* per ipſius latitudinem extendantur.

Hæ Inſertiones, quamvis, uti dictum, diſtinctæ planè à *Lignoſô Corpore* Subſtantiæ, neq; ullibi verè ei incorporatæ, in omnibus tamen partibus alterum eſt quaſi Stamen, alterum Trama, invicem ſe amplexantia & intertexta, & ita conſtituunt unum Corpus durum, & firmiter cohærens.

Inſertiones tenuiores Viſibiles tantùm Ope Microſcopii.

Prout Pori ſunt majores, minoresvè, ita & Inſertiones: nudo oculo communiter majores ſolùm diſcernuntur: ſed Microſcopio quali quali aliæ quoq; multò numeroſiores & tenuiores diſtinctè apparent. Ita, ut, quemadmodum nobis videtur, obſervemus, ſicut *Medulla* grandior *Trunci*, communicat cum, & augetur ab Inſertionibus majoribus; ita cujusvis majoris Pori *Medulla* originem ducat à minori; & hujus (tandem) partes medulloſæ in Poris mediis ab aliis adhuc minoribus; & ſupponamus, ultimas earum omnium eatenus Poris minutiſſimis intrudi, tanquam idoneas, quæ efficiant genus cujusdam ſcabritiei ad latera eorum concava, præteteaq; nihil amplius; cui bono id fiat, explicabitur. *Vid. Fig. 17.*

In

In nullis Pororum horum omnium aliquid obſervare poſſumus, quod obtineat genuinam naturam, uſumq; Valvularum, quæ facilè admitterent illud, cui nequaquam regreſſum concederent. Et harum abſentia evidens ſanè fit, ex eô, quod in primô capite de *Lobis Seminis* à nobis dictum eſt: in cujus *Radice Seminali*, ſi *Valvulas* quasdam haberet, neutiquam fieri poſſet, ut ob *Succi* ~~recurrentis~~ fluxum contrarium, ſemper creſceret; quod tamen fit, ubicunq; (illi) in diſſimilaria Folia abeunt. Aut ſi creſcentem *Radicem* conſideramus, quæ ſæpè verſus ſuperiora & inferiora ſimul protenditur.

Inſertiones quoq; in *Trunco* poſitum Pororum nobis demonſtrant. In politâ enim particulâ quernâ, ut in *Ligno* undulatô, in Menſis &c. præter Poros majores *Corporis Lignoſi*, qui per *Trunci* longitudinem feruntur; ~~illi quoq; Pori,~~ qui Inſertionum ſunt, obſervantur per latitudinem, & ita directè transverſim (per crucem) propagantur. Neq; hi prolongantur, ſicuti Pori *Corporis Lignoſi*, ſed breves admodùm exiſtunt, velut Pori *Subſtantiæ Corticalis* & *Medullæ*, cum quibus inſertiones quoad ſubſtantiam ejusdem ſunt generis. Adhæc omnes hæ juxtìm adeò decurrunt, ut ~~ſint quaſi~~ Lineæ rectæ, aut ſtriæ per latitudinem *Trunci* planè ordinatæ & diſpoſitæ: Qualis nudo oculo horum Pororum tractus appareat, *vide in Fig. 18.* Optimo etiam, quo uſus ſum, Microſcopio, ordinem Pororum tantùm obſervare potui; non verò ipſos Poros, quorum quendam hinc inde perſpexi; quare illos non deſcripſi.

Pori Inſertionum. | tractus ſimiliter pororum, | locentur planè

Pori ſimiliter *Medullæ* majores in *Truncô* exiſtentes, melius inibi, quâm in *Radice* obſervantur: quorum ~~laxitas cum Marginibus eorum exquiſitè tenuibus~~, exemplo Favi ruditer explicari poteſt; & ~~indeaccidit, quod proportio inter molem & pondus *Medullæ* aridæ, admodum diſcrepare ſatis appareat~~. In quarundam Plantarum *Truncis* ampli adeô ſunt & tranſparentes, ut, dum *Medulla* longitudinaliter vel transverſim ſecatur,

Pori Medullæ. | amplitudo comparatione ad ſua latera deô exquiſitè tenuia

idem ſimile ingentem proportionis inaequalitatem inter molem & pondus medullae aridae ſatis declarat.

tur, nonnulli horum, etiam nudo oculo, appareant extenſi notabiliter, per dictæ *Medullæ* longitudinem; quod etiam quondam ita eſſe putavimus, & reliquos horum ſolùm breves exiſtimavimus & diſcontinuos, atq; , uti dictum, ſimiles aliquatenus cellis favi. Hoc erat proximum, quod aſſequebamur conjectura, & ope Vitri optimi, quod tunc ad manus erat, cum in naturam *Medullæ* inquireremus: Verùm modò nominatus Vir Digniſſimus *Dn. Hoocke* oſtendit nobis, Poros *Medullæ*, inprimis Sambucinæ, quo usq; viſui patent, in univerſum eſſe discontinuos; atq; ipſam adeò *Medullam* eſſe nihil aliud, (ut ejus verbis utamur) quàm congeriem bullarum.

Præterquam, quod hâc Obſervatione de iis informemur, confirmatur idem porrò ex eô, quod capite ſecundô, de Origine *Medullæ* & *Subſtantiæ Corticalis*, itemq; de horum utriusq; naturæ identitate cum *Parenchymate* Seminis diximus. In ulteriori enim per Vitrum melius indagatione invenimus, *Parenchyma Plumæ* & *Radiculæ*, itemq; *Loborum* ipſorum, licet non apparenter adeò, eſſe tamen nihil aliud, quàm bullarum maſſam.

In *Medullis* variarum Plantarum, Pori majores intra ſe continent quosdam minores, nonnulliq; horum dividuntur per membranas in crucem formatas, & inter harum ſingula latera alii Pori minores, uti nobis videtur, viſibiliter interjacent. Utut, hos omnes eſſe permeabiles, admodùm certum ſit. Stant juxtim non indeterminatè, ſed in ſerie rectâ, & acie per Trunci longitudinem, ut Pori Inſertionum per latitudinem. Et hucusq; in genere conveniunt partes *Radicis* & *Trunci*: ſunt tamen & quædam inter has differentiæ notabiles; ubinam, & quomodo hæ obveniant, cuiq; uſui aut bono ſpeciatim conducant, proximè dicetur.

Dicimus ergò, *Succô* in *Radice* Filtrationis, Fermentationis (& cui uſui præterea Radices deſtinantur, forſan & Circulationis) beneficio, debitè præparatô, partem ejus primam

per

per coarctationem intermediam elapſam, in juſtâ temperaturâ & puritate tandem excipi à *Truncô*. Et quia *Succus* in *Truncô* eſt purior, magisq; volatilis, & ita per ſe aptus, qui aſcendat; motus *Trunci* quoq; nobilior exiſtit, diſpoſitionem & tendentiam ſurſùm cum eo vergendi acquirens. Et quatenus *Truncus* à *Succô* in ſpecie diſponitur, à poſitu partium ejus reſpectivo & quantitate in effectu vires acquirit. Quoniam enim in *Radice Corpus Lignoſum* ſumtâ ad *Corticale* proportione, tantùm eſt exiguum, totumq; in ejus Centrô concluſum; neceſſariò hoc illius directioni ſubjicitur: è contrariò dum hìc (nempe in *Truncô*) comparativè quantitatem obtinet majorem, atq; adeò magis dilatatur, & diverſos ramos ad exteriora magis verſus circumferentiam mittit, quod in Frondibus & corpore Trunci junioris & Plumæ apparet, in] ſuo aſcendendi niſu *Corticalem Subſtantiam* in ſui conſortium attrahit & reducit.

Quomodo Truncus adſcendat.

] proprio

Atq; ita *Truncô* extrà ~~Matricis~~ ambitum in Aëre patulô exiſtente, diſpoſitio partium ejus ab ortu diverſa ab iis, quæ ſunt in Radice, non tantùm continuatur, ſed etiam promovetur: ab impetu enim, & preſſura *Succi*, in motu ſuô collaterali, *Corpus Lignoſum* nunc liberè magis & porrò dilatatur. Hôc autem dilatatô, *Subſtantia Corticalis* neceſſariò inſeritur, ideoq; proportionaliter ſemper magis minusvè, in tenuitate differt hìc in *Truncô*, quàm fit in *Radice*. Et ſicut *Corticalis Subſtantia* imminuitur, ita *Medulla* increſcit, & eâdem proportione hìc major exiſtit. Quoniam verò in ſe augetur *Medulla*, Pori ejus (*Lignoſum* enim *Corpus* in ejus dilatatione quaſi ad omnia latera ſe extendit) neceſſariò quoq; largiores evadunt unà, & ſimiliter ſinguli eorum in *Medullâ Trunci* ſunt majores, quàm in *Radice*. Dumq; ita *Lignoſi Corporis* dilatatio usq; continuatur, ſequitur, quod, ſicut *Medulla* in *Radice* deſcendens non tantùm proportionatè minor eſt ac minor, ſed quoq; in

Diſpoſitio Partium Trunci, conſequens hunc aſcenſum.

[Terræ

Tt extre-

extremitatibus ejus exiguioribus, & ulterius nonnunquam planè deficit; ita è contrariò in *Truncô* non tantum verſus ejus Apicem producitur, verùm etiam ibi proportione æquali amplior evadit, præ eâ, quæ eſt in aliqua parte inferiori.

Differentem Succi naturam conſequens.

Licet autem Aëris transmiſſi temperies ſemper ſit eadem; dum tamen *Succi* efficientis energia variat; prout hujus ſunt differentiæ, ſic & *Trunci* dilatatio differt. Hæc ſi eſt minor, *Truncus* quoq; minus dilatatur; quod oſtendunt *Trunci* plurimarum Arborum: ſi hæc eſt major, *Truncus* quoq; magis dilatatur; ut in Plantis communiter evenit; dum *Corpus Lignoſum* ut plurimùm eousq; dilatatur, ut *Radii extremi* ejus difficulter cognoſcantur prominere, & *Cuti* jungi. Et ſi *Succus* hucusq; majorem habeat energiam, eousq; extendit *Corpus Lignoſum*, ut non tantùm ejus *Medullam*, omnesq; *Poros* ampliet; ſed quoq; eousq; illud diſtendat, ut patiatur rupturam; unde vel rurſus in *Corticalem Subſtantiam* recurrit, vel verſus eam ſe contrahit, atq; ſic *Truncus* nonnunquam fit *Scapus cavus*, excretâ vel totâ, vel quoad partem aliquam, *Medullâ*. Communiter tamen integrum conſervatur; & ubi hoc fit, eadem eſt proportio, & reſpectus idem ad *Lignoſum* & *Corticale Corpora*, ut diximus.

Effectus differentiarum dictarum.

Quæ hinc conſequuntur, ſunt; Robur Trunci, Securitas & Ubertas Succi, Fermentatio ejus agilior, Diſtributio magis efficax, & Exaltatio magis ſufficiens.

Primò, *Trunci proceritas* & *Robur*; ſunt effectus ſingularum ejus partium poſitûs: præter enim gracilitatem *Trunci*, hinc usq; ad Apicem vergentem, ſitus quoq; *Lignoſi Corporis* & circumferentia, ſimul huic fini inſervit, & eminenter quidem: ita, ut, quoniam *Corpus Lignoſum* in exilioribus *Radicis* partibus in centrô conſtituitur, inde concipere & obſervare nobis liceat ejus Ductilitatem in motum obliquum; ita hic *Corpus Lignoſum* largum exiſtens acquirat Robur *Trunci*, & aptitudi-

tudinem pro ejus incrementô perpendiculari. Ipſum hoc Inſtitutum perſpicimus in oſſibus & Plumis: Oſſa robuſtisſima, velut ea ſunt in Cruribus, ſunt cava. Quod ſi nunc ſupponeremus Os illud in ſolidum Corpus eſſe contractum, licet hinc non fieret graviùs, & in eô reſpectu, aptum esſet pro motu; Robur tamen obtineret longè minus, ac obtinet nunc, in eum circumferentiæ ſitum dilatatum. Atq; ita etiam in Pennis, quas ob eandem rationem, ut inſerviant volatui, videmus excesſivè leves eſſe, & tamen, comparatione ad crasſitiem Corporis ſui factâ, admodum robuſtas: videmus id non in Naturâ modò, ſed etiam in Arte. Exinde enim eſt, quod *Arcularii* & *Fabri lignarii* ſuos Aſſeres & varias Materias ſæpè uniant & combinent, duplici commisſurâ; qui licet non ſint crasſiores quàm ſolitarius Aſſer posſet exiſtere, diviſi nihilominùs majori pollent Robore, quàm unus quidem integer. Architectura eadem eundem uſum obtinet in Plantarum *Truncis*, in quorum pluribus oppidò id apparet; e. g. in *Frumenti* culmis: Natura quippe, dum ejus *Succo* pro maturatione excellentiori gradus magnos tribuit, *Truncum* ejus creavit procerum, ut tamen præveniret avidæ ejus rapinæ, ſive à ſpicâ, ſive à ſolô intentatæ, quamvis *Truncus* ſit procerus, latera tamen ejus tantùm ſunt tenuia; & quoniam rurſus non ſolùm in proceritatem & tenuitatem excreſcere debebat, ſed quoq; pro evitandis fulcris in aliquod Robur; ideoq;, velut altitudo ejus tranſcendit proportionem tenuitatis laterum ipſius, ſic & fit cum ejus circumferentiâ, quæ eousq; dilatatur, ut fiat parallela ipſi *Calamo*. Præter ſitum *Lignoſi Corporis*, intra Annuli ambitum obſervamus, quosdam Radios ejus, trans circumferentiam Annuli dicti ſæpè latos, efficientes nonnunquam triangulare, ſæpius quadrangulare Corpus *Trunci*; eô fine, quô ~~*Trunco*~~ tenero, neq; ſibi ipſi ſufficienti, hæ, velut fisſuræ *Oſſibus*, Robur addant & ſtabilitatem. | annulo existe[nte] saltim

Proximè, ſecuritas & ubertas *Succi*; ſi enim *Corpus Lignoſum*, uti fit in *Radice*, quoad partes tenuiores hic quoq; in centrô ~~quaſi~~, detineretur, & ita totô *Corticali Corpore* circumdaretur: major *Succi* pars tunc immediatè magis Soli & Aëri exponeretur; & ita in Corpore laxô ſubſiſtens ab illis continuò depaſceretur, tamq; citò, ac *Trunco* ſuppeditaretur, exhauriretur. Quare dum *Medulla* in centrô ſita eſt, *Succus* in eâ maximè ab Aëre & Sole remotus non tantùm, ſed etiam à *Librô*, & in ſpecie à *Lignô* circumdatus & duplici quaſi murô cinctus, ſecurè admodùm & copiosè in omnes collaterales partes deduci poteſt, & (cujus rationem poſt explicabimus) ad Apicem *Trunci*.

Ac quoniam *Succus* ob amplitudinem & poroſitatem *Medullæ* ingentem, ibi copiosè augetur, Fermentatio quoq; ejus fit citior, uti videmus omnes Liquores, ſi eorum major eſt quantitas, faciliorem efferveſcentiam ſubire. Dumq; intra *Lignum* concluditur, eô ipſô tempore non tantùm à jacturâ fit ſecurus, verùm & à mutationibus quibusvis extremis, neq; Diei calor ipſi, neq; Noctis frigus obeſt.

Fermentatione ſic exiſtente citiori, ejus quoq; motus fit fortior, & diſtributio cum majori effectu jungitur, non pro dilatatione *Trunci* modò, ſed quoq; pro emisſione Ramorum. Unde fit, quod in Arborum corporibus *Liber* de ſe ipsô, licet ſit ſucculentus, & variis *Lignoſi Corporis* Fibris intertexatur, rarò tamen emittat Ramos quosdam, idq; in ejusmodi Plantis, quæ cum minimâ *Medullæ* portione (alia enim commoda hunc defectum non ſupplent) paucisſimas & tenuisſimas habent Ramificationes, aut alias Excreſcentias laterales: & culmi *Frumenti*, *Medullâ* deſtituti, deſtituuntur quoq; Ramis.

Quâ viâ, & quomodo Demum, Exaltatio *Succi* hinc etiam magis promta fit & ſufficiens. Ut intelligatur locus & modus effectus hujus, ſuppo-

ſupponimus, in omnibus *Truncis*, quicunq; tandem ſint, duas partes junctìm huic ſcopo inſervire: in quibusdam *Lignoſum Corpus* cum *Corticali*, ut in *Truncis* vetuſtioribus, ubi *Medulla* vel eſt excluſa, vel arefacta; in multis vero principaliter *Lignoſum Corpus & Medullam*; ut in plurimis Excreſcentiis Arborum annuis: ſpeciatìm verò in Plantis, quarum *Corpus Corticale* plerumq; maximam partem, aut ſæpè totum illi inſeritur. *Succus adſcendat.*

De *Corpore Lignoſô* adeò id apparet per ejus Poros, aut potius Vaſa, ut ulteriori evidentiâ non indigeamus. Cui enim bono adſint Vaſa, niſi pro Liquoris transmisſione? Et hoc eſt, quod in disſectione Rami junioris ſucculentæ Arboris vel Plantæ, per accuratam & continuam inſpectionem obſervatur. Cùm autem nomino Poros *Lignoſi Corporis*, principaliter intellectos volo Poros juniorum propaginum, tàm eos, qui conſtituunt ~~integrum~~ Annulum, quàm illos, qui miſcentur cum *Corpore Corticali* in Librô: illud, quod per Poros Ligni vetuſtioris aſcendit, probabiliter, cùm ſit quantitatis minoris, formam vaporis potiùs obtinet, quàm Liquoris. Illud adhuc, quod in latera Pororum iſtorum ſalivat, ſufficiens hìc eſt alimentum; ceu videmus *Telephium*, *Cepas* &c. tantùm, ſi in humidiori exſtent Aëre, ſolere excreſcere; & ſimul quoad partem aliquam per Inſertiones propaginum juniorum ſuppletur: ſpeciatìm vero, quoniam illud eſt exiguum ſaltìm, inſervit etiam tantùm incremento *Ligni vetuſtioris*, & nulli præterea fini; unde Alimentum copioſius per propagines juniores aſcendens, non tantùm ipſarum excreſcentiæ, verùm & aliarum generationi inſervit; prætereaq; eſt cum eô, quod in *Corticali Corpore* reperitur, Fons *Perſpirationum*, quas novimus in Animalibus plurimùm ſuperare abundantiâ *partes nutritivas*; atq; ſine dubio in *Vegetabili* quodam adhuc magis abundant.

 Verun-

Veruntamen licet hi Pori ſint libera & aperta, pro *Succô* aſcendente, via; eos tamen Poros meros aut Vaſa per ſe apta esſe, quibus ille in tantâ celeritate, vi, & abundantiâ, atq; ad eam, quæ requiritur, altitudinem promoveatur, probabiliter ſupponi nequit. Sequitur ergô, quod *Medullæ* hâc in parte ſervitia junctim oportet concedere. Et, cur aliàs in partibus *Radicis* tenuioribus, ubi ſæpe *Medulla* deficit, Pori ſunt majores? Cur *Medulla* in omni accretione primitivâ eſt pars maximè *ſucculenta*, cur tantam *Succi* continet copiam, niſi ut ipſe in eâ ſufficienter maturatus, in Fibras *Corporis Lignoſi* expendatur? Cur annuæ tàm Plantarum, quàm Arborum propagines Medullis magnis ſive amplis, repletæ, ſunt omnium celerrimæ & longisſimæ? At, quomodo Pori *Medullæ* ſunt permeabiles? Esſe hos tales, tàm ex eô, quòd ſint apti, qui *Succo* impleantur, rurſusq; in totum eo depleantur, & vicisſim loco ejus Aëre inferciantur, tàm certum eſt, quàm eſt, hos esſe Poros. Esſe permeabiles in latitudine, è dilatatione *Corporis Lignoſi* & productione Ramorum, apparet, uti dictum eſt, & poſt dicetur. Atq; ubi aliàs communio ~~hanc~~ hoc inter & *Corpus Corticale* fieret? Esſe hos item permeabiles per longitudinem, probabile fit, quoniam ope *Microſcopii* optimi nondum obſervare valemus, eos magis apertos esſe viſui per latitudinem, quàm ſunt per longitudinem. Et in univerſum omnes per longitudinem ordinantur, velut Pori Inſertionum per *Trunci* latitudinem. Cur autem, fruſto *Medullæ Sambucinæ* aridæ in Liquorem quendam tinctum depoſito, hic non penetrat Poros, ita ut per Corpus *Medullæ* aſcendat? Ratio plana eſt, quoniam Pori omnes Aëre ſunt referti. Quare, in Plantâ creſcente, *Medulla*, ſimulac partes ejus vel Pori generantur, eôdem tempore *Succo* repletur; quo per gradus diſtributo, & ab alio ſuccedente denuò reſtaurato, Aër tantisper excluditur; ut in omni Germine primitivô, & ipsâ *Medullâ Sambuci*. Ipſa verò hæc *Medulla*, dum ob inſequen-

tem

tem hyemem, copioſiori & majori *Succi* ſupplemento deſtituitur, hinc fit & ſemper poſtea manet arida. Et poſtquam in experimentô nuper relatô, Liquor tantùm per latera *Medullæ*, h. e. Pororum ejus fractorum, fertur ſurſùm, inde concludendum esſet, neq; penetrabiles esſe eos per latitudinem, neq́; ullâ aliâ viâ, & tunc inquirendum non eſt, quid inde ſequeretur. Certò autem *Succus* in Poros *Medullæ* diſtribuitur, & quôvis momento reparatur, ut per ejus ~~decorticationem~~ in Plantâ disſectâ fit evidens. contractionem

Supponimus itaq;, *Succum*, ut in *Truncum* aſcendit per *Corpus Lignoſum*, ita & partem ejus ferri per *Medullam*. Velut enim gosſypii pars, extremitate unâ cuidam colorato Liquori intinctâ, & alterâ ſurſum erectâ, licet eousq́; non imbibat liquorem, ut effluat circa ſummitatem, tamen, ~~dum~~ ut eum eousq́; promovet, imbibit; ita hìc *Medulla*, ſpongioſum & poroſum Corpus, & in Vegetatione Poros obtinens adeò permeabiles, ut curioſum Filtrum à naturâ ipsâ conſtitutum referat, ſemper evehit, aut, uti vulgus loqui amat, imbibit *Succum*. Verùm ſicut videmus contingere cum Liquore in Bombace; ita quoq; idem ſupponamus necesſe eſt de *Succô Medullæ*; quod, licet ad Spatium quoddam asſurgat, aliquem tamen agnoſcat terminum, quem non tranſcendit, & ~~quousq;~~ motus aſcenſûs Succi magis magisq́; infringitur, pigrior fit & infirmior, & ita quantitas quoq; magìs, magisq́; deficit. Sed quoniam *Succus* non per longitudinem ſaltim movetur, ſed etiam per latitudinem *Medullæ*, eô ipſô ergò tempore, quò partìm per *Medullam* ſurſùm fertur, itidem quoad partem exprimitur in *Corpus Lignoſum*, aut ejus Poros. Et quoniam motus *Succi* per *Medullæ* latitudinem, dum non adeò procul fertur, ſed tantùm collateraliter, pronus magis eſt & facilis motu perpendiculari, ſive per longitudinem ejus; inde ſequitur, motum *Succi* lateralem ad ejusmodi altitudinem aut partem *Medullæ*, æquè fortem esſe, ac eſt per-

perpendicularis ad aliam partem, licet aliquatenus infra illam; &, ubi perpendicularis magis frangitur, infirmusq; eſt, collateralem eſſe minus infirmum; atq; conſequenter, ubi perpendicularis ejus niſus terminum ſuum agnoſcit, collateralem, ejusq; preſſuram in Poros *Corporis Lignoſi* adhuc dum continuare. Per quos, quia ſunt exigui, atq; adeò latera eorum ferè contigua, *Succus* ſimul ac intra eos deprimitur, facilè aſcendit; uti idem intra duas dimidietates Baculi primò fiſſi, dein negligenter tantùm combinati in Liquoribus fieri obſervamus. Ac quoniam latera Pororum dictorum non ſunt glabra, ſed per intruſas Inſertiones tenuiſſimas nonnihil aſpera evadunt; hac ratione aſcenſus *Succi* in altum magis facilitatur, & promovetur. Quorum omnium Commodorum ope facilitas & vis aſcenſus hujus altius continuatur in Poris dictis, ac fit in *Medullâ*: verùm quia hic quoq; æquè ac ille in *Medullâ*, ſuum obtinet terminum; *Succus*, licet hucusq; promotus, tandem tamen ſtagnaret, aut circa finem aſcenſus fieret parcior, debilior & infirmior, ſi non alio aliquo modo reſtauraretur. Quare, ubi *Succus* per latitudinem *Medullæ* motus, inde exprimitur in Poros *Corporis Lignoſi*; quibus ſufficienter refertis pars ejus aliqua per eundem motum collateralem retrò adigitur in regionem adhuc altiorem *Medullæ*. Unde partìm, & partìm ab eâ Succi portione, quæ in perpendiculari ſuo aſcenſu prius inibi reponebatur; hìc quoq;, ſicut in ſpatiô quodam inferiore, æqualiter repletur. Hinc virtus & vigor motus *Succi* perpendicularis inibi ſimiliter renovatur; ut & motus ejus collateralis, & ejus preſſura in Poros *Corporis Lignoſi*, & conſequenter ejus aſcenſus in illô; atq; dum ita ab his exprimitur in *Medullam*, & à *Medullâ* in hos reciprocè retrahitur, aſcenſus *Succi* maximè proclivis & copioſus à fundô usq; ad cacumen altiſſimi quoq; *Trunci* continuatur.

APPEN-

APPENDIX
De Trunci-Radicibus, & Capreolis ſive Claviculis.

PArtes diſtinctivæ, ex quibus *hæc* conſtituuntur, illæ ipſæ ſunt, ex quibus *Truncus*, & nîl, niſi continuatio ~~hujus~~ harum.

Trunci-Radices duplicis ſunt generis: Alterius ſunt illæ, quæ germinant per directum deſcenſum; quarum Locus Eruptionis aliquando eſt tota longitudo *Trunci*; ut in *Menthâ* &c. aliquando ſolùm ab extremô ejus punctô, ut in *Rubô*. **Trunci-Radicum duo genera.**

Alterum genus eſt ejusmodi, ut nec aſcendat, nec deſcendat, ſed procurrat per angulos rectos cum *Truncô*, quæ licet quidem officii ſui ratione ſint *Radices* genuinæ, Naturæ tamen ſuæ reſpectû, *medium quid* ſunt inter *Radicem* & *Truncum*.

Claviculæ, quamvis unius ſolùm generis ſint, Natura tamen earum eſt duplex; non medium quid inter eam, quæ eſt in *Radice* & in *Truncô*, ſed compoſitum ex utrâq; quod in Circumvolutionibus ſive gyrationibus earum, in quibus ſæpè mutuò aſcendunt, deſcenduntq;, apparet. **Claviculæ ſunt unius generis.** Uſus Partium harum obſervatur, prout *Truncus* vel ſurſum fertur, vel repit. **Uſus utrarumq;.** In ſurſum vergente *Truncô hæ* inſerviunt ſuſtentationi & ſupplemento: Suſtentationi inſervire videmus *Claviculas Vitium*; quarum Rami dum ſunt admodùm longi, fragiles & tenues, niſi invicem mutuò combinarentur per *Claviculas*, necesſariò tàm à pondere propriô, quàm Fructuum ſuorum indecorè deprimerentur, atq; ita facilè & ſæpius frangerentur. Ut adeò omnem curam diviſam Hortulanus cum Natura habeat; Hortulanus Ligamentis ſuis Coriaceis majores Ramos defendit; & Natura minores hiſce à ſe inventis. Convenientia pro hoc ſcopô in Earum Circumvolutionibus fit manifeſta per motum peculiarem ab aliarum Partium motu: ut & per rigiditatem & robur earum, licet magis teneræ ſint, ac Rami, à quibus dependent.

Supplemento inſervire videmus *Trunci-Radices Hederæ*: dum enim admodum altè aſcendit, & arctioris conſtitutionis eſt; quàm *Vitis, Succus* ſufficienter diſtribui non poſſet ad ſummas Frondes, niſi hæ *Radici Matri* aſſiſterent. Inſerviunt tamen & hæ ſuſtentationi; unde prorumpunt, non ut in *Naſturtiis, Anagallide* &c. reciprocè in alterutrô latere, ſed communiter in unô omnes; quod ita, quâ proximè & commodiſſimè poteſt, poſſint firmari.

In Truncô repente hæ faciunt pro ſtabilimentô, propagatione & umbra.

Pro ſtabilimentô, illud obſervamus in *Claviculis Cucumerum*: horum enim *Truncus* & *Rami* longi ſimul ac ~~teneri~~ ab impetu Ventorum huc illuc iniquè projicerentur, & ita jactura fieret, tàm ipſorum, quàm Fructuum tenerorum, niſi ope horum Ligamentorum tam egregio ſtabilimento aſſociarentur.

Ut huic fini, ita & Propagationi inſervire videmus *Trunci-Radices Chamomillæ.* Unde patet ratio obſervati illius communis, quod ipſa meliùs creſcat, conculcatâ (ſc. terrâ): Terra (enim) laxior exiſtens hinc magis fit conveniens, ut incumbat dictis *Trunci-Radicibus* noviſſimè inibi, tanquam lecto, inſtratis; & hoc eſt, quod videmus fieri, quando poſt ſementem Terra cylindro inæquatur.

Pro utroq; horum uſuum eſſe videmus *Trunci-Radices Fragorum*; ut & pro umbrâ; hinc enim omnia *Fraga* videmus eſſe delicata; & idem obtineri per plantæ tractum; ita quidem, ut, quemadmodum connectere ſolemus Arborum Ramos invicem pro conſtituendâ *Pergulâ* quâdam *artificiali*; idem hoc in loco fit pro conſtituendâ *naturali* quâdam; uti ſimiliter per *Claviculas Cucumerum*: nam Rami alterius eorum per connexionem *Claviculariarum ſuarum* & alterius per conjunctionem *Trunci-Radicum* ſuarum invicem coagmentantur, & ita tenerrimi fructus hic recumbunt ſub umbra *Pergulæ* ab ipſis ſuis foliis concinnatæ.

CA-

CAPUT IV.

De Germine, Ramis & Foliis.

PArtes *Germinis* & *Ramorum*, ſunt eædem, quæ ſunt Trunci, eadem *Cutis*, *Corticale* & *Lignoſum Corpora*, *Inſertimentum* & *Medulla* huc propagatæ, & diſtinctè in iis obſervabiles. *Partes Germinis & Ramorum eædem cum Partibus Trunci.*

In Examine enim Originis *Ramorum aut Germinis* apparet, eam nequaquam eſſe à *Trunci* ſuperficie, ſed adeò profundam, ut in ſe abripiat cum *Corticali* etiam *Lignoſum Corpus*; neq; id ſolùm quoad Circumferentiam, ſed (ita ut & *Medullam* in ſe recipiat) quoad *intimas* & *centrales* quoq; *Partes* ejus. Variæ illarum communiter videntur in Medullam deferri, à quibus *Radiis* ſive *Propaginibus Germina* circumſtantia & ſuperiora ſortum ſuum trahunt; eâdem ratione, ac *Lignoſum Trunci Corpus* nonnunquam principaliter ab iis fibroſis *Propaginibus* oritur, quæ per longitudinem *Medullæ* in *Radice* feruntur.

Modus, quo communiter *Germen* & *Rami* formantur, breviter hic eſt: *Succus* (uti c. 3. diximus) aſcendens in *Truncô* non ſaltim per ejus longitudinem; ſed quoq; per latitudinem per *Inſertiones* quoad partem movetur, attamen, dum ejus Particulæ non omnes ejusdem ſunt qualitatis, in differentibus gradibus. Nonnullæ ſunt craſſæ magis & torpidæ; unde formant tantùm Circulum Ligni, ſive Annulum annuatìm: Aliæ ſunt vegetiores, & ab his propagatur *Germen*. Vigore enim proprii ſui motus à Centrô, æqualem niſum imprimunt aliquibus partium interiorum *Corporis Lignoſi* proximè *Medullæ* adjacentium, ut ſimul moveantur. Ac quoniam *Corpus Lignoſum* non eſt integrum, ſed frequenter in Partes diviſum; per iſtas diviſiones dictæ Partes interiores poſt nutritionem ſuam ipſo actu Propagines protrudunt; non tantùm verſus Circumferentiam, ita ut partem Annuli conſtituant, verùm & ultra *Modus Germinationis eorum.*

ſ magis

eam ad producendum *Germen*. Ita *Corpore Lignoſô* ſimul movente & ſecum vehente *Corticale* totâ viâ, utrumq; horum vim inferunt *Cuti*. Adhæc motus eorum dum fit æqualiter admodùm & per gradus, vis (& impetus) illa talis ſimiliter eſt; non ut efficiat minimam earum Partium labem, ſed ut modeſtè ſecum provehat eas; & ita partìm per extenſionem Partium ſuarum jam exiſtentium, velut harum quæ ſunt in aurô, dum extenditur inaurata Acicula; partìm per novarum accretionem, ut in ampliatione Bullæ in Aquæ ſuperficie, cum eis extenduntur ad extremam productionem. In quâ productione *Germen* prolongatum, atq; adeò ſingulas ſuas partes diſpandens, ſicut fit in prolongatâ *Perſpectivâ vel Teleſcopio*, hinc in *Ramum* degenerat.

Quomodo nutriantur. Eôdem modô, quô propagantur partes *Germinis*, nutritio ejus debita quoq; perficitur. Quoniam enim ortum ducit ab interiori parte *Lignoſi Corporis*, nutritur optimè fermentato *Succo* in *Trunco*, ſcilicet proximè adjacente ei, ~~qui eſt~~ in *Medullâ*. Prætereà, cum omnes ejus partes in ſua progerminatione, divaricentur à perpendiculô ſuô in lineam crucis, prout hæ & aliæ creſcunt, & invicem craſſeſcunt, ligantur & comprimuntur univerſæ à ſe invicem in Nodum; per quem Nodum filtratus *Succus* in Ramos defertur ſub debito moderamine & puritate.

Et uſus nodorum. Atq; quod Nodos concernit, ſunt hi neceſſarii adeò, ut videantur ~~mus~~ non ſolùm, ubi Rami collaterales propagantur; ſed in ejusmodi quoq; Plantis, quæ ſimplici tantum *Caule* excreſcunt; ut eſt *Frumentum*; ubi, velut Robur *Caulis* juvant, ita & per tot percolationes, quot ſunt Nodi, refinatum magis magisq; *Succum* verſus ſpicam mittunt. Ita ut duo uſus generales Nodorum ſint, quo *Caulis* firmior ſtet, & elegantius germinet.

Tan-

Tandem, ſicut debitæ *Germinis* Formationi Nutritioniq; proſpectum eſt, ita & Securitati ejus; quod tam in ejus poſitu ſuprà *Truncum*, quàm in poſitu partium inter ſe ipſas obſervari poteſt.

Poſitus partium ejus, ubi de Foliis dicemus conſiderabitur. Poſitus ejus in *Truncô* ſemper invenitur inter *Truncum* aut *Ramum ſeniorem*, & *Baſin* Pediculi *Foliorum*; quâ ratione non ſolùm ab injuriis omnium contingentium violentiarum, ſed quoq; à penetrantioribus Frigoris infeſtationibus præſervatur, dum progreſſu temporis ut in craſſitie, ita & in duritie augetur. Ratio & uſus poſitus *Germinis* conſiderati, prout poſt evadit *Ramus*, jam tum ab Ingenioſo *Dn. Sharrock* optimè obſervatus eſt; ad quem vos remitto.

Quomodo defendantur

Prolongatô ita *Germine* in *Ramum*, ejus *Folia* hinc diſtribuuntur. Quorum partes in ſubſtantiâ ſuâ ſunt eædem, quæ ſunt *Rami*: *Cutis* enim *Folii* tantùm eſt ampliata *Rami* Cutis; partìm accretione novarum, & partìm extenſione jam tum exiſtentium ejus partium (veluti dilatatio fit in conficiendis *foliis Auri*) in eam latitudinem extenſa. Fibræ vel Nervi per Folia diſperſi ſunt tantùm ramificationes *Ligni ramoſi* ſive *Corporis Lignoſi*. *Parenchyma* Frondis Nervis intertextum, & omnia, velut idem in acu pictis Gynæcei Laboribus videmus, replens, nihil aliud eſt, quàm continuationes *Corticalis Corporis*, aut partis interioris *Corticis* à *Ramô* in ipſam, quod in plurimis Plantis Fronde pingvi inſtructis facilè cognoſcitur.

Partes Folii.

Fibræ *Foliorum* neq; feruntur per *Ramum* aut *Truncum*, nec ſtant per *Scapum* ſive *Pediculum* in lineâ rectâ; ſed ubiq; vel angulari, vel circulari formâ, communiter vel Triangulum, vel Semicirculum, vel Chordam Circuli conſtituunt, ut obſervari poteſt in *Cichoriô*, *Endiviâ*, *Braſſicâ* &c. Et ſi Folium unico tantùm majori Nervo inſtructum eſt, ipſe quoq; circularem aut lunarem Figuram exprimit; ceu in *Menthâ*, aliisq;

Poſitus Fibrarum Scapi Foliorum.

Numerus horum Nervorum vel Fibrarum ſolet eſſe ternarius, quinarius, aut ſeptenarius. *Vid. Figuras à 20. ad 29.*

Ratio dicti poſitus Fibrarum in *Scapô Frondium* eſt pro ejus Germinatione magis erectâ & robore majori; quæ utiq;, ſi dictæ Fibræ in Lineâ rectâ ponerentur, & *Scapus* ipſe tàm, quàm Frondes planus eſſet, neceſſariò deficerent; ut ex eo, quod de poſitu ~~in~~ circumferentia *Trunci Corporis Lignoſi* diximus, meliùs concludi poteſt.

Uti & ſimiliter pro ſecuritate *Succi* ipſius: ex eâ enim ratione fit, quod ſingulæ Fibræ, & in ſpecie major vel media Frondis unà cum parte ſatis magnâ *Corporis Corticalis* ita diſponantur, ut promineant non ab ejus ſummitate, ſed tergô, vel planitie inferiori. Unde Folium totum retrorſum reclinatum, fit quaſi Conopeum pro iis, defendens illas ab injuriis, quibus vel à frigidiore Ventô, vel Sole calidiori aliàs vexarentur. Ita ut mutuo beneficio, uti illæ omni Frondi porrigunt Alimoniam, ita hæ rurſus protegant illas.

Cauſa viſibilis Differentiæ Formæ Foliorum.

Fibræ etiam hæ ſunt immediatè viſibilis Cauſa Forma~~tionis~~ Foliorum: Nam ſi infima Fibra aut Fibræ Scapi proportionaliter ſint majores, Folia quoq; ſunt longa, e. g. in *Endiviâ, Cichoriô* &c. Si omnes æqualis magnitudinis, magis hæc in rotundum diſpanduntur, ut in *Hederâ, Pede columbino, Tuſſilagine* &c. Et licet *Folia Lapathi* ſint admodùm longa, cujus Fibræ, non obſtante, quod magis promineant in *Scapô*, Circulum omnes unius & æqualis magnitudinis in ſitu exprimunt; peculiaris tamen Fibra in illô, in reliquarum centrô conſtituta per longitudinem Folii decurrens obſervatur.

Et cur ſint plana.

~~Reſpondente ſic ſibi~~ ſitu & forma harum Fibrarum, Folium fit planum: ~~hinc~~ eæ vel ſunt admodùm ſubtiles, vel ſi largiores, nunquam tamen integrum formant Circulum vel Annulum; ſed vel dimidium, ceu in *Borragine*, vel ad ſummum tres ejus partes, ut in *Verbaſco* eſt videre. Si verò hæ

adeò

adeò crasſæ esſent, ut posſint continere; aut integræ adeò, ut perfectè includerent *Medullam*, energia *Succi* in eâ *Medullâ* efficeret, ut dictum *Corpus Lignoſum* ad ſingula latera progerminaret, quemadmodum id facit in *Radice* vel *Truncô*: aſt dum dictæ Fibræ non integrum efformant Circulum, ſed velut aperturam faciunt; ex eô itaq; latere, ubi ſunt apertæ, nequaquam quid ex ſeipſis protrudere posſunt directè, quia ibi nihil habent, quod protrudant: & dum *Succus* ita per notatam aperturam Spiraculum quoddam liberum obtinet, contrà partem, ei è contrario inferius oppoſitam, nullum habet impetum; neq; ita ~~poteſt~~ ab hoc latere progerminare; itaq; tantùm *Germina* proveniunt eâ viâ, quâ diriguntur ab impetu *Succi*, quod tantum fit à dextrâ, & à ſiniſtrâ. posſunt

Singulæ Pediculi Fibræ omnes inoſculantur in Folio, cum variis admodùm Subdiviſionibus; prout autem hæ Fibræ ſunt inoſculatæ propè, vel circa marginem, vel directè, feruntur in marginem Folii, ille redditur vel levis, vel ſcaber. Ubi hæ Inoſculationes deficiunt, ibi non habemus *Folia*, ſed tantùm congeriem *Ramulorum*, ut in *Fœniculô*.

Plicaturæ Foliorum, harumq; Species & Uſus.

Formationes & Plicaturæ Foliorum unum habent tempus, vel ſunt opera eôdem tempore à Naturâ perfectâ; dum quodvis Folium diſtinctam ſuam figuram & ſitum proprium ſimul obtinet; & utrumq; horum eſt perfectum non in exterioribus ſaltìm, ſed in Centralibus & minutisſimis Foliis, quæ nonnunquam quingentis vicibus minora ſunt exterioribus; quod utrumq; in ſectione *Germinis* cautâ apparet.

Neq; artificium eſt majus in Figuris, quàm Plicaturis, aut Poſiturâ *Foliorum*; & utraq; competenter variant, prout hâc vel illâ ratione optimè congruunt. De Poſiturâ *quincunciali* amplisſimè per Doctisſimum *Dr. Brown* demonſtratâ dicere ſuperſedebo. Aliæ ibi ſunt, licet non adeò univerſales, æqualis tamen necesſitatis, ubi ſunt; quæ duplex Foliis commo-

modum generale largiuntur, Elegantiam & Securitatem, dum ſcilicet, quousq; eorum Formæ permittunt, minimum ſpatium occupant; atq; convenienter adeò complicatæ ſunt, ut ſint aptæ ad recipiendum ab aliis partibus protectionem, aut dandum alicui alii; ut e. g.

Primô, eſt *Sinus planus*, in quo ſita ſunt Folia omnia convexè nonnihil, aliud ſupra aliud, non tamen plicata; quod longitudini, latitudini, numeroq; Foliorum maximè reſpondet; ut in Gemmis *Pyrorum*, *Prunorum* &c. Ubi verò Folia non adeò densè ſunt inſtrata, tanquam in *Sinu dictô*, ibi adſunt *Plicaturæ*; ut in *Roſis*, *Fragariâ*, *Quinquefoliô*, *Pimpinellâ* &c. Dum enim Folia hìc complicantur, & ita dimidium ſuæ latitudinis complent ſolùm, & nonnulla horum quoq; collateraliter conjunguntur, omnium horum denſitas & dimidia latitudo, æqualis ut plurimùm ſunt dimenſionis; unde in ſemet ipſis magis in ſecuritate conſiſtunt, inq; conſortio meliori cum aliis *Frondibus Germinum* in eôdem Faſciculô. Si Folia ſunt dentata admodùm vel ſerrata, ipſam eam Duplicaturam habemus; ubi ſunt Plicaturæ diverſæ in eôdem Foliô, aut Lemniſcis Folii, ſed in ſitu diſtinctô, minores infra majores; ut in *Tanacetô* &c. Quando Folia non collateraliter ſita ſunt, ſed ſingula ſeorſim, & quando præterea ſunt verè lata; adſunt *Multiplicaturæ*; ut in *Groſſulâ*, *Malvâ* &c. dum Plicaturæ non ſolùm ſunt diverſæ in eodem Foliô, verùm & ab iisdem in continuô ordine diſponuntur, &ità Folium quodvis in quinq;, ſeptem, vel plures Plicaturas ſinuatur, eodem modo, ac ſunt noſtrarum Fœminarum Ventilabra; ubi vel denſitas Foliorum non concedit *Sinum* esſe *planum*, aut numerus exiguus, aut Fibrarum exilitas permittunt, ut *Cylindri* inſtar convolvantur. Ibi hoc obſervatur, quod nonnunquam hæc *Convolutio* ſit ſimplex, velut in *Auriculâ urſi*; nonnunquam duplex, duobus ejusmodi *Cylindris* ſive *Convolutionibus* ad ſingulam Folii extremitatem

tem

tem incipientibus, inq; mediô commiſſis. Rurſus *Convolutio* vel eſt *antica*, vel *poſtica*. Si Folium aptum natum eſt in longitudinem ut excreſcat, adeſt *poſtica*, ut in *Lapathô*, *Primulâ Veris* &c. Fibræ enim majores, cum parte *Corporis Corticalis* maximâ dum prominent à *tergô* Folii *planô*, hinc ſecuritatis gratiâ involvuntur duplici *Cylindro*, à quâ ſecuritate Folii augmentum in longitudine dependet. Verùm *Auriculæ Urſi*, *Violæ* &c. in reſpectu contrariô convolutæ ſunt ad interiora. Tandem, eſt quoq; *involucrum triplex*, ut in *Filice*; cujus laciniæ, licet omnes ad Truncum majorem convolverentur, non adeò tamen firmæ aut ſecuræ forent ab injuriis ſive Soli, ſive tempeſtatum, niſi *Convolutionibus* latitudinalibus ſuperinductæ forent longitudinales; & Caulis, ſcapusq; major hìc eandem tribueret protectionem, quæ in aliis Plantis per Folia aut alia particularia *Amicula* ſive *Involucra* contingit.

Protectiones Foliorum.

Nam ſecundum Figuram & Plicaturam cujuscunq; Folii aut *Germinis*, Protectio ejus quoq; ordinatur, cujus rei ſex viæ & rationes obſervatu ſunt, ſcilicet per *Folia*, *Superfolia*, *Interfolia*, *Caules*, *Vela*, & *Amicula*. Ut addamus ei, quod ſupra dedimus, unum alterumq; exemplum. Germen quodvis præter propria ſua Folia operitur diverſis *Panniculis frondoſis*, aut *Superfoliis*, quæ, quod ſunt Folia reſpectivè ad ſe invicem, idem ſunt ad hæc omnia: dum enim non niſi per gradus aperiuntur, non admittunt tempeſtatem, madorem, Solem vel Aërem, quò contingant Frondes niſi in gradu competenti, & prout ſenſim ſunt pro eorum receptione asſvetæ. Nonnunquam præter *Superfolia* varia *Interfolia* ſunt Frondibus interpoſita, à circumferentiâ verſus centrum *Germinis*; ut in *Corylô*: Fibræ enim horum Foliorum dum longè adeò prominent à ſuperficie plana; niſi ita protegerentur, nudæ nimis expoſitæ forent ſeveriori tempeſtati. Ubi nullum ſuperius

notatorum Tegminum convenit, ibi Foliorum membranæ per continuationem in primâ ſuâ formatione (unà cum quibusdam *Lignoſi Corporis* Fibris) extenſæ ſunt in tot *Amicula* ſeu *Involucra* aut *Venas*; velut in *Lapathis*, *Biſtortâ* &c. Nam dum Folia hîc tantùm ſunt pauca, unumquodvis verò Folium & Caulis ejus excedunt in longitudine, ad fundum, ~~ubi~~ proximum Folium emergit; ~~ſita hæc ſunt *Amicula*, dumq;~~ forma & ſitus omnium ~~talis~~ eſt, ut ~~tranſcendant omnia reliqua~~ protectionem genera, quodvis Folium proprio ſibi velo eſt inſtructum.

Uſus Frondis Utilitates Foliorum, reſpectu ſervitii ſui pro ipsâ Plantâ, puta, ſunt hæ; primò inſerviunt Protectioni, quàm, præterquàm quod ſibi invicem conferant, afferunt quoq; *Flori*, & *Fructui*. *Flori* intra ſuas Plicaturas; dum ille maximam partem generatur, & in Aërem patulum emittitur per Folia. *Fructui*, poſtquam ſunt expanſa, ut in *Fragis*, *Uvis*, *Rubis*, *Moris* &c. Quos & ſimiles *Fructus*, ſi mediatè ferirent Radii ſolares, præcipuè, ubi ſunt adhuc juniores, citò marceſcerent; verùm dum quaſi ab umbraculo, à Foliis defenduntur, radii eousq; tantùm Aërem circumdantem imprægnant, ut modeſte Fructus dictos calefaciant, & ita illorum Fermentationem & Augmentum promovent. Et hâc ratione videmus, Folia ſuperius nominata, in exceſsu eſſe majora, proportione datâ ad *Fructus*, hinc in *Pyris*, *Pomis*, &c. ubi Fructus ſolidiori teguntur *Parenchymate*, atq; ita ejusmodi protectione non indigent, communiter æquant, & ſæpê ſuperant diametrum Foliorum.

Alius uſus eſt pro Augmentatione ſive capacitate, ad expanſionem debitam & ampliationem Arboris vel Plantæ, quem præſtant ejus *Folia*. *Lignoſum* enim *Corpus* hìc diviſum eſt in Fibras tenues, hæ dum omnes per longitudinem laxi & ſpongioſi *Parenchymatis* decurrunt; hinc ſunt corpus aptum

pro

pro imbibendô *Succô* & faciliori incrementô. Dum itaq; *Succus* liberè intra Folia recipitur, hic proximè ſuccedenti in *Ramos* & *Truncum* viam parat, & horum uterq; evacuans *Succum* ex illis, aſcenſum *Succi* in Radice & ingreſſum *Succi* in ~~Matrice~~ Terra promovet. Quod ſi verò Folia non adeſſent, quæ efficerent, ut *Succus* liberè recipiatur, neceſſariò hic in omnibus partibus ad Radicem ſtagnaret, atq; ita Radice impeditâ, Fermentatio ejus aliaq; officia ceſſarent, ut & totius incrementum debitum, ceu in motu Horologii, licet terminus originis ejus procedat à Pinnâ, aptitudo tamen ejus pro continuatione ad tempus juſtum, per Rotas omnes, eſt Motus liber, & facilis Æquilibrii.

Tandem, ceu Folia inſerviunt copioſiori *Succi* vehiculo, ita & puritati magis exaltandæ: Hôc enim optimè fermentatô tàm in *Radice*; quàm in aſcenſu ſuô per *Truncum*, partibusq; ejus pro ſeparatione ulteriori præparatis; craſſiores hinc in Folia deponuntur; magis verò elaboratæ & eſſentiales tantùm diſpenſantur in *Florem*, *Fructum*, & *Semen*, tanquam conveniens ipſis Alimentum. Hinc fit, ut, ubi Flores ſunt plures aut largiores, & in quos particulæ magis odoratæ copioſè ſunt abſorptæ, Folia viridia parùm, vel nihil habeant odoris; ut in *Roſis*, *Caryophillis*, *Flore Africano*, *Periclymenô*, *Tulipis* &c. E contrario ubi Flores ſunt nulli, vel minores, Folia quoq; ipſa viridia odorem præbent fortem; ut Folia *Abſinthii*, *Tanaceti*, *Meliſſæ*, *Menthæ*, *Rutæ*, *Geranii Moſchati*, *Angelicæ*, aliorumq;.

APPENDIX
De Spinis, Pilis, & Globulis.

SPinæ duorum ſunt generum, *Lignoſæ & Corticales*. Primi generis ejusmodi ſunt, qualis *Spina alba*; & ex iisdem omnibus partibus ſubſtantialibus conſtituuntur, ex quibus ipſum *Germen*, & in proportione ſimili: quæ item in ſuâ infantiâ ita *Spinæ duarum generum.*

 diſpo-

diſponuntur, ut exprimant ſimilitudinem Foliorum diverſorum exiguorum. Affines his ſunt *Spinulæ* aut aculeatæ ſentes in extremitate virgarum Foliorum, ut *Berberum*, *Carduibenedicti*, *Geniſtæ ſpinoſæ*, aliorumq; quas omnes eſſe puto extremitates filamentoſas *Corporis Lignoſi Cuti* intruſas.

Spinæ Corticales ſunt ejuſmodi, qualis eſt *Rubus Idæus*, non à *Lignoſo Corpore*, in proportione præter ſolitum tenuiſſimâ; ſed ferè totæ à *Corticali* & *Cute* ſive à *Libro* propagatæ.

Excreſcentiæ *Spinarum* harum porrò demonſtrant id, quod à nobis *Cap. II.* eſt ſuppoſitum; ſcilicet niſum *Corporis Corticalis* proprium eſſe, ut deſcendat, ceu niſus *Corporis Lignoſi* eſt, ut aſcendat. Nam ut *Spina Lignoſa*, more partium Trunci reliquarum, in ſuô augmentô aſcendit; hæ dum ferè totæ ſunt *Corticales*, deorſum acuuntur. Uſum *Spinarum* Ingenioſiſſimus *Dn. Sharrock* obſervavit.

Pili diverſorum generum. Super Folia diverſarum Plantarum duo producta ſe videnda exhibent, *Pili* ſcilicet & *Globuli*. *Pilorum* unum tantùm genus eſt, cujus cognitionem cepimus, licet ii varient. Ordinariò ſunt læves; eoſq;, ſi ſunt teneri & denſi, ut in pluribus *Germinibus piloſis*; aut teneri & rari, appellamus *Lanuginem*. Nonnunquam tamen læves non ſunt, ſed ramoſi à fundo ad ſummitatem, ab utroq; latere reciprocè, in quâdam *Cornu Cervini* ſimilitudine; ut in *Verbaſcô*. Et nonnunquam formâ *Stellæ* apparent, ut in *Lavendulâ*, aliiſq; Foliis quibuſdam, in ſpecie in Foliis *Oleaſtri*; ubi ſinguli *Pili* à Baſi unâ continuâ rotundâ paululùm ſuprâ Folii ſuperficiem arriguntur, tandemq; Stellæ ſimilitudine, in varia, quatuor, quinq; aut ſex Puncta diſpanduntur, quæ cum Baſi dictâ perpendiculari Angulos rectos conſtituunt.

Horum Uſus Uſus *Pilorum* aut *Lanuginis* eſt Diſtinctio & Protectio. Diſtinctionis uſus ſecundarius ſaltim eſt, quando Folia excrevêre ad magnitudinem notabilem. Protectionis eſt primarius,

rius, pro quo fine ſimul cum ipſis Foliis à primo ortu formantur, & quo ſervitii genere jam in ſtatu infantiæ funguntur. *Pili* enim in eâ ætate formâ *Lanuginis* ubiq; copioſi eam protectionem tribuunt Foliis, quam eorum teneritudo exilisſima tunc requirit; ita ut videantur Folia veſtita Tunicâ villosâ, aut, ut in calidô conſerventur, vel foveantur, more juniorum & delicatorum Pullorum, Lanâ quadam.

Globuli videntur in *Atriplice*, tam hortenſi, quàm ſilveſtri; & magis conſpicuè in *Bonô Henricô*. In his, dum ferè ſupra totam Plantam excreſcunt, & ſunt grandiores, ab omnibus ſunt jam cogniti. *Globuli duorum generum.*

Obſervatio vero accurata demonſtrat, *Globulos* hos esſe naturalem & conſtantem progeniem aliarum plurium Plantarum. Et hos *Globulos*, & ſimiliter *Pilorum* diverſitatem â Doctisſimo *Dn. Hook* obſervatos jam reperio. Duorum illi ſunt generum; *Transparentes*, veluti in Foliis *Hyſſopi*, *Menthæ*, *Melisſæ*, & aliis pluribus: *Albi*, ut in Foliis *Chamædryos*, *Salviæ*, & aliis. Omnes iſti, licet nudo quoq; oculo detegantur, ope tamen vitri magis diſtincti apparent. Uſum horum eundem ſupponimus esſe, qui eſt illorum in *Flore*, de quo nunc ſumus dicturi.

CAPUT V.

De Flore.

PRoximè ad *Florem* accedimus. Partes ejus generales communisſimè tres ſunt; ſcilicet *Sepimentum*, (*ſive Calix*) *Foliatio*, & *Coma*, (*ſive Stamina.*) *Sepimentum* ſive ex uno Corpore, aut pluribus partibus conſtet, mihi dicitur Pars *Floris* extima, reliquas duas ambiens. Componitur ê partibus tribus generalibus, *Cute*, *Corpore Corticali* & *Lignoſo*; dum quævis ejus *Sudes* (ubi ſunt plures) eſt quaſi Folium minus quoddam; ut in Floribus *Cydoniorum*, quoties his accidit, ut *Sepimentum Floris diverſorum generum.*

 ſuper-

ſupercreſcant (ſive luxurient,) videre licet. Uti & in *Primulâ Veris*, Flore viridi, communiter ita dictâ, licet non adæquatè; id enim, quod videtur eſſe *Flos*, eſt tantùm *Sepimentum* magis efflorefcens, dum *Flos* ipſe eſt albus; continuatio verò partium memoratarum trium in unamquamq; *Sudem*, nullibi, meô judiciô, meliùs detegi poteſt, quàm in *Cynarâ*, quæ eſt *Flos* verus, cujusq; *Sudes* ejus ſunt amplitudinis, ut egregiè hæc omnia demonſtrent. Uti etiam, originem *Cutis* ſingulæ *Sudis* non eſſe diſtinctam à Cute reliquâ, ſed conſtituere omnes unicum (*integrum Calicem*,) in tot Plicas ſive Duplicaturas diviſum, quot ibi ſunt *Sudes*, ab extimâ ad interiores & propiores Centro.

Uſus ejus. Uſus *Sepimenti* eſt, ut ſit pro ſecuritate & vinculo duarum reliquarum *Floris* partium: ſecuritati earum inſervit, antequam aperiantur, intercipiendo omnes tempeſtatum extremas violentias; poſtea pro vinculo earum, ut in firmitudine, decenti & admodum decorô ſitu eas conſervet; dum *Flos* absq; *Sepimento* disſolutè ac neglectim dependeret.

Inde patet ratio, quare adeò variet, & nonnunquam deficiat. *Flores* quidam nullum habent, ut *Tulipæ*; hæ enim craſſa & firma Folia obtinent, & quodvis ſimiliter Folium Baſi fulcitur largâ & robuſtâ, indeq; ſibi ipſis ſunt ſufficientia. *Caryophylli*, è contrariò, non tantùm obtinent *Sepimentum*, ſed tale etiam, quod (pro majori robore) eſt integrum corpus: alias enim, dum cujusq; Folii Pes eſt admodùm longus & tener, plurima horum facilè è ſuo ambitu exciderent; ſummitas tamen *Sepimenti* ejusmodi inciſuras habet; ut eæ ſupra Folia nondum expanſa inductæ tunc ea defendant, & dum poſt ſui expanſionem *Flori* ſubſternuntur, eò melius tunc eum ſufferant & fulciant. Atq; ſi Pedes Foliorum ſunt & longi, & tenerrimè acuminati, ibi *Sepimentum* eſt numeroſum, licet è pluribus partibus conſtans; hæ tamen in circulis variis exiſtunt, & in

& in mutuô ad invicem reſpectu, (quod idem Doctisſimus *Dr. Brown* obſervat,) ut in *Jaceis*, aliisq; *Floribus*; unde, quâm commoda hæc exiſtant pro dictô uſu duplici, facilê concipi poteſt; optimeq; illuſtratur exemplo ſquamarum in Piſcibus, ad quas, ſitûs ſui ratione hæ partes non ineptam referunt ſimilitudinem.

Foliatio itidem ejusdem ſubſtantialis eſt naturæ cum Foliis viridibus; & *Membranæ*, *Pulpa*, *Fibræq;* eorum, ut ibi, ita hìc, ſunt tantûm continuatio *Cutis*, *Corporumq; Corticalis* & *Lignoſi*. **Foliationis natura.**

Plicaturæ *Floris* aut *Foliationis* variant, ut Plicaturæ viridium Foliorum; nonnullæ tamen harum differunt. Generalisſimæ ſunt; Primô, *Sinus planus*, ut in *Roſis*, & variis aliis *Floribus* duplicatis: dein *Sinus concavus*, ut in *Blattariâ*, *Flore albô*. Proximê *Plica*, ut in quibusdam Foliorum in *Floribus Piſorum*, *Coriandri* &c. quæ eſt vel ſimplex, ut in recitatis; aut duplex, ut in *Cyanô*, *Jaceâ*, & pluribus hujus ordinis. Hinc *Sinus* & *Plica* ſimul in eodem *Flore*, ut in *Calthis*, *Bellide*, & aliis omnibus formæ congeneris: ubi Foliorum in Plicas collectio primò apparet in *Sinu*: ſed ubi Folia eriguntur, ſingulum quoq; eorum obſervatur in ſeipſô duplicem Plicam obtinere. Inde, *Cylindrus*, uti in Floribus *Ladies-Bower*, ubi lata cujusvis Folii extremitas duplici *Cylindro* verſus interiora involvitur. Poſt, *Spira*, quæ eſt principium ~~*Convolutionis*~~; & apparet in Floribus *Malvæ*, aliisq;. Tandem, *Plicatura* & *Spira* conjunctæ, ubi pars analoga *Foliationi* eſt unus integer (Flos,) *Plicaturæ* ibi ſituantur, & protrahuntur per Lineas ſpirales ad extremitatem *Floris*, ut in multis, & meô judicio in *Convolvulô Doronici Folio*, elegantius videtur. Quarum omnium varietatum ratio è conſideratione comparativâ ſingularum *Floris* partium ſuggeritur. Nunc id tantùm notamus, nullum *Florem*, quantum ego quidem reperio, inſtructum eſſe *Convolutione poſticâ* ac Folia viridia, ob duplicem rationem quoniam *Florum* Folia non habent **Plicaturæ.** [cylindri]

fibras

fibras per tergum ſuum maximè excurrentes, ut habent Folia viridia; & quoniam ſemper ~~à Comâ ſuâ cinguntur~~, quod ita fieri non poſſet ope *Convolutionis poſticæ*.

am ſ. antheram tanquam in gremio fovent.

Protectiones Tegmina *Floris* communia in præcedentibus expreſſimus, *Folia* ſcilicet *viridia*, & *Sepimenta*. Nonnulli alio magis peculiari gaudent, quod eſt *Velum duplex*; uti *Crocus Vernus*. Dum enim *Sepimento* caret, & è matrice maturè erumpit, etiam ante *Folia viridia*, idq; ſtatìm in primô Vere, ne citò periret, oritur faſciatus duplici ſtragulo, ſive pari vaginarum à ſuô Tergô.

Nonnullorum *Florum* Folia circa Baſin ſuam *villoſa Capillamenta* obtinent; quæ cavitatem *Sepimenti* explent. Sunt hæc egregia admodùm & tenera, hinc Folia ope eorum in calore miti & conſtanti, ſibiq; convenientisſimo conſervantur.

Villi. Folia *Florum*, licet non planè obtegantur *Pilis*, in particularibus tamen quibusdam partibus ſæpè eleganti lanuginoſo Holoſerico ornantur: quod, dum in ſuâ figurâ & ſitu per has partes attingit delicatam & teneram *Comam*, illi hinc mitiorem & calidiorem præbet attactum. Hinc in Flore *Ladies-Bower* partes Foliorum introrſum convolutæ, & *Comæ* contiguæ, ſunt villoſæ; cum reliquæ ſint planæ & læves: ſic Flores *Piſorum Geniſtæ Hiſpanicæ*, *Linariæ*, aliiq; plures, ubi *Comam* attingunt, ſimili (quaſi) Holoſerico ornantur.

Globuli. Sicut in Foliis viridibus, ita & in *Floribus* nonnunquàm *Globuli* videntur; ut in poſticâ *Enulæ* facie. In nullo Flore apparent clariùs, quàm in *Blattariâ Flore albô*; ubi omnes ſunt transparentes, & ſimul in Caule & Foliis *Florum* erumpunt, ſinguliq; eorum ſimiliter *Pedunculum* ſuum, à quo eriguntur, oſtendunt.

Uſus Floris. Uſus *Floris* ſive *Foliationis* ejus, de quô nunc ſermo eſt, quoad ſcilicet privatum ſuum commodum, eſt protectio *Comæ*: & hic eſt inferiùs, uti *Sepimentum* ſuperiùs ejus Tegmen; uti

&fru-

& fructuum. Neceſſitas officii hujus in caſibus quibuſdam è ſitu differenti *Floris* & *Fructus*, in reſpectu ad invicem, evidens eſt; *Poma* enim, *Pyra* & nonnulli *Fructus* alii ſtant à Tergô ſive poſt *Florem*; *Ceraſa* verò, *Mala Armeniaca*, diverſiq; alii, in medio: hæc enim, tanquam Fructum tenerrimum, pulpoſum, totumq; cum partibus gemmæ frigidioribus erumpentem, Germen non poſſet defendere adverſus varietates, & extremas mutationes Aëris, (uti poteſt Fructus ſolidiori *Parenchymate* cinctos) niſi in medio Florum eſſent ſita.

Et velut *Flos* inſervit tutelæ *Fructus*, ita & ejus augmento: in illius ſcilicet infantiâ & dum eſt *Embryo*; quô fine *Flos*, ubicunq; eſt major vel minor, prout natura *Fructus*, ad quem ſpectat, & *Succi* Fructus nutritii ubertas requirit. Hinc, ubi Fructus junior ſolidioris conſtitutionis eſt, & aſcenſus *Succi* minùs copioſus, niſi adeſſet ibi *Flos*, qui aſcenſum dictum ejus promoveret ad Fructum (eâ ratione, ac per Folia frondoſa fit) neceſſariò ille contabeſceret & interiret, aut minor evidenter maneret. E contrariò, ſi *Flos* eſſet juſtò major, non tantùm aſcenſum *Succi* in Fructum promoveret, ſed dum proportionem ejus tranſcenderet, eundem *Succum* ipſe exhauriret, exemplo Nutricis avidæ, cibum pro infante præparantis, quem poſtmodùm devorat ipſa. Hinc videmus *Poma* & *Pyra* gaudere *Flore* moderatæ magnitudinis, & ſuo Corpori æqualis; mediæ conſtitutionis, *Succoq;* quantitatis mediocris: *Cydonia* verò, ſolida magis, præterquam quod habent *Florem* grandem, *Floris* quoq; *Sudes* eousq; augentur, dum fiant *Folia* elegantia, & ita continuant etiam, ubi *Flos* jam decidit, in firmitudine ac virore ad tempus ingens; quoad ipſe *Fructus* aptus ſit, ut ſibi proſpiciat. Ex aliâ parte, *Pruna* magis tenera & ſucculenta *Pomis*, *Pyriſq;*, præterquàm, quod habeant *Sudes* admodùm æquales, *Flores* tamen habent minores: & *Groſſula*, & *Ribes*,

magis pulpoſi *Fructus*, & in quibus verſus eos *Succi* impetus eſt liberior, adhuc minori ornantur *Flore*. Et *Uvæ*, quarum *Succus* aſcendit adhuc citiùs, ferè nullum obtinent *Florem*; ſed ſimilitudinem ejus ſaltìm exiguam, quæ & *Fructûs* germinationi adæquatè reſpondet duratione, nec ulterius protenditur.

Coma duplicis generis; deſcriptio prioris.

Comam ſive *Stamina* duplicis eſſe generis invenio; *Seminalia* & *Floralia*. Quæ *Seminalia* voco, è duabus partibus generalibus componuntur, *Cæpulis* & *Seminulis*, horum ſingulis ſupra illas ſitis. Hæc *Seminula* (aut *Capitula*) ſimilitudinem habent (ſpeciatìm in *Floribus* quibusdam) tot Seminum minorum; ſunt tamen omninò aliud corporum genus: Examine enim inſtitutô reperimus, hæc *Seminula*, licet videantur ſolida eſſe, & ad tempus poſt primam ſui formationem integra ſint; revera tamen eſſe cava; & horum latera, quæ primò erant integra, tandem ab invicem diſſilire: Præterea Concavum ſinguli *Seminuli* non eſt mera vacuitas, ſed quantitate particularum minutarum repletur, forma Pulveris cujusdam; quod, licet omnibus *Seminulis* ſit commune, in quibusdam tamen & particulariter in *Tuliparum*, tanquam majoribus, diſtinctiùs obſervatur.

Hæc *Seminula* nonnunquàm ita affiguntur, ut erecta ſtent ſupra ſuas *Cæpulas*, velut in *Conſolidâ Regali*. Nonnunquam, &, ut mihi videtur, communiter, ita, ut deorſùm parum dependeant, in figurâ & modô *Renis*, ut in *Malvâ*. Rima ſive fisſura eorum nonnunquàm eſt ſimplex, maximam verò partem duplex: per eas fisſuras hæc *Pulveres* ſuos diſpergunt; qui ſimul ac prominent; & intra duo rimæ labia hærent, ſimilitudinem referunt ſculpturæ in *Pomo Granato* communis, ubi ejus Semina è fisſurâ Corticis emicant: obſervari hoc debet tunc, cum fisſuræ adhuc ſunt recentes, hoc eſt plerumq; ante *Floris* expanſionem.

Parti-

Particulæ *Pulverum* horum, licet ſimiles ſint Farinæ, aliivè Pollini, non tamen facilè videntur regularem obtinere figuram; accuratâ tamen obſervatione, & in ſpecie ope vitri mediocris apparet, eſſe eos nihil aliud, quàm congeriem tot *Globorum*, aut *Globulorum* perfectorum: Id, quod eos adeò reddit obſcuros, eſt eorum exiguitas. In *Braſſicâ caninâ ſilveſtri*, *Borragine*, aliisq; plurimis Plantis extremè ſunt exigui. In *Malvâ*, aliisq; quibusdam viſui magis apparent.

Nonnulli *Pulverum* horum ſunt flavi, ut in *Braſſicâ caninâ ſilveſtri*, *Galegâ* &c. quidam alius coloris: plurimi verò eorum, ut mihi videntur, ſunt albi; & ii, qui ſunt in *Hyoſcyamô flavô*, admodùm elegantes; expenſi eorum *Pulveres* nudo oculo candidi adeò apparent, ceu Nix: ſed quivis *Globulorum*, per vitrum videtur transparens, ceu Cryſtallus; quod non à fallacitate vitri deducendum, ſed idem contingit in quibuscunq; corporibus transparentibus ex pulvere aut exiguis particulis congeſtis.

Coma florida communiter cognoſcitur ſub cœco & rudi nomine Villi, ut in Floribus *Calendulæ*, *Tanaceti* &c. Impoſitio illius quàm ſit adæquata, ex obſervatione conſtare poteſt: ſinguli enim Villi aut potius *Stamina* (ac *Filamenta*) quibus componitur *Coma*, licet quidem in variis *Floribus* differant, in eô tamen conveniunt, quod ~~nunquam~~ componantur ex pluribus, quàm unâ, nonnunquam duabus, & maximam partem tribus partibus (propterea mihi dicuntur *Stamina*) & unaquævis pars differentem, convenientem tamen & concinnam obtineat formam. *Deſcriptio poſterioris.* | ſemper

Exterior pars cujusvis *Staminis* eſt ejus *Floſculus*, cujus *Corpus* ſive *Tuba* circa extremitatem (in ſimilitudine *Floris Paralyſeos*) dividitur in diſtincta plura *Folia*; ita ut *Floſculus* ſit *Floris* epitome; & eſt omnis is *Flos*, quò variæ Plantæ, ut *Artemiſia*, *Tanacetum*, aliæq; ornantur. Quod Doctisſimus *Dr. Brown* circa

 nume-

numerum quinarium in Foliis *Flôrum* obſervat, magis univerſalis obſervationis eſt in Foliis *Floſculi*.

Poſt expanſionem *Floſculi* proxima pars *Staminis* ex interioribus Tubæ ſuæ viſui apparet; quam (in reſpectu ejus, quod intra eam continetur) vocabimus *Vaginam*: hæc enim æquê ac *Floſculus* eſt corpus concavum; figurâ ſuâ admodùm benè referens fiſtuloſas *Perulas* ſive *Capſulas Ari* vel *Dracunculi*.

Poſtquam poſt aliquod tempus *Vagina* ad ſuum cacumen dividitur, ex interioribus ejus tertia & intima pars *Staminis*, *Enſis* ſcilicet emergit & explicatur. Pars illa non eſt cava, more duarum reliquarum, ſed ſolida; ad ſuam tamen cuſpidem, non originaliter, ſed aliquantò poſt ut plurimùm in duas dimidietates diſpeſcitur.

Intrà dictæ Cuſpidis aperturam, æquê ac in apertione *Seminuli* apparet *Pulvis Globulorum*, qui antè intrà ejus fisſuras erat reconditus; ſuntq; hi *Globuli* ejusdem naturæ cum *Globulis Seminuli*, quamvis non adeo copioſi: ita ut omnibus *Floribus* ſuus ſit *Pulvis*, & *Globuli*. Tota *Coma* in *Jaceâ*, *Cyanô* &c. obſervari poteſt.

Horum Uſus Uſus *Comæ*, licet à nobis forſan contemnatur & deſpiciatur, certe ingens eſt. Et quamvis pro uſu noſtro proprio Folia *Florum* aut *Foliationem* maximè æſtimemus, inter reliquas tamen partes tres, hæc certo reſpectu eſt ſelectisſima, veluti cujus gratia & ſervitio ambæ reliquæ ſunt factæ. Uſus ejus quoad ornatum & diſtinctionem extra dubium poſitus eſt; non tamen is eſt omnis aut ſolus. Quoad diſtinctionem e. g. licet hæc ope vitrorum admodùm protendi queat, intuitu tamen ſuperficiali, quo omnes communiter utimur, non adeò commodè obſervatur. Quoad ornatum, in ſpecie reſpectu *Seminulorum* quæſtio esſet; an pro hoc fine ſolùm esſet facta? Et dein, cur ita esſet conſtituta, ut tandem diffringatur, aut aliquid intra ſuum ambitum concludat? Ipſius enim venuſtas

æquè

æquè foret concinna, quamvis non eſſet cava, imò pulchrior eſt, antequam findatur *Coma*, ac eſt, ubi jam rupta eſt.

Uſus ergò præterea alius nobis cognoſcendus eſt & obſervandus, isq; eſt pro Victu; pro ornatu, & diſtinctione, quoad nos; pro Victu, quoad alia Animalia. Non adſtruam hìc, an & eadem inſerviat Animalibus pro diſtinctione, ut ea ſint apta Plantam unam ab alterâ diſcernere, & in ſuo volatu, aut progreſſu ibi conſideant, ubi ſunt *Flores* ejus ſpeciei optimi; adeoq; hinc varietates partium harum tenuium ſint diverſæ, & ab his obſerventur, licet nos eas ignoremus: ſelectus tamen Victus fit ſaltìm reſpectu fruitionis: illum, quo magno Animalculorum numero eſſet proſpectum, in omnium *Florum Comis* factum eſſe, obſervationibus perſvademur, ut credamus. Cur enim aliàs hìc adeò frequenter reperiuntur? Ordine Florem à Flore conſidera, à majoribus ad minimos, nullum offendes ab his Hoſpitibus non obſesſum. In quibusdam, ſpeciatìm in *Flore Solis*, ubi *Comæ* partes, & *Animalia*, quibus hæc proſpicit, ſunt grandiora, res hæc magis eſt conſpicua. Cogitandum haud eſt, DEUM Omnipotentem reliquisſe quampiam è totâ Creaturarum Familiâ, cujus necesſitatibus non providerit; ſed velut maximus Promumcondum hinc & inde pro omnibus diſtribuisſe cibum; isq; pro ingenti Turbæ hujus exiguæ copiâ ut ſufficeret, penum ipſi exſtruxisſe in *Florum Comis*; ut ita *Flos* quivis fiat Diverſorium & Cœnaculum, dum in quòvis utrumq; reperiunt.

In quônam conſiſtat ea diſtinctio, ut partes ſpeciales *Comæ* hæ huic, illæ alii Animali magis competant, explicare nequeo: aut cui bono ſpeciatìm in unô eôdemq; Animali deſtinentur, e. g. in *Apibus*, utrum hæc pars inſerviat pro conficiendo *Melle*, altera pro *Nutrimeno Apis*, & tertia pro *Cerâ*: an tantùm omnes hinc *Succur* quendam exſugant; aut an non quædam partes quasdam, ut ex *Globulis*, totas ſecum auferant:

aut tandem, quis ſit primarius & privatus *Comæ* uſus (ipſe enim ſuprà tactus, licet ſit ingens, ſecundarius tamen ſaltim eſt) nunc determinare non licet.

CAPUT VI.
De Fructu.

Compoſitio omnium *Fructuum* generalis eadem eſt, h. e. *Partes* eorum *esſentiales* & verè *vitales* in omnibus ſunt eædem, & continuatio ſaltim Partium earum, quas in reliquis *vegetabilis* Partibus jam tùm annotavimus: quia tamen ob conſtitutiones Partium harum & Tincturas diverſas conſideratu digna reſultat differentia *Fructuum*; ideoq; in ſpecie perluſtrabimus magis notos & principales *Fructuum*, *Mala* ſcilicet, *Pyra*, *Pruna*, *Nuces* & *Baccas*.

Numerus, Deſcriptio, & Origo Partium Pomi.

Malum transverſim disſectum, componi videtur è Partibus quatuor diſtinctis, *Cute*, *Parenchymate*, *Ramificatione* & *Pericarpio*. *Cutis* eſt tantùm extenſio & dilatatio *Cutis*, aut Partis extimæ *Libri* in Ramis. *Parenchyma* ad maturitatem juſtam deductum, eſt *Caro* tenera & delicata: verùm ſicut *Cutis* eſt tantùm continuatio Partis extimæ *Libri*; ita hoc eſt tantùm continuatio & ampliatio, aut (uti appellari debet) intumeſcentia & luxuriatio Partis *Libri* interioris; quod per obſervationem ſpeciatim in *Malo* recenti & tenellô evidenter liquet. Uti videmus *Pulpam*, quæ ſæpe eſt dura, in variis *Radicibus*, ut *Paſtinacis*, *Rapis* &c. eſſe teneram & eſui aptam: ita hìc *Parenchyma*, quamvis originaliter nihil ſit, niſi *Liber*, dum tamen ubertas & puritas ſui *Succi* æquè eſt idonea pro complendo & perficiendo ejus augmento, hinc evadit mollis & tenera *Caro*. *Ramificatio* nihil aliud eſt, quàm Ramificationes *Lignoſi Corporis* per omnes *Parenchymatis* Partes; ubi majores Rami per minorum *Inoſculationes* æquè (ac in *Foliis*) invicem uniuntur.

Majo-

Majores Rami ut plurimùm ſunt quindecim; decem eorum diſperguntur & diſtribuuntur per *Parenchyma*, omnes arcuatìm procedentes verſus *Aream ſubeream* aut *Sedem Floris* ſive *Umbilicum*; reliqui quinq; à *Caule* procedunt in Lineâ rectâ, demùm cum ſuperioribus ad dictam *Aream* concurrunt, & ibi cum iis inoſculantur. Hi quinq; oriuntur ab unô; qui per longitudinem Centri in *Caule*, & Partem *Parenchymatis* in *Fructu* percurrens, ibidem tandem dividitur. His annectuntur firmè Loculi *Nucleorum*; ita ut, cum hi Rami à principiô omnes ultrà *Fructum* quoq; protenderentur, & insererentur *Flori* pro ejus juſto augmento; ubi tamen poſteà *Fructus* ad aliquam maturitatem perducitur, & ita intercipit aut ſuffuratur Alimentum *Floris*, hic moriatur, & hinc Rami *Fructui* poſtmodùm inſerviant, decem pro ejus *Parenchymate*; & quinq; pro *Semine*. *Pericarpium* oritur à *Medullâ*, dum enim *Succus* ſatis ſpatii intrà *Parenchyma* invenit, per illud, ut ad exteriora diſpenſetur, relinquit *Medullam*, & hinc indureſcit in *Pericarpium*. Ità videmus in *Inſertionibus*, licet oriantur à *Corpore Corticali*, earum tamen Partes per *Inoſculationes Corporis Lignoſi* adeò arctè comprimi, & effici, ut invicem coincidant, & ità fieri corpus juſtè compactum & denſum. In *Librô* eundem quoq; videmus effectum ſaltìm per *arefactionem*, aut meram *Succi evacuationem*; cujus *Pars interior*, licet ſit mollis & ſucculenta, *Cortex* tamen ejus ſuperficialis ſæpè durus adeò eſt, & lævis, ut poſſint ei venuſtæ litteræ inſcribi.

In *Pyrô* quinq; ſunt Partes diſtinctæ; *Cortex*, *Parenchyma*, *Ramificatio*, *Corpus ſabuloſum*, & *Acetarium*. Priores tres hìc ſunt admodùm ſimiles *Malorum*; niſi quod hìc *interiores*, aut *ſeminales Rami*, ſint ordinariè decem. *Corpus ſabuloſum*, quod maximè obvenit in *Pyris* conſtringentis ſaporis & ſucci, eſt *congeries* exiguarum arenularum; nonnullæ harum per totum *Parenchyma* diſperguntur; ubi tamen ſe propiùs contingunt, & compingun- Pyri.

guntur verſus *Pyri* centrum; *Acetarium* ibi in globulari nonnihil formâ cingunt. Juxta *Petiolum* magis ab invicem diſtant; verſus *Umbilicum* verò ſive *ſedem* (vel aream aut baſin) *Floris*, arctiùs in ſuô incrementô compinguntur, atq; ibi tandem (ferê) in ſoliditatem *Nuclei Prunorum* congregantur. In medio hujus ſitum eſt *Acetarium*, eſt ſaporis acidi, &, ob vinculum *Corporis ſabuloſi*, figuræ *ſphæricæ*. Eſt Corpus ſimplex, cui nihil quicquam de *Corpore Lignoſô* inſeritur, & quod nullos obtinet nodos. Ejusdem eſt naturæ & ſubſtantiæ cum *Parenchymate*; utrùm verò abſolutê idem ſit cum illô, an immediatè à *Medullâ* derivetur, inquiſitiones meæ hactenus non decidunt.

Originem *Corporis ſabuloſi* me oblitum fuiſſe, ut adducerem, puto: poteſt tamen hìc optimê de eô fieri mentio, quod, cùm omnes Partes reliquæ ſint esſentiales, & verê *vitales*, *Corpus ſabuloſum* non ſit ejusmodi; ſed quod ſinguli ejus nodi, è quibus conſiſtit, ſint tantùm tot mera concrementa, aut *Præcipitationes* è *Succo* factæ; ut idem in *Urinis*, *Vinis*, aliisq; *Liquoribus* ſæpê videmus. Atq; quod ea *Præcipitatio* fiat per mixturam & reactionem Tincturarum *Corporis Lignoſi* & *Corticalis* invicem: æquê ac omnis *Nutritio Vegetabilium* aut Partium *fixatio* quoq; efficitur effectu utriusq; hujus Tincturæ conjunctô, quemadmodum dictum eſt. Inde obſervamus *Acetarium*, ſicut nullos Ramos à *Corpore Lignoſô* accipit, ita nec habere ullos nodos. Inde ſimiliter eſt, quod ſentimus differentem adeò & contrarium ſaporem in *Parenchymate* ultra *Corpus ſabuloſum*, ab eô; quem ſentimus in *Acetariô*; nam, ut hoc eſt acidum, illud, in quô dicta ſit *Præcipitatio*, eſt dulce; & effectus admodùm ſimilis exiſtit ei, quem obſervamus in mixturâ *Ccralliorum* &c. cum *Aceto*, aut aliô quôdam *Liquore acidô*.

Pruni. In *Prunô* (cui *Ceraſa*, *Armeniaca*, *Perſica*, *Juglandes* &c. annumerari convenit,) quatuor diſtinctæ Partes ſunt: *Cutis*, *Parenchyma*, *Ramificatio*, & *Nucleus*, ſeu Lapis. *Cutis* & *Parenchyma*, quoad origi-

originem cum iis, quæ ſunt in *Malis* aut *Pyris*, ſunt æqualia: uti & *Ramificatio*, niſi quod Rami in differentiâ quâdam diſpergantur. In *Prunis* (omnia *ſubintelligo*) quinq; majores *Rami externi* ſunt, qui per longitudinem ſuperficiei *Nuclei*, à *Baſi* ad ejus extremitatem, feruntur, quatuor eorum per unam ſeriem, & unus per alteram iſti oppoſitam. In *Armeniacô Pomô* idem eſt numerus, ſed ſinguli Rami non decurrunt per ſuperficiem, ſed per Corpus *Nuclei*. Sunt & ibi duo, vel tres Rami minores, qui eôdem modô feruntur ſub alterâ ſerie ad ſpatium quoddam, & hinc in *Parenchyma* illati, ibidem diſperguntur: ultimum hoc genus in *Malis Perſicis* per omnes Partes numeroſum eſt: non obſtante tamen differenti *Ramorum Fructuum* notatorum ſitu; unus occurrit *Ramus* in omnibus his unô eôdemq; modô conſtitutus. Hujus introitus eſt ad *Baſin Nuclei*, unde ipſius Corpus pervadens, & tandem inclinans, aut vergens verſus ejus concavum, ſupra ejus conum tandem emergit, ibi, ubi Cuticulæ ſeminales iis appenſæ ſunt. De *Ramô* itaq; *ſeminali* obſervatur, eum, poſtquam intra *Fructum* jam eſt delatus, ſemper ibi in longitudinem notabilem prolongari; ut videre eſt non in *Malis* ſolùm &c. ubi Semen diſtat notabiliter à *Petiolô*; ſed etiam in *Prunis*; ubi id proximè ad *Petiolum* ſitum eſt: quoniam hìc *Ramus ſeminalis*, uti dictum eſt, nullibi per *Nucleum* in *Veſiculas Seminis* directè fertur, ſed ſupra ejus Conum aut finem remotiorem. *Nucleus* licet videatur Corpus ſimplex, componitur tamen è nonnullis differentibus: interior ejus Pars, uti ſanè eſt tenuiſſima, ita eſt maximè ſolida, alba, lævis & ſimplex. Origo ejus à *Medullâ* procedit; & eſt obſervatu difficilis, quamvis curioſa: *Ramus* enim *ſeminalis*, non directè, planè & immediatè per *Baſin Nuclei* defertur, ſed eâ ratione, quam ſuprà deſcripſimus, magnam Partem *Medullæ*, circumcirca ſibi ſuperinductæ, tanquam *Parenchyma*

ſuum, longitudinaliter ſecum trahit, quæ poſt ſuum introitum, in concavum *Nuclei*, ſupra extremitatem ulteriorem, ſpeciatìm ibi ſuperintegitur, tanquam ejus Linum. Exterior, & multô craſſior ejus Pars, partìm conſiſtit ex ſimilibus *Præcipitationibus* ſive particulis concretis, ut in *Pyro*; hìc enim magis arctè compinguntur, ita ut non ſaltìm ſe contingant, ſed in lapillum integrum coaleſcant; uti in ipſis *Pyris* videmus, ſpeciatìm verſus *Umbilicum* eas compingi in ſimilem quaſi lapideam duritiem; aut quemadmodum cernimus *Lapidem mineralem* vel *animalem* ſæpius eſſe productum ſabuli cumulati: ſed velut *Parenchyma* cum concretione iſtâ miſcetur in *Corpore ſabuloſo*, ita & cum hoc in *Nucleo* fit, quamvis non viſibiliter, dum fundamentum *Nuclei*, perfectum *Parenchyma* ubiq; eſt, ſed quod per concretiones dictas eouſq; alteratum eſt, ut fiat aridum, durum, & ab illis indiſtinctum.

Nucis. In *Nuce* (cui *Glandes* ſunt analogæ) tres Partes in genere ſunt; *Cortex viridis*, *Putamen*, & *Medulla*. *Cortex viridis* componitur ex *Cortice*, & *Parenchymate* à *Librô* derivatis, itemq; *Ramulis* à *Lignoſô Corpore Ramorum*. *Putamen* ſimiliter ſimplex Corpus non eſt, ſed compoſitum. Pars ejus ſuperficialis originem ducit à *Cortice*, vel *Cute Corticis viridis*, ab interioribus ejus, ubi in duplicaturâ quâdam producitur, & *Putamini* ſuperinducitur: quod, ſi *Baſin Putaminis* inſpiciamus, evidens ulteriùs fit; hæc enim dum eſt continua cum *Parenchymate Corticis viridis*, niſi interpoſita eſſet *Cutis*, Pars dicta ſuperficialis ibi deficit. Pars *Putaminis* craſſior & interior ex eôdem *Parenchymate*, ex quô conſtat *Cortex viridis*, conſiſtit, dum repletur congerie quâdam *Præcipitatorum*, quaſi in lapillum. Et quemadmodum *Corpus Lignoſum* in lapillum abit, ita, cum quâdam differentia, in *Putamen*. *Rami* ſive *Ramuli exteriores* ſunt numeroſi, quivis eorum è *Parenchymate Corticis viridis* egreditur, & *Putamen* ad circumferentiam *Baſis* ejus ingreditur, ac ita intra ejus ſuperficiales

ficiales & interiores Partes verſus ejus *Conum* in ſphæram progreditur. *Ramus interior* aut *ſeminalis* eſt ſimplex, intrans, ~~non~~ more reliquorum, non ad *Baſin*, ſed ad *centrum Putaminis*; unde defertur, non per *Putamen*, ut in *Prunis* per *Nucleum*; ſed per *Medullam*, ad *Conum* usq;, cui appenſæ ſunt *Cuticulæ ſeminales*. *Medulla* utrum ab eâdem Parte, & quoad nomen, & quoad naturam, in *Ramo* & *Petiolo* derivetur, aut à *Corpore Corticali*, jam non decido.

Uva, ut *Groſſula* (quo *Ribes*, *Uvæ Vitis*, *Hipps* &c. referendæ ſunt) præter *Semen* conſiſtit è Partibus tribus generalibus, ex *Folliculô*, *Parenchymate* & *Ramificatione*. Folliculus originem eandem habet, quam habet in Fructibus præcedentibus. *Parenchyma* duplex eſt, uti & in aliis quibusdam *Baccis*: exterius communiter, una cum *Folliculô* vocatur *Cutis*, & eſt Pars ea, quam ob ſaporem ejus acidum exſpuimus. Uti *Folliculus* ab exteriori oritur, ita hoc ab interiori *Libri* Parte; & Pori ejus congruenter obſervantur, & æquè in formâ convenire cum iis, qui tàm in *Corpore Corticali*, quàm in *Medullâ* occurrunt. *Interior* eſt ſaporis dulcis, eſtq; ea Pars, quam comedimus: eſt ea conſtitutionis adeò laxæ & teneræ, ut videatur quaſi tantùm eſſe ſuccus ſpisſior, aut gelatinoſus; licet & ea ſit *Parenchyma* verum, ſimile aliquatenus ei, quod eſt in *Malô Aurantiô* vel *Limoniô*, intra ſuos Poros Liquore quôdam refertum. *Ramificatio* itidem duplex eſt: *Exterior* inter *Folliculum*, & *Parenchyma* exterius per lineas arcuatas fertur à *Pediculo* ad *Sedem Floris*. Hi Rami exteriores, licet numerus eorum circa *Pediculum* variet, ad *Coronam* tamen ut plurimùm ſunt principales decem; quinq; pro quinq; *Floris* Foliis, & quinq; pro *Cæpulis*. Rami majores interni ſunt duo, è diametrô ſibi invicem oppoſiti, & ad *Coronam* cum reliquis inoſculantur. Ab his duobus alii minores Rami egrediuntur, quorum ſinguli appenſum habent *Semen*, cujus *Cuticulas* duplici Filamento, altero ad *Baſin*, altero

Uva. (Sedem floris se umbilicum

ad *Conum* ingrediuntur. Sunt hi omnes egregiè candidi, & turgentes, & per lentam diſſectionem concavi eſſe deprehenduntur; in analogâ ſimilitudine apparentes, quâ ſunt quaſi tot *Vaſcula* genuina *ſpermatica*.

Uſus Fructus. Uſus *Fructuum* eſt pro *Hominibus* (nonnunquam & pro aliis *Animalibus*, uti *Glandes*, *Cynosbati*, & pro *Semine*. Hominibus adeò deſiderabiles ſunt, ut, donec noſtra Pomaria, & Repoſitoria, Penus *Conditorum*, & officinæ *Pharmaceuticæ*, noſtri Gynæcei conclavia, menſæ aut manus iis vacuæ deprehendantur, in uſum eorum inquirere opus non habeamus. Si quæritur, quomodo *Fructus* generatìm, ſuper omnes Partes reliquas, Cibus fiat adeò delicatus? Partìm id efficitur à *Succô*, cujus Pars craſſior in Foliô deponitur, purior autem pro hoc reſervatur; partìm à figurâ *Fructus* ſphæricâ; *Succus* enim usq; in quantitate majori huc, & in partes omnes æqualiter diffunditur, inde ejus concoctio maximo cum emolumento hic fovetur & promovetur. Quare *Fructus* omnes, quibus crudis veſcimur, quàm exiles etiam ſint, omnes figuræ ſunt globoſæ, aut ei accedunt; & quò propiores ipſi, eò delicatiores; inter *Poma*, illa *Peppin* dicta; inter *Pyra*, *Burgundica*; inter omnes *Fructus*, *Uvæ Vitis*; & inter has, rotundiſſimæ omnium ſunt delicatiſſimæ.

Cauſa hujus figuræ ſphæricæ evidens eſt *Flos*; ſive Inoſculatio omnium Ramorum majorum ad *Coronam*, & poſtquam *Flos* decidit, obtuſa extremitas eorum, & quaſi à ventô & Sole ubiq; obſignata: ita enim *Succus Fructum* ingreſſus non eſt aptus, ut rupturam ſive ſolutionem continuitatis efficiat, aut ut dictos Ramos ulterius protrudat, & eorum incrementum longius educat; Rami hinc iſti neceſſariò arcuantur, & cum *Parenchymate* ſe magis magisq; expandunt. Si enim aliter, atq; dictum eſt, diſpoſiti eſſent & figurati, ſtatim in primâ *Fructûs* formatione intrà vincula, excurrerent, ubicunq; daretur elabendi

bendi locus, & ita in aliam Arbuſculam ſive Frondem extenderentur.

Pro *Semine Fructus* inſervit; Primò, eâ ratione, ut illud convenientisſimo & decenti *Succo* repleatur, dum major, minusq; elaborata *Succi* Pars in ſuo verſus *Semen* excurſu ab hoc intercipitur; & *Fructus* idem *Semini* præſtat officium, quod *Fructui* præſtabant *Folia*; *Succus* enim in *Fructu*, (ut Simili utamur laxiore) eſt, quaſi *Vinum*; *Succus* autem *Semini* debitus, eſt Pars exilis Spiritus Vini ſummè rectificati.

Ità & ut illud protegatur, eâ nempe ratione, ut feliciter protendatur generatio ejus & perficiatur, & ſecuritas tandem conſummetur. Quam tutelam non *Succo* ſolùm ſeminali & ipſi *Semini* confert, ſed ſemper quoq; *Ramis* ejus *Seminalibus*. Hinc videmus *Pomum*, præterquam quod gaudeat ambitu amplô, *Seminis* tamen ſui causâ quoq; inſtructum esſe *Pericarpio*: tanquam esſet inſufficiens, parietes ejus circumferentiæ adeò robuſtos esſe, niſi quoq; ità muniretur. In *Pyrô* rurſus, ubi *Parenchyma* minori ambitu circumſcribitur, quâm in *Pomô*, ei protectioni, quam hoc affert, illa additur, quam præſtat *Corpus ſabuloſum*. Sed in *Prunô*, ubi *Parenchyma* excedentis eſt teneritudinis, & in *Malô Perſicô*, quæ longius pendent, & ad ingruentia usq; Autumni frigora, non tantùm rudera adſunt *Corporis ſabuloſi*, ſed quoq; Murus quaſi lapideus firmus. Cui non tantùm *Semen* ipſum, ſed *Seminales* quoq; *Rami* incluſi ſunt. Tandem, in *Nuce*, ubi *Putamen* non ſuccingitur *Parenchymate*, & hâc protectione ab extra caret, ſuppletur illa *Medullâ* interiori amplâ; ſimiliter *Ramus Seminalis* non tantùm Corpori *Putaminis* includitur, velut in *Prunô*, ſed in ipſa *Medullâ*. Tantæ necesſitatis eſt hoc opus, ut idem, quod Gallina Ovo vel Pullo incubatione vel fotu ſuo præſtat, *Fructus* totus rationabiliter ſit *Semini*.

CAPUT VII.

De Semine.

UTi Origo, ita ultimatus finis & perfectio *Vegetationis* eſt *Semen.* Quâ ratione ſit origo, & in ſtatu ſuo pro *Vegetatione* idoneum, jam tum vidimus. Ut eſt finis, & in ſtatu generationis ſuæ, nunc demum examinabimus. Quod dùm faciemus, quod in altero ſtatu vel nondum diſtinctè exiſtebat, vel non adeò apparenter, aut non adeò ſenſibile erat, occurret.

Capſula, ejus Figuræ.

Duæ Partes generales *Seminis* ſunt: Ejus *Integumenta* & *Corpus.* *Integumenta* hoc in ſtatu ſunt quatuor: extimam vocabimus *Capſulam*; Forma ejus admodùm variat; nonnunquam eſt quaſi *Perula*, ut in *Naſturtio*, *Cochleariâ*; nonnunquam *Siliqua*, ut in omnibus *Leguminibus*, *Galegâ*; nonnunquam non integra, ſed partita, aut alio modo aperta, ut in *Acetoſâ*, *Polygonô*, cum formis aliis variis, magis ſemper, ut mihi videtur, heterogeneis à formâ *Seminis*, per quam differt à propriis *Capſulis*. Cum his *Nucum Theca*, & Fructuum *Parenchyma*, analogiam habent.

Proximæ duæ propriè ſunt *Capſulæ*: in ſpecie in *Fabâ* & ſimilibus; unde pro vitandâ confuſione, denominationem, ad correſpondentia aliorum *Seminum* integumenta, communiter devolvemus. Color extimæ per omnes gradus ab albô ad nigrum *Gagatis* progreditur: Figura ejus nonnunquam eſt, quaſi *Renum*, ut in *Alcæâ*, *Been*, *Papavere*, Triangularis, ut in *Polygonatô*, *Acetoſâ*, Triangulo-Sphærica, in *Menthâ*, *Meliſſâ*; Circularis, in *Leucoiô*, *Amarantho*; Globularis, in *Napô*, *Aſperulâ*: Ovalis, in *Speculô Veneris*, *Tithymalô*; Hemiſphærica, in *Coriandrô*; ubi id, quod unum ſimplex *Semen* rotundum eſſe putamus, conjugatio duorum eſt; Semiovalis, in *Aniſo*, *Fœniculo*; Acuminata, in *Lactucâ*; Cylindrica, ut, niſi erro, in *Jacobæâ*; Pyramidalis, in *Geraniô*,

ranio, Althææ Fol. cum multis differentiis aliis: Perfectio autem unius aut duarum figurarum dictarum ſita eſt in *Capſulâ:* ita ut, ſicut omnes Lineæ & Proportiones in *Floribus* occurrunt, ita omnes Figuræ regulares in *Semine*, aut potius ejus *Involucris*.

In quibusdam ſplendet, ut in *Speculo Veneris*; incruſtata Superficies eſt in *Catanance*; Bullata, in *Been, Blattaria*; Favoſa, in *Papa-* varia. *vere, Antirrhino, Lepidio Annuo, Alcæâ, Veſicariâ, Hyoſcyamo*, & pluribus aliis, antequam *Semina* totam ejus longitudinem expleant, Conciſa, in *Phalangio Cretæ, Lithoſpermo*; Ramoſa, in *Pentaphyllo fragifero, Erecto Majori*, ubi ſimilitudine aures Cervi refert; nonnullæ verè *Quinquenerves* ſunt, ut in *Aniſo*, & aliis pluribus, in quibus *Lignoſum Corpus* in Fibras magnas quinq; dirimitur.

Involucra non tantum *Seminis Cydoniorum*, & *Pſyllii* (quod vulgò conſtat,) ſed & *Hormini, Naſturtii, Erucæ, Camelinæ, Ocymi* & aliorum nonnullorum mucilaginem habent, quæ licet non videatur, ubi *Semen* exaruit penitùs; cùm tamen hæc ad tempus in Liquorem quendam calidum immittuntur, aut tantùm Lingvæ ſuperimponuntur, magis vel minùs intumeſcit, & ſupra his omnibus pulcrê ſe videndam exhibet. In *Semine Ocymi* candida apparet; in reliquis, transparens; & in *Naſturtii Hortenſis Semine* in magnâ copiâ, æmula admodùm Pulpæ ~~illius~~, interioris quæ circumdat *Semen Grosſulæ*. ~~Mucilago hæc *Seminis Hormini* in uſum vocanda esſet, ut oculis imponatur, ubi Medicinam ſolùm præbet.~~ Hucusq; de *Superficiebus*. Mucilagines.

Natura ~~*Capſulæ*~~ tunicæ externæ eſt varia, *Membranoſa, Cartilaginea*, & *dura ſive lapidea*; dùm ſimiles *Præcipitationes* hìc nonnunquam fiunt, ac in Lapillô vel Putamine, ut in *Semine Carthami, Lithoſpermi*, aliisq;. Finis ejus, vel eſt reſpectu *Seminis* in ſtatu ſuæ *Generationis*; ubi, cùm ~~Capſula~~ tunica planè deficit, vel per ſe demum eſt inſufficiens, ejusdem debitæ tutelæ & calori proſpicit; aut in ejus ſtatu *Vegetationis*, pro *Fermentatione* meliori Natura Capſulæ exterioris.

Tinctu-

Seminis hormini in oculum impositio in usum deducta esse potuit ob hanc mucilaginem, per quam solam potest esse medicamentosum.

Tincturarum ejus & *Succi*; dum quorundam *Seminum Fermentationes* non benè procedunt, niſi in ſuis vaſculis lapideis in Terrâ reponantur, velut Liquores Phialæ incluſi (Bottled Liquors) in Arena.

Exteriores omnium *Seminum Pelliculæ* ſunt apertæ; ſive *Foramine* particulari gaudeant, ut in *Fabis*, aliisq; *Leguminibus*, ceu diximus; ſive cùm *Semen* à ſuô pedunculô ſive ſede avellitur, in *Cucumeribus*, *Cichoriô*; ſive ad ingresſum & tranſitum *Rami* vel *Ramorum*, non in concavum ejus ſaltim proximè juxta Conum, ſed etiam per ipſum Conum; ut in *Putaminibus* & *Nucleis*.

Ratione hujus aperturæ fit, quod *Glandes*, *Nuces*, *Fabæ*, *Cucumeres*, & plura alia *Semina* in ſuâ formatione, diſponantur ità, ut proximè ipſi adjaceat *Radicula* ſemper; ut pôſt *Vegetationem* obtineat tranſitum liberum & paratum in *Terram*.

Ejus Origo. Origo *Capſulæ* exterioris, licet à partibus ejusdem ſubſtantialis Naturæ procedat, eſt tamen cum quâdam differentiâ facta. In *Prunô*, *Ramus ſeminalis*, qui, prout deſcripſimus, per *Nucleum* decurrit, nudus non eſt, ſed, ut diximus, *Parenchymate* tenui veſtitus, quod ſecum trahit per longitudinem à Pediculô; atq; quod, per *Ramificationem Rami* dicti intrà *Nucleum* partìm dilatatur in *Capſulam*. *Parenchyma Fabæ* eſt à *Parenchymate* Folliculi, cujus *Parenchymatis* pars ſuperficialis ſuprà Pediculum largum *Fabæ* fit Cuticula tenera, & ſupra ipſam *Fabam* Capſula *Cartilaginea*.

Origo interioris. Origo item Capſulæ *Fabæ* interioris eſt à parte citati *Parenchymatis* interiori; quæ primò extenditur in Placentam longam, aut id, quod cum *Seminali Ramo Pedunculum Fabæ* conſtituit; ſub quâ Placentâ communiter eſt pars nigra vel macula; per cujus longitudinem interior Placentæ pars proximè exteriori Pelliculæ inſeritur, & omnes ſuper Concavitatem ejus diſperguntur.

Hæc

Hæc Pellicula interior, licet *Semine* jam aridô & vetuſtô *Ejus Natura.*
contrahatur, & in ~~quibusdam~~ plurimis *Seminibus* eousq́;, ut difficulter poſſit diſcerni; in ejus tamen primâ & juvenili conſtitutione, eſt Corpus reverà ſpongioſum & ſucculentum; & tunc etiam (velut *Uterus* Animalis prægnantis) proportionaliter admodum craſſum eſt, & robuſtum; in *Fabâ* æque ~~ut~~ at *Lobum* alteru~~ter~~rum: & in *Pruno* vel *Malo Perſico*, uti mihi videtur verè affirmari poſſe, dimidio craſſius eſt vel centies, ac eſt in *Semine* aridô & contractô, poſtmodùm, atq́; tunc difficulter à ſuperiori Pelliculâ diſtingvitur. Per quem computum eô in ſtatu eſt genuinum & elegans *Parenchyma*.

In hanc interiorem Pelliculam in *Fabâ*, *Corpus Lignoſum* vel *Ramus Seminalis* diſtribuitur: nonnunquam, ut in *Phaſeolis* per totam Pelliculam; uti & eſt in *Foliis*: in *Fabis hortenſibus* grandioribus, poſt ſui primum ingreſſum, in binas Partes diſpeſcitur, & ita in *Ramulis* exiguis longitudinaliter circumferentiam Pelliculæ percurrit, qui omnes verſus corpus *Fabæ* concurrunt, & rete quaſi quoddam formant. Eâdem ratione majores *Rami* in Pelliculâ exteriore Nuclei dum circulorum more ab utroq́; latere à locô primi ſui introitus diſcurrunt, tandem conveniunt, & invicem ~~connectuntur~~ inoſculantur.

Ita ut omnes *Vegetabilis* Partes, *Radix*, *Truncus*, *Rami*, *Folium*, *Flos*, *Fructus* & *Semen* fiant hucusq́; ex duobus Corporibus quoad Subſtantiam differentibus.

Et ſicut Pars quævis duo Corpora habet, ita *Vegetabile*, totum completè ſumptum, eſt compoſitum è duobus tantùm, nec pluribus: omnes *Partes* propriè *lignoſæ*, *Funiculi* & *Fibræ*, unum ſunt Corpus: omnes *Cortices ſimplices*, *Medullæ*, *Parenchymata*, *Pulpæ* &, quoad naturam Subſtantiæ ſuæ, itidem *Putamina* & *Cuticulæ*, omnes ſunt unum tantùm Corpus: & ſingulæ *Vegetabilis* Partes in eô ſaltim ab invicem differunt, quod iiſ-

A a a dem

dem variæ ſint proportiones, mixturæ, & differenter *ſituati* Pori horum Corporum duorum. Quid ex his obſervationibus duabus generalibus rationaliter queat elici, jam non referam.

Secundina. Quartam & intimam Pelliculam vocabimus *Secundinam*; cujus conſpectus in Cono ipſius obtineri poteſt, ſi disſecentur, cum cautelâ ingenti, junioris *Fabæ* Pelliculæ, in Taleolum verè exiguum. Quousq; non discerpitur, transparet; ſi laceratur, & decerpitur, contrahitur in ſimilitudinem Gelatinæ, aut ejus, quod in ovis vocamus Chalazam, (the Tredle) cum juſtò diutius efferbuêre. *Membrana* hæc in majoribus & vetuſtis *Fabis* non diſtincta reperitur; ſed ita diſponitur, ut ſit quaſi interioris Pelliculæ duplicatura: ſed (quantum adhuc per noſtras Inquiſitiones ſcimus) in plurimis aliis *Seminibus*, etiam ad maturitatem plenam jam perductis diſtinctê cernitur; ut in *Seminibus Cucumerum, Colocynthidis, Bardanæ, Carthami, Milii Solis, Endiviæ, Malvarum* &c. Communiter adeò exilis eſt, ut in ſuperiùs recitatis, ut admodùm difficulter detegi queat. In quibusdam *Nucleis*, ut *Pomorum Armeniacorum*, eſt admodùm craſſa; ut & in quibusdam aliis *Seminibus*. Omnes has analogiam unius ejusdemq; involucri, quod nobis *Secundina* dicitur, habere, ex ipſorum naturâ ſimili probabiliter eluceſcit; dum omnes harum ſunt Membranæ planè ſimplices, ne minimam quidem *Lignoſi Corporis* aut *Rami Seminalis* oſtendentes, quod ſit in illas diſtributum viſibiliter; uti & ex earum texturâ, quæ in omnibus illis coacta magis eſt.

Colliquamentum in eâ. Cavitas *Membranæ* hujus, Liquore maximè transparente repleta eſt; ex quô *Semen* eſt formatum; ut in disſectione *Fabæ* minoris & junioris apparet; & adhuc meliùs in *Juglande* juniori. In *Fabis* obſervavi illum coctura abire in *Coagulum* tenerum album.

Ligno-

Lignoſum Corpus ſive *Rami ſeminales*, per hanc *Membranam* in interiorem Pelliculam diſtributi, tandem rectâ verſus inferiora duas Fibras ſubtiles, tanquam umbilicos duos, ſingulum in ſingulum *Fabæ Lobum* dimittunt. Loca, ubi dictæ Fibræ *Lobos* ingrediuntur, ſunt propè *Baſin Radiculæ*; & ob ſuam nigredinem ſatis benè cognoſcuntur. Fibræ verò ipſæ adeò tenues ſunt, ut difficulter diſcerni queant: in *Lupinô* tamen generis grandioris tam loca, ubi Fibræ umbilicales *Lobis* inſeruntur (quæ in his à *Baſi Radiculæ* magis recedunt,) quàm Fibræ ipſæ egregiè viſui apparent. Nam *Ramus ſeminalis*, poſt ſuum in *Lupini* Pelliculam ingresſum, ſtatìm in duos Ramos magnos dividitur, & hi duo in alios minores, quorum aliqui deorſum, alii ſurſum per longitudinem Pelliculæ feruntur, & verſus alteram ejus extremitatem concurrunt, & inoſculantur; ubi circiter duæ oppoſitæ, breves, rotundæ, & admodùm minutæ cavitates, ſimiles maculis duabus *cartilaginei* nitoris, ſingulæ in ſingulo *Lobo*, obſervabiles ſunt; quæ maculæ ſunt extremitates *Fibrarum* dictarum *umbilicalium*, ſi *Semen* ibi poſt ſuam maturitatem diffringatur. Fibræ hæ à ſinguli *Lobi* ſuperficie directè deſcendunt viâ exiguâ; mox, quælibet dividitur in Ramos duos, quorum alter in *Lobos*, alter in *Radiculam* & *Plumam* defertur, modo eo, quem *Cap. 1.* deſcripſimus. *Hucusq; Hiſtoria.* Nunc ſaltim brevi *Generationis Seminis* declaratione, utpote quæ ab iſtâ dependet, Diſcurſum hunc concludam.

Fibræ umbilicales.

Dicamus itaq;, *Succum*, poſtquam in *Radice*, *Truncô*, & *Foliis* diverſas concoctiones & ſeparationes tranſiit, eâ ratione, uti diximus, eas ibi perfici; tandem demum in maturitate quâdam juſtâ *Semen* accesſisſe.

Copioſior & crudior ejus Pars rurſus ſeparatur, dùm liberè à *Fructu* recipitur, aut ab aliis Partibus *Fructui* analogis: quæ vel ſunt ſufficienter amplæ pro eo continendo, vel tan-

dem laxæ ſatis pro ejus tranſpiratione, adeoq; debitâ ejus diſtributione. Pars magis esſentialis in *Ramum ſeminalem*, aut *Ramos* recipitur, cumq; ii ſint longitudinis admodùm notabilis, & conſtitutionis verè pulcræ, dictus *Succus* inibi in ſuô tranſitu, tanquam in *Vaſculis ſeminalibus*, ſemper magis maturatur.

In Generatione Seminis Succus primò præparatur in Ramo ſeminali.

In hôc maturitatis ſtatu à *Ramô ſeminali* intrà pelliculas *Seminis*, velut in uterum, proximè dimittitur. Major ejus Pars rurſus exteriori, tanquam *Alimentum* ſatis commodum, ſuppeditatur. Pars ſubtilior interiori transmittitur; quæ dum eſt Corpus, ut diximus, *Parenchymaticum* & ſpatioſius; *Succus* in eâ ideò non eſt, ſicut in externâ, *Alimentum* merum; ſed in ordine elaborationis ſuæ, per Fermentationem ulterius ibi præparatur.

Proximè in Involucro interiore.

Extima tamen Cuticula è contrario eſt dura & denſa; eâ de ratione, uti Fermentationem *Succi* non adeò benè intra ſeipſam admittit; ita magis promovet & fovet eam in internâ, eſtq; vinculum tàm ejus, quàm *Succi* ipſius; & ita totum opus in formatione *Seminis* citiùs abſolvitur.

Ope exterioris.

Neq; magis Pellicula exterior, ob eandem rationem promovet, quàm declarat puritatem *Succi* jam in interiori contenti: dum enim eſt durior, denſiorq;, neq; adeò perſpirabilis, necesſariò Partes *Succi* à ſe concluſas ſe ponit, quæ ab evacuatione omni excluſæ poſt adeò ſelectæ hìc evadunt omnes, ut iis non indigeat.

Succus hinc in interiori Pelliculâ præparatus, velut *Liquor*, aptus jam, qui fiat *Subſtratum* futuri *Seminis embryonati*, ope ſupplementi recentis hinc diſtribuitur: ne tamen ſuperfluum fieret; quod facilè contingere posſet ob laxitatem interioris Pelliculæ, unde egreditur; ideoq;, velut dicta Pellicula interior tota eſt cincta ab exteriori, ita ille intrà hanc retinetur per *Secundinam* ſive membranam; per quam *membranam Succus* filtra-

Uſus Secundinæ.

filtratus, vel quaſi tranſpirans, ſimilis *colliquamento* ovi vel *Semini muliebri* in ejus cavitatem deponitur.

Altera *Succi* puriſſimi Pars in Ramulos *Rami ſeminalis* circulatur, ſive ad aliquod ſpatium intrà eos decurrit; & ita, velut *Semen maſculinum* adhuc magis elaboratur.

Ramulorum Rami ſeminalis.

Ubi quoq; , dum ejus affluxus tandem futurus eſſet copioſior aut magis præceps, per coarctationem & divaricationem circà Inoſculationes, retardatur; & nobiliſſima ſolùm Pars tranſitum obtinet.

Inoſculationum eorum.

Succo hoc puriſſimo repleti *Ramuli* memorati hinc demum emittunt *Fibras umbilicales* (velut *Arterias* primitivas in *colliquamentum*) per *Secundinam* in dictum Liquorem in eâ contentum.

Intra quem Liquorem jam emiſſus *Succus*, & cum ejusdem proprio *Succo* ſive Tincturis mixtus, compingitur in *Coagulum*; vel, è Liquore fit Corpus conſiſtens, & *Parenchymaticum* verè; ſupplementum verò Liquoris dicti usq; continuatur, & Germina Fibrarum umbilicalium, uti ſuperius deſcripſimus, usq; procedunt, ſimulq; dicta *coagulatio* quoq; aut *fixatio*.

Quomodo è Colliquamento fiat Parenchyma

Atq; dum *coagulationis* negotium fit, *Fermentatio* quoq; lenis excitatur, & hinc *Parenchyma* ſive *coagulum*, de quô diximus, tale evadit, ut non indifferentis ſit conſtitutionis, verùm hinc exſurgat (uti videmus, cum Panis pinſitur,) *congeries Bullarum fixatarum.* Tale enim eſt totius Seminis *Parenchyma.*

FIGURARUM EXPLICATIO.

Fig. I.

Exhibet Fabam, *cum duobus* Lobis *aliquantò latiùs explicatis, quam partes ſine Rupturâ ſufferunt, ut meliùs videatur Pars inter illos poſita.*

a a a a.	Lobi duo.
A A.	Planities eorum contiguæ.
b.	Radicula.
c.	Pluma.
d d.	Una cavitatum, in quibus Pluma recumbit.

Fig. II.

a a a a.	*Parenchyma.*
e e e e.	*Radix ſeminalis* per *Parenchyma Lobi* utriuſq; diſtributa.
b.	*Radicula*, cum *ſeminali Radice* per illam in Truncum unum ad punctum ejus decurrente.
c.	*Pluma*, cum Diſtributione *Corporis* ſui *interni* continuatâ à *Radice ſeminali* utriuſq; *Lobi.*
x x.	*Inſertio* obliqua duorum Ramorum magnorum è *Lobis* in *Radiculæ* Truncum.

Fig. III.

Lobus Fabæ *transverſim ſectæ.*

a a a.	Pars ejus convexa aut externa.
b b b.	Latus concavum extrà conſpectum ſitum.
c c c c.	Extremitates Ramorum *Radicis ſeminalis*, quæ apparent velut tot exiguæ Maculæ in ſectione transverſim factâ.

Fig. IV.

Pluma transverſim ſecta.

Maculæ nigræ exhibent Ramos *Corporis ſeminalis* illi inſertos, aut in eam diſtributos.

Fig. V.

a a a a.	*Lobus Seminis Cucurbitæ.*
c c c c.	Majores Rami.
e e.	Subdiviſiones & inoſculationes minorum.

Fig. V.

FIG. V. o o.

A A. Lupinus magnus albus.

a a. *Fibræ umbilicales*, quæ progrediuntur à Ramulis *Rami ſeminalis*, in *Lobos*.

a b. Productio *Fibræ umbilicalis* in *Radiculam (b.)*

c. *Pluma.*

b c. *Medulla.*

a e e e e. Diſtributio *Fibræ umbilicalis* in *Lobos*; quæ omnes ~~*vergunt in Radicem ſeminalem*~~ cap. 1. deſcriptam. fiunt radix ſeminalis

FIG. VI.

a a a a. Taleolus Radicis Arboris.

c c c c. *Corpus Corticale* vel *Liber.*

e. *Medulla.*

Partes nigræ ſunt *Radii Lignoſi Corporis.*

Maculæ in illo ſunt *Pori* ejus.

Partes albæ ſunt *Inſertiones Corporis corticalis.*

FIG. VII.

Exhibet Radicem Berberis *transverſim ſectam.*

a a a. *Corpus corticale* vel *Liber.*

Lineæ albæ ſunt *Inſertiones.*

Maculæ nigræ ſunt Pori *Corporis Lignoſi.*

FIG. VIII.

a a a a. *Corpus corticale*, uti apparet in Rapâ transverſim ſectâ.

a c d a c d. *Corpus Lignoſum*, aut ſinguli ejus Radii repræſentati in ſuis ordinibus per lineas nigras; maculis, quæ per longitudinem linearum efficiuntur, ſuntq; terminationes dictorum Germinum vel Fibrarum; haud occurrentibus viſui, niſi in taleolo exiguo, vel poſtquam reſecta *Rapæ* ſuperficies exaruit.

c c c c. *Corpus corticale* inter *Radios Lignoſi* inſertum; ſive *Medulla.*

a b a b. Pars *Corporis corticalis* detracta, ut ejus Inſertiones propriæ *(e e e e)* & Inoſculationes *Lignoſi* conſpici

ſpici queant; quod optimè fit, poſtquam Inſertiones parùm exaruêre & emarcuerunt.

Delineatio Radicum variarum, in ſtatu ſui incrementi, ut e. g. Aquilegiæ.

FIG. IX.

Partes *Radicis* fibroſæ, ubi in centrô ſtat *Corpus Lignoſum*; cujus Pori per maculas nigras repræſentantur.

X. *Radix* paulò altiùs disſecta, ubi *Corpus corticale* quandoq; apparet tantùm ſemel inſertum.

XI. *Radix* altius diſcisſa cum Inſertionibus numeroſis.

XII. Inſertiones adhuc numeroſiores.

XIII. *Medulla (a)* jam incipiens, ubi dictæ Inſertiones in centrum colliguntur.

XIV. *Medulla (a)* magis amplificata.

FIG. XV.

Oſtendit Partem exiguam Trunci Bardanæ.

a. Ejus magnitudo exacta, uti apparet oculo nudo.

a a a a. Qualis ea apparet per Microſcopium.

l l l. *Corpus corticale* inſertum.

c c c. Exteriores Radii *Corporis Lignoſi* in Folia diſtributi.

e e b b t t. Interni Radii ſive Fibræ ad Ramos diſtributi.

Maculæ nigræ ſunt Pori eorum, qui ope *Microſcopii* in omnibus iis egregiè conſpiciuntur.

FIG. XVI.

a a a a. Taleolus Trunci, qui per aliquot jam annos excrevit.

e. Medulla. *c c c c.* *Corpus corticale*, ſive *Liber*.

Lineæ albæ ſunt Inſertiones *Corporis corticalis* ſive *Libri*.

Lineæ nigræ ſunt *Corpus Lignoſum*.

Singulæ Fibræ ejus inter Circulos nigros mediæ oſtendunt Annulum annuum.

FIG. XVII.

Oſtendit Partem exiguam Quercus transverſim ſectæ.

b. Juſta ejus crasſities, quæ nudo oculo apparet.

b b b b. Qualis apparet per *Microſcopium*.

a a a a. Inſertiones majores nudo oculo conſpicuæ.

Lineæ



Tabula ſub finem D. Grew Anatomiæ Vegetabilium inſerenda.

Lineæ albæ ſunt Inſertiones minores per *Microſcopium* ſaltim viſibiles.

c c c c c c. Pori majores nudo oculo viſibiles.

e e e e e e. Mediæ magnitudinis.

Maculæ nigræ ſunt omnium minimæ, & utrumq; horum ultimorum tantùm per *Microſcopium* apparet.

c. *Medulla* cujusvis Pori magni.

FIG. XVIII.

a a a a. Pars Tabulæ menſalis.

b b b b. *Corpus Lignoſum* cum ſuis Poris per longitudinem Trunci decurrens.

c c c c. Inſertiones *Corporis corticalis* cum tractu Pororum ſuorum, qui rectà transverſim ad Poros *Lignoſi* feruntur, per diametrum ſcilicet vel latitudinem Trunci.

FIG. XIX.

Taleolus Trunci junioris Bardanæ.

c c c c. Externæ Fibræ *Lignoſi Corporis* contiguæ Cuti, quæ totæ intra externa Folia diſtribuuntur.

e e e c. Fibræ mediæ præcipuè in *Germina* humiliora decurrentes.

t t t t. Fibræ interiores ad ſuperiora *Germina* accedentes.

a. *Medulla.*

Varia Diſpoſitio, Magnitudo & Figura Fibrarum *in Caule Foliorum.*

FIG. XX. In *Endivia* ſic.
XXI. In *Tusſilagine.*
XXII. In *Cichorio.*
XXIII. In *Hederâ.*
XXIV. In *Aſaro.*
XXV. In *Menthâ.*
XXVI. In *Lapatho.*
XXVII. In *Borragine.*
XXVIII. In *Verbaſco.*
XXIX. In *Brasſica.*

JOHANNIS FERDINANDI

HERTODT à TODTENFELDT,

PH. ET MED. D.

Inclyt. Stat. Moraviæ Phyſici Provinc.

&

Academiæ Nat. Curioſ. ORPHEI,

Ad

COLLEGAS

Ephemeridum Collectores

EPISTOLA.

OSculor Benevolentiam Veſtram, *Collegæ Honoratiſſimi*, per humaniſſimas veſtras ad me datas literas declaratam. Quibus ut morem geram, & modica Ephemeridibus communicanda addam, ſignifico me elapſô tempore, quo literarium commercium diſtuli, multum inſudaſſe in laboribus chymicis, quibus ad optatum finem Operis Magni Philoſophici pervenire poſſem, ſequutus inter cæteros Authores claſſicos *Philaletham Anonymum*, qui moderno tempore ab omnibus Doctrinæ Filiis pro vero *Adepto*, & qui candidiſſimè ſcripſit, proclamatus eſt. Invenio autem Eundem Summum Sophiſtam, qui multos decepit, de facto decipit, & plurimos adhuc decipiet. Cujus diſcurſus erroneos à ſe obſcurè ſcriptos ut clariſſimis verbis aperiam, en totam ſuam methodum! Primò facit *Regulum ♁nii ♂tialem*, quem miſcet *☿rio vulgi*, illum in lapide marmoreo terit, affundit aquam ſimplicem, ſæpius lavat, donec *Amalgama* albiſſimum inſtar *Lunæ* evadat, à quo igne aperto *☿rium* deſtillat, eundemq;

demq; *Aquilam* vocat: laborem hunc ſepties, vel novies repetit, tunc reſultat inde ſubſtantia ☿rialis homogenea, volatilis, quæ in omnia metalla ſine ullo impedimento agere, fixa volatiliſare, & conſequenter Aurum in ſummum activitatis gradum, id eſt, in Tincturam evehere poteſt.

Quia vero nec Regulus ♁nii ſimplex, nec ♂tialis miſcet ſe ☿rio vulgi, niſi additis *Dianæ Columbis*, anxius certè diu hæſi, quid per Dianæ Columbas intelligat Author. Tandem ad manus venit *Alexander à Suchten*, qui in ſuo *Tractatu IIdo de ♁nio vulgari p. m. 299.* apertè docet, ſi quis *ex Regulo ♁nii ♂tiali mediante ☿rio vulgi velit facere Amalgama, in nulla entitate inveniet, præterquam in ☿rio Lunæ, ideoq; argentum addendum.* Hoc dum feciſſem, illicò ad votum ſucceſſit operatio; & magis gaviſus fui, ubi in *Becheri Supplemento IIdo in Phyſicam ſubterraneam* paucis lineolis alluſionem ad illud ipſum Argentum intellexiſſem, ait enim *p. 54. eſſe quoddam aliud minerale fortioris Salis & purioris quàm marchaſita, cujus ope, additoq; loco Plumbi Argento, ☿rium taliter acui poſſe, ut ipſum Aurum ſic reſolvat, & attenuet, ut cum ☿rio ſicut Plumbum tranſeat.*

Cur autem *Philaletha* habere velit Regulum ♁nii ♂tialem, has proponit rationes: *Prima*, ut ☿rius vulgi, utpote frigidus & humidus per 🜍r Auri volatile, quod in ♂te eſt, calidus efficiatur, exſiccetur, ipſiſſimoq; 🜍re aurificô impraegnetur. *Secunda*, ut propter 🜍ris hujus volatilis impraegnationem fiat Mas, & ex naturâ ſuâ maneat Fœmina, adeoq; ſit Hermophroditus. Quia autem ex ♂te haberi nequit 🜍r Auri volatile, niſi per ♁nium, quod tanquam Magnes Chalybem ſuum, id eſt, ♂tis 🜍r aureum volatile, abſorbet, propterea cum ♁nio & ♂te parat Regulum, illumq; *Chaos* appellat, tanquam in illo eſſent potentiâ omnia metalla.

Hinc totam ☿*rii Philalethici compoſitionem* breviter ſequenti Schemate præſcribo:

℞. *Argenti puriſſimi part.* ij.

Igniantur in ✠bulo, Argento ignito addatur *Reguli ♁nii ♂tialis Pars* I. fluant ſimul; dum in fluxu ſunt & modicè ſtare incipiunt, ignita tamen adhuc ſunt, injiciantur *☿rii vulgi part.* x. ſucceſſivê, tegendo benê crucibulum. Dum refrixerint, maſſa eximatur, quæ in marmore teratur, & affusâ aquâ tepidâ toties lavetur, donec nulla amplius nigredo advertatur, ſed totum *Amalgama* inſtar *Lunæ* evadat, quod per Retortam loricatam igne aperto deſtillatur, ſic tranſit in recipiens *☿rius currens*, qui dicitur *Aquila*. Hic labor ſepties, novies, vel decies cum eodem ☿rio repetatur, recipiendo tamen ſemper novum Regulum ♁nii ♂tialem & Argentum, tunc habetur *verus ☿rius Philalethicus*.

Regulum ♁nii ſtellatum ſic conficit:

℞. *♂tis part.* jv. igniantur, add. *♁nii part.* jx.

Fluant ſimul, injecto 🜕tro more ordinario, & fundantur in *Regulum*, qui ternis vicibus cum 🜕tro depuretur, & evadet *Regulus* valdê purus & *Stellaris*.

Breviter hìc notetur, poſt 4tam Aquilam in ſupra dicta lotione, me Amalgama vidiſſe aurei coloris, in cujus rei teſtimonium voco *Adm. Rev. Eximium Patrem* WENCESLAUM ECKER, *è Societate* JESU, in ſimilibus etiam curioſiſſimum.

Nihilominus dum hunc ☿rium cum Auro ad ignem collocaſſem, manſit ☿rius Mercurius, & Aurum Aurum, & conſequenter totum opus fuit fruſtraneum.

Quare ulterius ſpeculanti mihi occurrit quidam Artifex, & prout ſibi perſvadebat, *Adeptus, Philaletham* tanquàm verum Philoſophum ad Cœlos evehens, qui cupido ſciendi quid tandem per Dianæ columbas intellexerit Author, (cum tota difficultas in *illis* conſiſtere videatur, neq; cum Argento, prout *Suchten* ſcripſit, ſuccedat operatio), cùm ſuas Columbas diu occul-

occultasſet, tandem intenſe ſollicitanti eas revelavit, & ſunt *hæ,* quas germano Corde communico:

℞. ⊖ ♀*ri depuratisſimi q. v.*

Affundatur *Spir.* ♀*ri* in ea quantitate, quam ⊖ recipere poteſt, Spiritus hic à ⊖le abſtrahatur, reſtitans à deſtillatione ⊖ modicè calcinetur, affundatur iterum ille ipſe Spiritus ♀ri abſtractus, abſtrahatur denuò, & hic labor toties repetatur, donec ⊖ ♀ri totum Spiritum ♀ri abſorpſerit.

Huic *Sali Spiritu* ♀*ri imprægnato,* affundatur *Spiritus Vini depuratisſimus* in ea etiam quantitate, quam recipere valet, à ⊖le iſto Spiritus abſtrahatur, iterum affundatur, abſtrahatur, & hoc toties etiam repetatur, donec & totum affuſum Spiritum Vini Sal intra ſe receperit, tunc Spiritus bini hi in ⊖le ♀ri concentrati, ſunt *Dianæ Columbæ Philalethicæ,* quæ 🜍r arſenicale in Regulo ♁nii extravertunt, quod in 🜍r arſenicale ☿rii vulgi poſtea agit, illud abripit, atq; ita ☿rius vulgi à 🜍re arſenicali depuratur.

Dianæ Columbis ritè præparatis, addatur ☿rius vulgi, qui 🜍re Auri immaturo prius imprægnatus ſit, (ſcilicet per ⊕lum & ⊖lem communem ſublimatus, licet per ♂. antehac non nihil jam imprægnatus ſit) jungatur hiſce modicum de Auro corporali, ad digeſtionem ponantur, inde ☿rius ſublimetur ſeu vivificetur, vivificatus aquâ pluviâ optimè abluatur, & exſiccetur, exſiccatus ☿rius denuò per ⊕lum & ⊖lem communem ſublimetur, novisq; Columbis Dianæ permiſceatur, digeratur, ſublimetur, hocq; ſepties vel novies cum eôdem ☿riô repetatur, tunc reſultat inde genuina ☿rii depuratio, quæ meritò homogenea nominari poteſt.

Ubi autem & *hunc* ☿*rium* ad finem perduxisſem, & cum vel ſine Auro ſecundum *Philaletham* ad furnum poſuisſem, nul-

la inde ſolutio facta, quam tamen unicè deſiderant Philoſophi, ſed manſit Mercurius ☿rius, & Aurum ☉.

Tandem cum audiviſſem in præcipua quadam Urbe à Primariis Dominis etiam laborari *opus Philalethicum*, reſcivi, ipſiſſimos pro Dianæ Columbis recepiſſe ⊖ ✳cum & ⦶, & dum in fine operis Filium Solis aſpicere voluiſſent, inventum eſt Aurum Aurum, & ☿rius Mercurius minimè alteratus.

Si quis diceret Philalethicum laborem totum eſſe in ordine ad ☿rium ♁nii acquirendum, adeoq; fiat quocunq; modo ☿rius ♁nii ex Regulo ♁nii ♂tiali, imponatur hic ſolus, vel Auro mixtus, ad △nem, & emerget inde Tinctura Phyſica. Sciat autem is, & hunc à me & ab aliis fuiſſe factum, ipſi Auro mixtum, & totum laborem fuiſſe vanum.

Neq; ☿rius ♁nii mixtus ☿rio vulgi quidpiam operatur, prout quidam inepte blaterant, dicentes, Draconem unum alterum mortificare, corrumpere, ex quâ corruptione nobiliſſima Subſtantia ☿rialis reſultat, quæ per ſe, vel Auro unita tranſit in Sulphur Philoſophicum, ſeu Tincturam primi ordinis. Hujus *☿rii* Author etiam fuit *Joannes à Sole*, qui inde lapidem Philoſophicum ſe elaboraſſe ſcribit: dum autem & eundem laborem ad manus recepiſſem, inveni totum ſophiſticum.

Cogitent ergo jam *Virtuoſi*, cui credendum ſit, & quam variis Mundus decipiatur opinionibus! & ut evidentius pateat *Philalethica* Sophiſticatio, propono ejusdem vitam, & actiones, quas à famoſo *Medico Anglo* ſcripto accepi, qui Eidem fuit notiſſimus, ſic autem ſcribit ille:

„ Vocatus fuit *Philaletha Anonymus* nomine *Georgius Starkey*,
„ natione Anglus: familiaris factus cuidam vero Adepto,
„ Doctori *Childe* vocato, in America, ſeu Indiis Occidentali-

bus

„ bus (nova Anglica dicta) ab eodem accepit ℥j. Elixiris ad al-
„ bum, cujus una pars transmutabat millies mille partes
„ plumbi, ſtanni, vel ☿rii vulgi in optimum Argentum. Et
„ ſine dubio, ſi *Georgius Starkey* hypocriſim ſuam non tam citò
„ manifeſtasſet, obtinuisſet integram cognitionem Magiſte-
„ rii. Quare cum ſua Tinctura rediit in Angliam, & ſecum
„ attulit duodecim Chymiæ Tractatulorum à Doctisſimo *Childe*
„ compoſitorum nomina ſeu titulos, quorum nomina non
„ benè recordor, ſed invenientur in præfatione *Medullæ Alchy-*
„ *miæ*, Anglicè ſcriptæ, & ſequentium memini, qui ſunt *In-*
„ *troitus Apertus ad Occluſum Regis Palatium, Brevis manuductio ad*
„ *Rubinum cœleſtem, Fons Chymicæ Philoſophiæ, Brevis via ad vitam*
„ *longam, Elenchus errorum in arte chymica deviantium, Brevis ma-*
„ *nuductio ad campum Sophiæ.* Hi ſex Tractatus fuerunt primò
„ Anglicè ſcripti, (quorum omnium habui copiam meâ ma-
„ nu ex Autographo *Starkey* deſcriptam, antequam Latinè ve-
„ nerunt in lucem; itaq; fuit *Starkey* ille iſtorum omnium duo-
„ decim Tractatuum verus Author, & tantummodò ſecum
„ attulit illos duodecim titulos, quos promiſerat Doctor *Childe*
„ in poſterum ſe misſurum: ſed quando vidit *Starkey*, quod
„ Doctor *Childe* nil amplius ſibi ſcribat, tunc compoſuit duo-
„ decim Tractatus ſub iſtis Doctoris *Childe* Titulis, & ſic fuit
„ multorum malorum cauſa per ſuas deceptiones, qui An-
„ no 1665. in carceribus Londinenſibus pro debitis ſuis deten-
„ tus, peſte mortuus eſt. Illo tempore, quo à Doctore *Childe*
„ accepit Tincturam, habuit Annos 23. ætatis ſuæ: & ſequenti
„ Anno obtinui ejus cognitionem, ſed nondum familiarita-
„ tem, niſi poſtquam conſumpſisſet omne quod habuit, tunc
„ ſumptibus meis, & quorundam aliorum meorum Amico-
„ rum invenimus vanitatem dictorum ſuorum. Sufficiat nunc
„ de illo mortuo hoc dicere: requieſcat in pace.

Hiſce

Hiſce omnibus ut mentem meam candidè aperiam, & ſubjectum Lapidis Philoſophici nominem, rejiciendo omnes ☿rios currentes corporum, pro veritate ſequens ænigma Gallicum antiquum propono:

Il eſt une partie dans l' Homme,
Dont le nom ſix lettres conſomme;
Si tu y vas un P. adjoutant,
Puis l' S. en M. permutant,
Tu trouveras ſans nul embages
Le vray nom du ſubjet des Sages.

[*Olmutio, Vratiſlaviam.*]

ANO-

ANONYMI
Ad
PRÆCEDENTEM EPISTOLAM
RESPONSIO.

Clariſſimi, Experientiſſimiq; Domini, Fautores, & Amici Honorandi.

Concedite, ut ſuppreſſo Vos nomine compellem, nec tam quærite ſultis, qui ſim, quàm attendite, quid Vos velim.

Ab Amicô quôdam, Veſtræ Societati benê admodûm cupienti, hiſce diebus monſtrata mihi fuit Epiſtola, ad opus Philoſophicum, *Philalethæ Proceſſum* Sophiſticationis cenſurâ ſtringens. Quod, cum ego vix concoquere poſſim, meam de iſta Controverſiâ ſententiam paucis aperire, operæ pretium viſum eſt; quandoquidem Hermeticæ Philoſophiæ Studioſis non nihil certê utilitatis eam allaturam, ideoq; illos ipsâ minimè defraudandos exiſtimem, immò verò à Veſtrô candore contendam, ne hanc meam, at placidam

Philalethæ, καὶ τῆς Ἀληθείας, *Defenſionem*

Epiſtolæ Hertodianæ Ephemeridibus veſtris Curioſis inſertæ, annectere gravemini.

Dum pro *Philalethâ*, immò pro ipſamet Ἀληθείᾳ, paucula hæc exarare me cogit amor Veritatis, ignoſcet huic audaciæ meæ, quisquis ipſe non vanum *Philalethæ* nomen ambit, & prehenſat. Id unicum ſtudium me perpulit, ut paucis his, patrocinium Veritatis ſuſciperem. Rem proin accedo, & in pauca confero.

Admodum, judice me, fallitur *Clariſſimus* hujus *Epiſtolæ Author*, in Mercurii Sophici, adeoq; genuini Philalethici deſcriptione ac cenſurâ. Et verò, monuerat ipſe *Philaletha*, ſui illius opuſculi (*Introitus aperti*) capite XVIII., ad Mercurii ſui præparationem rectè intelligendam, non tam oculos, quam naſum afferendum eſſe: quin & palatum ſophicum, grano Salis haud leviter tinctum; ſic enim ipſe pro ſe, ſuôq; Mercuriô, loquitur.

Quæ omnia (de Mercuriô, Sulphure, Vaſe &c.) *cum grano Salis intelligenda moneo, ne fortè literatìm procedendo ſæpius errare contingat: ſic enim cum inſolitô candore, philoſophicas ſubtilitates texuimus, quòd, niſi plurimas in præcedentibus Capitulis Metaphoras olfeceris, vix aliquid meſſis, præter diſpendium colliges.*

Colliget autem ex his unusquisq; oculatus, vel ſi malis, naſutus & æquus judex, *Philaletham* egiſſe candidè, quòd ipſemet ultrò monuerit, ſe in Arcanorum Hermeticorum deſcriptione, duplici idiomate uſum fuiſſe: altero Philoſophico, pro Sapientibus & ingenioſis; altero vulgari pro fatuis, ac Sophiſtis, qui alium Mercurium vix agnoſcunt, qui non Argentum vivum vulgare aurifabris notiſſimum, ſpecie ſuâ referat.

Si quis ergò in animum induxit ſuum, priora illa omnia *Philalethæ* capita, nulli alteri eſſe uſui, niſi ut pagellas aliquot expleant, ad libri molem, vel eruditionis oſtentationem, quæ verò planiori tramite decurrunt, genuinos operationum proceſſus adferre, is enimverò plurimùm aberrat ab eô ſcopô, quem *Tractatus illius Scriptor* (quicunq; demum is fuerit) ſibi

pro-

propoſitum habuit: erroris proin cauſam non in *Philaletham* referat, ſed nimiæ ſuæ adſcribat credulitati.

Quare, ſi quis exiſtimat, ſibi naſum esſe Philoſophicum, qui ſagacitate nulli concedat, is virum ſe probet, & Mercurium Sophicum, in præfati *Opuſculi cap. 1. & 2.* veſtiget, quorum prius *Author* his verbis concludit: ***Liquet proinde, quòd non vulgaris hic ſit Mercurius, at Sophicus: quia omnis Mercurius vulgi*** (notetur vox omnis) ***eſt mas, id eſt, corporalis, ſpecificatus, & mortuus: at noſter eſt ſpiritualis, fœmina viva, & vivifica: attende ergò quæ ſim de Mercurio dicturus***, &c.

Attentione hac ſibi conciliatâ, *cap. 2.* agit *de* componentibus *Principiis Mercurii* Sophici, quæ ſic delineat: ***Sciant itaq; Aquam noſtram componi ex multis, esſe tamen rem unam ex diverſis ſubſtantiis unius Esſentiæ concretis factam: eſt nempè in Aqua noſtra requiſitus, primò ignis, ſecundò liquor Saturniæ Vegetabilis, tertiò Mercurii vinculum***, &c. Hæc niſi quis ſagaci nare ſtudiosè veſtigaverit, inveneritq; non eum ſe exiſtimet, qui pro tribunali ſedere queat, in *Philaletham* capitalem ſententiam laturus.

Cæterùm nemini litem movero, ſit ne *Starkey* vel *Childe* verus Author eorum, quæ *Philalethæ* nomine circumferuntur, ut ſunt 1. *Introitus apertus.* 2. *Metallorum Metamorphoſis.* 3. *Manuductio ad Rubinum.* 4. *Fons Chemicæ Veritatis*; plura enim nec dum videre licuit: illud ſolùm contendo, horum Opuſculorum Authorem esſe non potuisſe, qui non habuerit penitisſimam præcipuorum Chemiæ arcanorum notitiam; in ea videlicet via & materia, quam veterum Authorum codices tot ænigmatibus deſcribunt. Et

Et Candorem quidem ejus *Authoris* ac ſinceritatem quod attinet, paucos in eâ æquales illi numerare licet: fuisſent utinam & illi, qui illos duos poſtremos Tractatus fœdum in modum invidiosê detruncarunt! Vera ſentire ac prædicare me agnoſcent illi,

Queîs meliore luto finxit præcordia Titan.

Et ſi qui, ut canit *Augurellus lib. 2. Chryſop.*

Accesſere illuc, dites ubi pectine eburneo
Aurea perpetuo depectunt Vellera Nymphæ.

Ad extremum illud minimè ſilentio præteribo, Ænigma illud ab Authore Epiſtolæ Gallicis Rithmis recitatum, quod originem duxit è latinô illô vulgari Triſticho:

Artus ineſt homini, qui conſtat ſex Elementis,
Cui P. ſi jungas & in M. S. vertere noſcas,
Hoc eſt Æs noſtrum, Lapis eſt & Philoſophorum;

Minimè intelligendum esſe de *Plumbô*, tam vulgari, quàm æquivocô illô è mineris deſumto: quamvis & hoc peritâ manu tractatum,

Agricolas vanis ſæpe non ludat ariſtis;

At de *Plumbô Philoſophicô*, ad quod eruendum malleis opus non eſt, ſed ut acquiratur, nosſe ſat eſt. Concludam igitur ego pariter, & in eâdem *Saturni*, non Saturnini *minerâ*, non minerali, attamen Philoſophicâ, & quidem Catholicâ, calamum meum defigam:

Artus, homo, plumbum, ſcio conſtant ſex Elementis,
Æs totidem numerat, quod dicitur esſe Sophorum.
Ergo ſi quisquis numerare hæc bis tria noſti,
Hermes Hermetis, magnus dicére Logiſtes.

VALETE.

[*Ad Collectores Ephemeridum, Vratislaviam.*]

FINIS.

CATALOGI,
Librorum Medico-Phyſicorum,
ut & Mathematicorum,
Annis abhinc aliquot paſſim in Europâ diverſo Idiomate editorum,
CONTINUATIO.

ACADEMIÆ NATURÆ-CURIOSORUM Miſcellanea curioſa Medico-Phyſica, *ſive* Ephemeridum *Medico-Phyſicarum Germanicarum Curioſarum*, Annus Secundus, *Anni ſcilicet M DC LXXI. Præmiſſa eſt ſuccincta narratio Ortûs & Progreſſûs Academiæ Naturæ-Curioſorum cum Legibus Societatis & Nominibus Collegarum.* Jenæ 1671. in 4.

Earundem Ephemeridum Annus Tertius *Anni ſcilicet M DC LXXII. cum Appendice.* Lipſiæ & Francofurti 1673. in 4.

Earundem Annus Quartus & Quintus *Anni M DC LXXIII. & M DC LXXIV. acceſſit Appendix.* Francofurti & Lipſiæ 1676. in 4.

Earundem Annus Sextus & Septimus *Anni M DC LXXV. & M DC LXXVI. cum Appendice.* Francofurti & Lipſiæ 1677. in 4.

Earundem Annus Octav. *Anni M DC LXXVII. cum Appendice.* Brigæ & Vratislaviæ *apud Collectores* 1678. in 4.

Paulli AMMANNI, Acad. Cur. Parænesis ad Diſcentes, *circa Inſtitutiones medicas emendandas.* Rudolſtadii 1673. in 12.

Ejusdem Character Plantarum *naturalis.* Lipſiæ 1676. in 8.

ANDERSONI Propoſitiones Stereometricæ, *vario modo applicabiles.* ANGLICE in 8.

ANHERI Tractatus, dictus Quilibet ſui ipſius Medicus, *quâ ratione ſcilicet quivis posſit cognoſcere ſuam ipſius conſtitutionem & complexionem, naturam omnis cibi, quis nam ſit bonus, quis nocivus &c. tractans item de aëre, pasſionibus animi, exercitio, uſu Tabaci, novarùm thermarum, Venere: uti & de uſu ſui Elixir proprietatis, cum multis aliis rebus obſervatu dignis: & Supplementô quôdam Botanico.* ANGLICE in 8.

ANONYMI

Diſcurſus de motu locali. GALLICE. Pariſiis in 12.

Tumba Semiramidis Hermeticè ſigillata, *quam ſi ſapiens aperuerit, non Cyrus ambitioſus, avarus, regum ille theſauros divitiarum inexhauſtos, quod ſufficiat, inveniet.* Lipſiæ 1675. in 12. *Extat etiam in Appendice* Anni IV. Ephem. Nat. Curioſ.

Epi-

Epiſtola continens Judicium de Aurô Auræ *nuper editô. Extat in Append.* Anni IV. Ephem. Nat. Curioſ.

Comparatio Bathonienſium *&* Aquisgranenſium thermarum. Londini 1676. in 8.

Inſtructio generalis artis inficiendi lanas *& manufacta lanea.* GALLICE. Pariſiis 1671. in 12.

Journal des Scavans, ſive Ephemerides Eruditorum, *Anni 1674. & 1675.* GALLICE. Hagæ Comitis 1676.

Medice cura Te ipſum, *ſive Actio Pharmacopœorum, continens quasdam breves & modeſtas animadverſiones in Tractatum nuperum, ſub titulo: Brevis demonſtratio fraudum & abuſuum à Pharmacopœis commiſſorum; quodq́ unicum hujus rei ſit remedium, ut ipſi Medici ſua præparent medicamenta; Autore* Ch. Merretto. ANGLICE. in 4.

Lex talionis Pharmacopœorum, *ſeu refutatio brevis libri* D. Merretti *& aliorum, adverſus Pharmacopœos ſcripti: in quâ deteguntur fraudes & abuſus à Doctoribus, Pharmaciæ Profeſſoribus, & practicis commiſſi.* ANGLICE. in 4.

Medicus perfectus, Pharmacopœus honeſtus, *&* Chirurgus peritus: *ſive demonſtratio, quomodo hi omnes à ſe invicem neceſſario dependeant; in univerſum detegens fraudes Empirici timidi, Chirurgi præſcribentis & Pharmacopœi praxin exercentis:*

cui additur Medicorum circuitus, hiſtoria medicinæ, & flagellum Legis Talionis. ANGLICE. in 4.

Præludium regulationis Praxeos Medicæ, *cui ſuperſtruitur Compoſitio omnium Litigiorum inter Medicos & Pharmacopœos: & rationes, quibus præfertur diu jam conſveta via praxeos per Præſcriptionem.* ANGLICE. in 4.

Galenicus Chymicus: *Tractatus, in quo praxis Veterum conciliatur cum novis inventis Theoriæ Medicæ.* ANGLICE. in 8.

Hiſtoria Febrium, *compoſita ſecundum ejusmodi uſum partium, circulationem ſangvinis, & varia officia tâm liquoris lymphatici quàm ſucci nervoſi, qualia demonſtraverunt felicia modernæ Anatomiæ inventa: unà cum particulari magis deſcriptione uſuum Splenis & Pancreatis, uti & modo Naturæ procedentis in ſingulis motibus Fermentationis & Ebullitionis, quæ antea ſunt divulgatæ.* ANGLICE. in 8.

Diſcurſus, in quo Intereſſe ægrorum *in relatione ad Medicinam & Medicos* modeſtè diſcutitur, *varii Pharmacopœorum errores in præparatione Medicamentorum ſuorum deteguntur, & eorum ineptitudo pro praxi explicatur: unà cum rationibus & utilitatibus Medicorum ſua ipſorum medicàmenta præparantium.* ANGLICE. in 8.

Lapis

Lapis Lydius Medicinæ. ANGLICE. in 8.

Vulcanus, *ſive ardentes ignei Montes famoſi in mundo, cum ſuis notabilibus*. ANGLICE. in 4.

Difficiles nugæ: *ſive Obſervationes concernentes experimentum Torricellianum, & varias ſolutiones ejus, in ſpecie pondus & vim elaſticam aëris*. ANGLICE. in 8.

Theſaurus Aſtrologiæ, *continens elegantisſima myſteria curioſæ hujus, ſed abſtruſæ Diſciplinæ, quatenus ad Medicinam ſpectat. Sunt collectanea & experimenta eruditi Medici & Aſtrologi defuncti; cujus nomen eſt incognitum; ſed ex ejus ſingulari benevolentiâ omnibus filiis Medicinæ & Aſtrologiæ commendata ſunt & publicata per* J. Gadbury, *Aſtrol. & Medic. Studioſum*. ANGLICE. in 8.

Diſcurſus duo: *Prior continet* Ingenia differentia hominum: *Poſterior agit* de myſteriis Oenopolarum: *ſive de variis Vinorum morbis, & reſpectivis eorum remediis hodiè communiter uſitatis. Traditi* Societati Regiæ. ANGLICE. in 8.

Hiſtoria Brutorum: *ſive deſcriptio creaturarum viventium, in quâ natura & proprietates beſtiarum quadrupedum amplisſimè deſcribuntur*. ANGLICE. in 8.

Hiſtoria naturalis de Affectibus. ANGLICE. in 8.

Diſcurſus Surdi & Muti: *ſive Tractatus concernens eos qui à nativitate ſunt ſurdi & muti, continens de-*

monſtrationem ſcientiæ & intellectus eorum: ut & methodum, quâ utantur ad manifeſtandum animi ſui ſenſa: unà cum Tractatu additô de Ratione & loquelâ creaturarum inanimatarum. ANGLICE. 1670. in 8.

Tractatus, concernens gravitationem & non-gravitationem corporum fluidorum, *& rationes ejus.* ANGLICE. in 8.

Aula Curioſitatis, *in quâ mediante Algebrâ & ſorte, intricatisſimæ quæſtiones reſolvuntur, & inſomnia nocturna, & viſiones explanantur juxta veterum doctrinam; cui additur Tractatus de Phyſiognomiâ.* GALLICE. *Extat etiam* ANGLICE. *per* J. G. in 8.

Syſtema Agriculturæ *in myſteriis Oeconomiæ detectis &c. cui additur Calendarium & Dictionarium Oeconomicum.* ANGLICE. in Folio.

Inſtructiones datæ à Nobili filiis ſuis, *pro commodô regionis ſterilis, & planitiei in Angliâ & Walliâ.* ANGLICE. in 4.

St. Foine in uſum deductum. *Diſcurſus declarans utilitatem & beneficia, quæ recipit & habet Anglia ex gramine dictô St. Foine.* ANGLICE. in 4.

Epitome Artis Oeconomicæ, *comprehendens omnes inſtructiones neceſſarias pro utilitate ejus, videlicet, arandi, ſerendi, inſerendi, hortos colendi; &c. cum diſcurſu de uſu & naturâ Equorum, Boum, Vaccarum &c.* ANGLICE. in 8.

Eadem

Eadem LATINE, *cui annectitur tanquam appendix, nova methodus plantandi Arbores frugiferas, cum directionibus, pro capiendis ordinandis & informandis Oſcinibus & aliis additamentis utilibus.*

Liquor Alcaheſt, *ſive Diſcurſus, de hoc immortali menſtruô Paracelſi & Helmontii, quod eſt unum è duobus miraculis artis & naturæ, radicalitèr ſolvens omnia animalia, vegetabilia & mineralia in ſua principia ſinè alteratione vel minimâ &c. Publicatus per* J. A. ANGLICE.

Tentamen medicum de naturâ, *temporibus, cauſſis, differentiis, ſignis diacriticis, prognoſticis, medelâq;* Variolarum. in 12.

Animadverſiones in primam partem Machinæ Cœleſtis, *Johannis* HEVELII, *Conſulis Dantiſcani; unà cum explicatione nonnullorum Inſtrumentorum, factorum per Rob.* HOOCKE, *Prof. Geometr. in Collegiô Greshamenſi.* Londini in 4.

D. J. B. de Spiritu Mundi, *Poſitiones aliquot. Extant in Append.* Anni IV. Ephem. Nat. Curioſ.

Chriſtiani Adolphi BALDUINI, *Academici Curioſi,* Obſervatio circa regerminationem Argenti *novô artificiô inventam. Extat in* Append. Anni IV. Ephem. Curioſ.

Ejusdem Obſervatio circa Urnas gentilium *Germanorum noviter inventas Anno 1674.* Extat ibid.

Ejus-

Ejusdem Aurum ſuperius & inferius Auræ *ſuperioris & inferioris Hermeticum.* Lipſiæ 1674. in 12. *Extat etiam in* Append. Anni IV. Ephem. Curioſ.

Ejusdem Phoſphorus Hermeticus, *ſive magnes Luminaris.* Lipſiæ 1674. in 12. *Extat etiam in Append.* Anni IV. Ephem. Curioſ.

Ejusdem Venus Aurea, *in Formâ Chryſocollæ Foſſilis cum fulmine cælitus delapſa prope Haynam die 28. Maji 1677.* Haynæ 1677. in 12. *Extat etiam in Append.* Anni VIII. Ephem. Curioſ.

Jacobi BARNERI Prodromus Sennerti novi, *ſive delineatio novi Medicinæ Syſtematis, in quô quicquid à primis Seculis in hunc usq; diem de arte prodiit,* Hippocratis, Galeni, Paracelſi, Helmontii, Sylvii, Williſii *&c. Dogmata ex principiis Anatomico-Chymicis examinantur.* Auguſtæ Vindel. 1674. in 4.

Ejusdem Diſſertatio Epiſtolica ad D. Joëlem Langelottum, *ſive Prodromus Vindiciarum Experimentorum & Dogmatum ſuorum, quæ* David van der Becke *in Epiſtolâ de volatilitate Salis Tartari pro ſuis venditavit; deq; genuinô Alcaliſata volatiliſandi modo.* Auguſtæ Vindel. in 8.

Ejusdem Spiritus Vini ſine Acidô, *h. e. in Spiritu Vini & Oleis indiſtinctè non eſſe acidum, nec reverà à Spiritu urinæ coagulari, demonſtratio curio-*

curioſa, cum modo conficiendi Salia volatilia oleoſa, eorumq; uſu. Lipſiæ 1675. in 8.

Thomæ BARTHOLINI Acta Medica & Philoſophica Haffnienſia *Ann. 1671. & 1672. cum æneis figuris.* Haffniæ 1673. in 4.

Ejusdem Acta Medica & Philoſophica Haffnienſia *Anni 1673. Volumen II. cum æneis figuris.* Haffniæ 1675. in 4.

Ejusdem Acta Medica & Philoſophica Haffnienſia *Annorum 1674. 1675. 1676. Volumen III. & IV.* Haffniæ 1677. in 4.

Eraſmi BARTHOLINI Experimenta Cryſtalli Islandici *disdiaclaſtici, quibus mira & inſolita refractio detegitur.* Haffniæ 1670. in 4.

Ejusdem de Naturæ mirabilibus *Quæſtiones Academicæ.* Haffniæ 1674. in 4.

Renati BARY Phyſica *in tres tomos diviſa.* GALLICE. Pariſiis in 12. 1671.

Joh. Joachimi BECHERI, Phyſicæ ſubterraneæ Liber primus: *profundam ſubterraneorum geneſin, & admirandam Globi terr-aque-aërei ſuper & ſubterranei fabricam exponens.* Francofurti 1669. in 8.

Ejusdem Experimentum Chymicum novum, *quo artificialis & inſtantanea metallorum generatio & transmutatio ad oculum demonſtratur; loco*

Supplementi *in* Phyſicæ *ſuæ* Subterraneæ *librum priorem*, & Reſponſi *ad* D. ROLFINCII *Schedas de non-entitate Mercurii corporum.* Francofurti 1671. in 8.

Ejusdem Supplementum ſecundum *in Phyſicam Subterraneam, id eſt*, Demonſtratio Philoſophica, *ſeu* Theſes Chymicæ, *veritatem & posſibilitatem transmutationis metallorum in aurum evincentes.* Francofurti 1675. in 8.

Ejusdem Metallurgia. Francofurti 1660. in 8. GERMANICE.

Davidis von der *BECKE* Epiſtola ad D. Joëlem Langelottum, *quâ* Salis Tartari, *aliorumq; ſalium fixorum hactenus adeò deſiderata* volatilitas, *ex principiis & cauſſis, duce Naturâ & comite Labore, evidentisſimè demonſtratur.* Hamburgi 1672. in 8.

Ejusdem Experimenta & Meditationes, circa naturalium rerum principia, *quibus, quæ circa fixi & alcaliſati Salis ante calcinationem in mixtô præ exiſtentiam, ac cauſſas volatiliſationis obſcura aut dubia esſe poterant, clare ſolvuntur.* Hamburgi 1674. in 8.

Ejusdem Barnerus leviter & amicè caſtigatus. Hamburgi 1675. in 8.

Martini Bernhardi de BERNITZ Faſciculus primus remediorum Antipodagricorum, *in curatione Vladis-*

lai IV.

lai IV. Poloniæ & Sveciæ Regis gl. m. adhibitorum. Extat in Appendice Anni IV. Ephem. Cur.

Ejusdem Faſciculus ſecundus Medicamentorum ſingularium, *in Vladislao IV. & Joh. Caſimiro Poloniæ & Sveciæ Regibus olim adhibitorum, h. e.* Andreæ Cnöffelii, *& aliorum quorundam Clariſſimorum Medicorum, nec non* propria Arcana & Experimenta ſpecifica. *Extat in Appendice* Anni VI. & VII. Ephem. Cur.

BLAGRAVII Supplementum *vel* Amplificatio Medici Anglici, à Dn. Culpepero *editi, continens deſcriptionem formæ, nominum, loci, temporis, directionis cœleſtis omnium plantarum, quæ creſcunt in Angliâ, & quæ omiſſæ ſunt in ejus libro, qui Medici Anglici titulum habet, & ſupplens virtutes illarum plantarum additas, in quibus ille deficit: cum novo Tractatu de Chirurgiâ.* ANGLICE. in 8.

Ejusdem Practica Aſtrologica Medicinæ, *detegens veram methodum curandi omnia genera morborum & infirmitatum, quæ naturaliter accidunt corporibus humanis; quæ perficitur ejusmodi herbis, & plantis, quæ creſcunt in propriâ noſtrâ regione: docens methodum deſtillandi & extrahendi earum virtutes, & conficiendi medicamenta.* ANGLICE. in 8.

annectuntur quædam conjecturæ occaſionales circa excellentiam & fundamenta Hypotheſeos mechanicæ per eundem Autorem. ANGLICE. in 8.

Ejusdem Tractatûs conſiſtentes ex Obſervationibus circa ſalſedinem maris: *Demonſtratio* Hydroſcopii Statici *& ejus uſus: cum appendice, de fortitudine humiditatis aëris: fragmenta circa naturalem & præternaturalem ſtatum corporum. Quibus omnibus præmiſſus eſt* diſcurſus Scepticus, *circa poſitivam vel privativam naturam frigoris: cum quibusdam experimentis* Dn. Boylei, *hunc diſcurſum reſpicientibus, per* membrum Societatis Regiæ. ANGLICE. in 8.

Ejusdem Tractatus continentes I. Conjecturas, *de quibusdam qualitatibus aëris abditis: cum appendice, docente Magnetes cœleſtes, & alia quædam particularia.* II. Animadverſiones *ſuper* Dn. Hoppes *Problemata de Vacuo.* III. Diſcurſum de cauſsâ attractionis *per ſuctionem.* ANGLICE. in 8.

Benjaminis BROECKHUYSEN Oeconomia corporis animalis, *& meditationes de mente, corpore, & utriusq; conjunctione.* Noviomagi 1672. in 8.

BROWN Uſus Quadrantis triangularis: *qui eſt Inſtrumentum particulare & generale, utile in terrâ & mari, tàm operationis, quàm obſervationis gratiâ: magis in univerſum utile, quam aliud aliquod hacte-*

hactenus detectum, cum ejus uſu in Arithmeticâ &c. ut & Gnomonica *ſeu Ars horologiorum, quæ eſt Liber Secundus de uſu Quadrantis Triangularis.* ANGLICE. in 8.

BURNETI Theſaurus Medicinæ practicæ, *ex præſtantisſimorum tum veterum, tum recentiorum Medicorum Obſervationibus, Conſultationibus, Conſiliis & Epiſtolis ſummâ diligentiâ collectus, ordineq́ alphabetico diſpoſitus.* in 4.

Hermanni BUSSCHOFII Podagra propius quàm antehâc inveſtigata *& inventa, unà cum ejusdem certâ curâ aut Medicinâ.* BELGICE. Amſtelodami 1675. in 8. GERMANICE & LATINE. Francofurti 1678.

Caroli BUTLERI Fœminina Monarchia, *ſive* Apum hiſtoria *&c.* ANGLICE & LATINE, *interprete* Richardo Richardſono. in 8.

Joh. Alphonſi CASSINI Nova ratio Geometrica *& directa* inveniendi Apogéa, *Eccentricitates, & Anomalias motuum Planetarum.* GALLICE.

Renati CARTESII de Homine, *figuris & latinitate donatus à* Florentiô Schuyl. Lugduni Batav. 1664. in 4.

Ejusdem de formatione Fœtûs, GALLICE *primum editus, nunc* LATINITATE *fruens.* Lugduni Batav. & Amſtelod. 1672. in 4.

Franciſci CARELESCH Islandia fluctuans, *ſive detectio nova, referens peregrinam audaciam in nuperô itinere*

nere à Lambethanâ ad Villa Franca, aliàs Ramalia, verſus ortum Terræ del Templo, per tres naves, videlicet, Payndught, Excuſe, Leaſt in Sight, *ſub conductu Capitanei* Rob. Owemuch, *deſcribens naturam Incolarum, eorum Religionem, leges & mores, per dictum Autorem publicata.* ANGLICE.

CASAUBONI de Spiritibus, Sagis & Operationibus ſupernaturalibus, *probans ea prægnantibus argumentis & teſtimoniis: unà cum aliis rebus notatu dignis.* ANGLICE.

Petri M. CAVINÆ Fax, ſive Lampas volans, magnum Meteorum, *viſum poſt Occaſum Solis diei 31. Martii 1676. Epiſtolica diſſertatio. Iterum edita, adjectis Cl. Virorum dubitationibus, Auctorisq́; reſponſis.* Faventiæ 1676. in Folio. *Extat etiam in Appendice* Anni VIII. Ephem. German.

D. H. CAUSE Hortulanus Regius, *docens modum plantandi arbores, flores, herbas &c.* Amſtelodami 1676. in Folio.

D. de CAUX Varia Philoſophica & Medica. *Tractatus ſeptem.* Rotomagi 1674. in 12.

Gvalteri CHARLETONI Onomaſticon Zoicon, *plerorumq́; animalium differentias & nomina propria pluribus lingvis exponens: cui accedunt* mantisſa anatomica, *& quædam* de variis fosſilium generibus. in 4.

Nico-

Nicolai CHESNEAU Obſervationum Libri quinq;, *quibus acceſſit ordo Remediorum alphabeticus ad omnes ferè morbos conſcriptus: ſicut &* Epitome de Naturâ *& viribus* luti *&* aquarum Barbotanenſium. Pariſiis *&* Amſtelodami 1673. in 8.

Joh. Mar. CIASSI Meditationes de Naturâ plantarum, *& Tractatus Phyſico-Mathematicus, de* Æquilibrio fluidorum *ac* levitate ignis. Venetiis 1677. in 12.

Andreæ CNOEFFELII Medicamenta quædam ſecretiora, *à Dn. D.* Martino Bernhardo de Bernitz *edita. In Append.* Anni VII. Ephem. Germ. Curioſ.

Andreæ CNOEFFELII, Andreæ ex Fr. F., Reſponſum ad Poſitiones de Spiritu mundi, *quod in ſe continet revelationem Tumbæ Semiramidis. Extat in Append.* Anni IV. Ephem. Germ. Cur.

COCKII Meteorologia, *ſive vera via prævidendi & judicandi inclinationem aëris & alterationem tempeſtatis, in variis regionibus: ubi ſimul deteguntur cauſæ errorum illorum, qui vulgò Prognoſtica formant.* ANGLICE. in 12.

Gvilielmi COLE de Secretione animali *cogitatio*. in 12.

COLLEGII PRIVATI AMSTELODAMENSIS Obſervationes Anatomicæ *ſelectiores*. Amſtelodami 1667. in 12.

Ejusdem Obſervationum Anatomicarum pars altera: *in quâ potiſſimum de piſcium Pancreate,*

ejusq́; ſucco agitur; figuris elegantioribus illuſtrata. Amſtelodami 1673. in 12.

Fabii COLUMNÆ Opuſculum de Purpurâ, Romæ *primum Anno 1616. editum, & nunc iterum luci datum, operâ* Joh. Dan. Majoris: *cujus noviſſimè acceſſerunt Annotationes quædam.* Kiliæ 1674. in 4.

Juſti CORTNUMMI de morbo attonito. Lipſiæ 1677. in 4.

Nicolai CULPEPER Medicus Anglicus *amplificatus.* ANGLICE. in 8.

Ejusdem Medicamenta pauperum, *aut* Medicus plebis communis, *Libri II. quorum primus continet remedia excellentia contra morbos maximè communes ſive populares &c. Secundus Sanitatem divitum & pauperum ope diætæ ſine Medicinâ.* ANGLICE. in 8.

Ejusdem Legatum *ſive* Teſtamentum *ad Uxorem ſuam pro communi bono; continens experimenta ſingulariter admiranda in Medicinâ & Chirurgiâ.* ANGLICE. *Extat etiam* GERMANICE, Hamburgi 1675. in 8.

Ejusdem Directorium pro Obſtetricibus, *ſive manuductio pro fœminis in conceptione, geſtatione & lactatione ſuorum liberorum: nuper correcta à variis craſſis erroribus.* ANGLICE. in 8.

Ejus-

Ejuſdem de Venæ ſectione & morbis per hanc curabilibus: *item de Cucurbitulis & Scarificatione, & morbis per has curabilibus.* ANGLICE. in 8.

Joh. Baptiſtæ DENIS Recœuil de Memoires & Conferences. *i. e. Faſciculus Memoriarum & Conferenciarum de artibus & ſcientiis, præſentatarum Filio Regis primogenito Anno 1672. quo* Ephemerides Eruditorum *continuantur*. GALLICE. Amſtelodami 1673. in 12.

Caroli DRELINCOURT Præludium Anatomicum, *quod Lugdunenſium in Amphitheatro ſuam ad primam Anatomes Encheireſin adhibuit.* Ex Officinâ Grasbeckianâ 1672. in 12.

Ejuſdem Apologia Medica, *quâ depellitur calumnia, Medicos ſexcentis Annis Româ exulaſſe.* Lugduni Batav. 1672. in 12.

DUGHTREDI Clavis Mathematica. Londini in 8.

EARLS Microcoſmographia, *ſive pars mundi detecta in ſectionibus & characteribus, edita per Edvardum Blunt.* ANGLICE. in 12.

Joh. Sigismundi ELSHOLTII, Academici Curioſi, de conceptione tubariâ, *quâ humani fœtus extra uteri cavitatem in Tubis quandoq; concipiuntur. Itemq;* de Puellâ monſtroſâ, *Berolini nuper natâ, Epiſtola. Extat in Append.* Anni IV. Ephem. Germ. Cur.

Ejuſdem Deſtillatoria curioſa, *ſive ratio ducendi liquores coloratos per alembicum, hactenus ſi non ignota, certè minus obſervata & cognita. Accedunt* Utis Udenii & Gverneri Rolfincii *Nonentia chymica.* Berolini 1674. in 8.

Michaëlis ETMULLERI Academici Curioſi, Valetudinarium infantile. Lipſiæ 1675. in 4.

Johannis EVELINI de Terrâ *Diſcurſus Philoſophicus.* ANGLICE. 1676. in 8.

Ejuſdem Calendarium Hortenſe, *docens, quid hortulano ſit agendum ſingulis Menſibus per totum Annum &c.* ANGLICE. in 8.

Joh. Matthæi FABRI Strychnomania, *explicans* Strychni manici *antiquorum, vel* Solani furioſi *recentiorum hiſtoriæ monumentum, indolis nocumentum, antidoti documentum &c.* Auguſtæ Vindel. 1677. in 4.

Gvidonis FRANCISCI Diſſertatio Medica, de Morbo Epidemio hactenus inaudito, *æſtate Anni 1669. Lugduni Batav. viciniſq; locis graſſante.* Lugduni Batav. 1671. in 12.

M. le FEBURE Chymia. GALLICE. Pariſiis & Lugduni Batav. 1669. in 12. GERMANICE, Norimbergæ 1676. in 8.

Raymundi Joh. FORTIS de Febribus & Morbis Mulierum, *facilè cognoſcendis & curandis.* Patavii 1668. in 4.

Ejuſ-

Ejuſdem Conſultationum & Reſponſionum *Medicinalium* Centuriæ IV. Patavii 1669. in Folio.

FRENCHII Ars deſtillatoria, *ſive Tractatus de pulcherrimis ſpagyricis præparationibus, experimentis & curioſitatibus, per modum deſtillationis factis; ut &* Deſtillator Londinenſis, *exactè & verè demonſtrans viam deſtillandi omnia genera ſpirituum & aquarum fortium &c.* ANGLICE. in 4.

Joh. Chriſtiani FROMMANNI Tractatus ſingularis, de Hæmorrhoidibus. Norimbergæ in 12.

FULK de Meteoris, *ſive deſcriptio plana & facilis omnis generis meteororum tàm igneorum, quàm aëreorum, tàm aqueorum quàm terreorum, breviter manifeſtans omnium eorum cauſas.* ANGLICE. in 8.

Le Comte GABALIS ſive Colloquium de Scientiis ſecretis. Amſtelodami 1671. in 12. GALLICE.

GADBURY Ephemerides Motuum Cœleſtium, *ad Annos DOMINI noſtri 1672. ad 1681.* ANGLICE. in 4.

Jacobi GAFFARELLI Curioſitates inauditæ, *de figuris Perſarum Talismannicis, horoſcopo Patriarcharum, & characteribus cœleſtibus.* LATINE *cum notis quibusdam ac figuris editæ, operâ* M. Gregorii Michaëlis. Hamburgi & Amſtelodami 1676. in 8.

GAFFREY Abuſus in Medicinâ Chymicâ & Galenicâ commiſſi, *tàm per Medicos quàm Pharmocopœos, detecti.* ANGLICE. in 12.

Chriſt. Frider. GARMANNI, Academici Curioſi, Hydriatria Wiſenſis, *i. e. Deſcriptio Thermarum Wiſenſium, ſive S. Jobi, prope Annæbergam ſitarum*. GERMANICE. Annæbergæ 1675. in 12.

Joh. Phil. GIESWEIN Hodegus Medicus, *i. e. Syſtema univerſale materiæ medicæ*. Francofurti 1676. in 8.

Nehemiæ GREW Anatomiæ Vegetabilium primordia, *cum generali Theoriâ Vegetationis eidem ſuperſtructâ*. ANGLICE. Londini 1671. in 12. *& ex* ANGLICA in LATINAM *translata. Extant in Append.* Anni VIII. Ephem. German. Cur.

Ejusdem Anatomia comparata Truncorum. ANGLICE. Londini 1675. in 8.

Ejusdem Hiſtoria Phytologica, cum Continuatione Anatomiæ Vegetabilium, *in ſpecie demonſtrata in Radicibus: Theoriâ Vegetationis Radicum ei præcipuè ſuperſtructâ*. ANGLICE. Londini in 8.

Horum poſteriorum duorum Tractatuum Verſionem Latinam, DEO volente, dabunt proximè in Ephem. Germanicis Collectores.

Antonii le GRAND Hiſtoria Naturæ, variis Experimentis & Ratiociniis elucidata, *ſecundum principia ſtabilita in Inſtitutione Philoſophiæ editâ ab eodem Autore*, in 8.

Ejus-

Ejuſdem Diſſertatio de carentiâ ſenſus & cognitionis in brutis. Londini in 8.

GREGORII Exercitationes Geometricæ. in 4.

L. v. H. de Herniis, *Diſſertatio Academica.* Gedani 1677. in 4.

Joh. Baptiſtæ du HAMEL de Conſenſu veteris & novæ Philoſophiæ. *Libri II.* Oxonii in 4. & Rotomagi 1675. in 12.

M. Philippi Jacobi HARTMANNI Succini Pruſſici Phyſica & civilis Hiſtoria, *cum Demonſtratione ex Autopſiâ & intimiore rerum experientiâ deductâ.* Francofurti 1677. in 8.

Gideonis HARVEI Venus magna denudata, *ſive Demonſtratio exactior morbi Gallici, & Gonorrhææ virulentæ, cum methodo utrumque morbum curandi.* ANGLICE. in 8.

Ejuſdem Venus parva denudata, *ſive Detectio perfecta luis venereæ, comprehendens opiniones plurimorum antiquorum & modernorum Medicorum; cum Judicio Autoris & Obſervationibus de ortu, naturâ, ſubjecto, cauſſis, ſpeciebus, ſignis & prognoſticis morbi dicti: cum variis viis & methodis curandi eum morbum & Gonorrhæam.* ANGLICE. in 12.

Joh.

Joh. Friderici HELVETII Microſcopium Phyſiognomiæ Medicum. *i. e. Tractatus de Phyſiognomiâ, cujus ope non ſolùm animi motus ſimul ac corporis defectus interni; ſed & congrua iis remedia noſcuntur, per externornm lineamentorum, formarum, colorum, odorum, ſaporum, domiciliorum ac ſignaturarum intuitum: qui harmonicam hominis conſtitutionem & medicandi notitiam ex ſimplicibus indicat.* Amſtelodami 1676. in 8.

Johannis HEVELII Machinæ cœleſtis pars prior, *Organographiam ſive Inſtrumentorum Aſtronomicorum omnium quibus Autor hactenus Sidera dimenſus eſt, delineationem & deſcriptionem plurimis Iconibus æri inciſis exhibens, cum aliis ſcitu dignis ad Mechanicam Opticamq́ artem pertinentibus, imprimis de maximorum Tuborum conſtructione & commodisſimâ directione: nec non novâ & facillimâ Lentes quasvis, ex Sectionibus conicis, expoliendi ratione.* Gedani 1673. in Folio.

Hieronymi HIRNHEIM de Typho generis humani, *ſive ſcientiarum humanarum inani & ventoſo tumore, difficultate, labilitate, falſitate, jactantiâ, præſumtione, incommodis & periculis, tractatus brevis; in quo etiam vera ſapientia à falsâ discernitur, & ſimplicitas mundo contemta extollitur, Idiotis in ſolatium, doctis in cautelam conſcriptum.* Pragæ 1676. in 4.

Tho-

Thomæ HOBBES de principiis & ratione geometricâ. 1666. in 4.

Ejuſdem contra Walliſium *in tribus chartis præſentatis* Societati Regiæ, *unà cum conſiderationibus Reſponſionis* D. Walliſii *ad eas.* ANGLICE. 1671. in 4.

Philippi HOECHSTETTERI rarum Obſervationum Medicinalium Decades ſex, *antehàc editæ; quibus nunc acceſſère* quatuor Decades aliæ, *nunquam hactenus viſæ: continentes hiſtorias, quæſita, obſervata, variaq́ monita medica, curante* Joh. Philippo Hœchſtettero, *Autoris nepote.* Francofurti & Lipſiæ 1674. in 8.

Friderici HOFFMANNI Clavis pharmacevtica Schrœderiana, *ſive Animadverſiones cum Annotationibus in Pharmacopœjam Schrœderianam, Baconianis, Carteſianis, & Helmontianis principiis illuſtratæ, & D. Joh. Michaëlis, aliorumq́ arcanis concinnatæ &c. cum Theſauro pharmacevtico quorundam Medicorum noſtri Seculi.* Halæ Saxonum 1675. in 4.

Wilhelmi HOLDER Elementa loquendi: *ſpecimen Inquiſitionis in naturalem productionem literarum: unà cum Appendice informandi perſonas mutas & ſurdas.* Londini 1669. in 8.

Engelberti HOLTERHOFF Animadverſiones in Franc. de le Boë Sylvii Diſputationes medicas *de primariis*

riis corporis humani functionibus &c. demonſtrantes fundamenta illius nova veritati & experientiæ contraria. Coloniæ Agrippinæ 1675. in 12.

Ejusdem Diſcurſus Medicus, *oſtendens* errores Medicorum *in curationibus.* Coloniæ Agrippinæ 1676. in 4.

Roberti HOOCKII Tentamen probandi Motum Terræ *ex Obſervationibus.* ANGLICE. in 4.

Johannis van HORNE Prodromus Obſervationum *ſuarum circa partes genitales in utroq; ſexu.* Lugduni Batav. 1668. in 12.

Jeremiæ HOROCCII Opera poſthuma, *videlicet,* Aſtronomia Kepleriana *defenſa & promota.* Excerpta ex Epiſtolis ad Crabtræum *ſuum:* Obſervationum Cœleſtium Catalogus. *Accedunt* Gvilielmi Crabtræi Obſervationes Cœleſtes. *In calce adjiciuntur* Joannis Flamſtedii de temporis æquatione *Diatriba; &* numeri ad Lunæ Theoriam Horoccianam. in 4.

HUGHES Aurora Medicinæ Chymicæ, *ſive Praxis, medicamenta chymica præparandi, diviſa in tres libros per* W. T. *Philo-Aſtro-Medicum.* in 12.

Ejusdem Medicus Americanus, *ſive Tractatus de radicibus plantis, arboribus, fruticibus, fructibus, herbis &c. quæ creſcunt in Coloniis Anglicis in Americâ, deſcribens locum, tempus, nomina, ſpecies;*

cies, temperamentum, virtutes & uſus eorum, tàm pro diætâ, quàm pro medicinâ &c. cui additur Diſcurſus de Arbore nucis Cacao, *& uſu fructuum ejus, cum omnibus methodis præparandi Chocoladam.* ANGLICE. Londini 1672. in 12.

Ejuſdem Vinetum completum, *ſive* methodus excellens plantandi vites, *ſecundum modum Germanorum, & Gallorum, & ſecundum eum, qui in Anglia diu uſitatus fuit: in quo exhibentur methodus & omnes circumſtantiæ neceſſariæ pro plantatione Vineti, cum electione ſoli, ſituatione, ut & modo torcularium, modo contundendi & conterendi uvas, & quomodo conſervanda ſint vina Anglica.* ANGLICE. in 8.

Ejuſdem Viridarium, *oſtendens breviter, quomodo plurimi flores ſint ordinandi, quo tempore floreant, quando ſint eximendi, quando plantandi, & quomodo augendi per* (Layers of ſets) *ſurculos, reſectionem, ſemina &c. cum aliis Obſervationibus neceſſariis, relatis ad hortum florum: cui additur* Horologium hortulanorum, *videlicet quomodo conficiendum ſit horologium horizontale in areâ gramineâ, in nodo horti, aut alibi, cui ſimile non exſtitit.* ANGLICE. Londini 1672. in 8.

HUNTS Dux pro Stereometrâ, practicò cum compendio arithmeticæ decimalis, *demonſtrans breviter.*

I. Varias & faciles vias metiendi capacitatem vaſorum cereviſiariorum &c. II. Explorandi quantitatem vini, vini aduſti, cereviſiæ vel olei in doliis ex parte vacuis. III. Menſurationem omnium ſuperficierum, ut asſeris, vitri &c. ANGLICE. in 8.

Thomæ HYDE Tabulæ Longitudinis & Latitudinis Stellarum fixarum: *ex* Ulugh Beighi, Tamerlanis M. *nepotis M. SS. Perſicis jam primum luce ac Latio ab ipſo donatæ, & Commentariis illuſtratæ.* in 4.

Ejusdem Catalogus impresſorum Librorum Bibliothecæ Bodlejanæ *in Academiâ Oxonienſi.*

Joh. JESSELINI Angliæ novæ rara detecta *in avibus, beſtiis, piſcibus, ſerpentibus & plantis ejus regionis: cum uſu phyſico & chirurgico eorum, illuſtrata Tabulis æneis.* ANGLICE. Londini 1672. in 12.

JORDANI Diſcurſus de Thermis naturalibus, & Aquis mineralibus &c. *cui adduntur quædam alia in relatione ad aquas thermales, operâ* Thomæ Gvidot. ANGLICE. in 8.

Georgii Sebaſtiani JUNGII, Academici Curioſi, χρυσόμηλον ſive Malum aureum, *h. e.* Cydonii *collectio, decorticatio, enucleatio & præparatio Phyſico-Medica, ad Academiæ Naturæ-Curioſorum leges & methodum facta.* Vindobonæ 1673. in 8.

KAYS Catalogus Plantarum Angliæ, & *Inſularum adjacentium, tum indigenas, tum in agris pasſim cultas,*

cultas, complectens: in quo præter Synonyma neceſſaria, facultates quoq; ſummatim traduntur, unà cum Obſervationibus & Experimentis novis Medicis & Phyſicis. in 8.

Edvardi KELLÆI Tractatus de Lapide Philoſophorum. Hamburgi 1676. in 8.

Comitiſſæ de KENT Manuale, *conſtans raris & ſelectis Secretis in Medicinâ & Chirurgiâ.* ANGLICE. in 24.

KERSEY Elementa Artis Mathematicæ, *quæ communiter dicitur* Algebra, *expoſita in quatuor libris.* ANGLICE. in Folio.

Athanaſii KIRCHERI Sphinx myſtagoga, *ſive Diatribe hieroglyphica de Mumiis.* Amſtelodami 1676. in Folio.

Georgii Caſpari KIRCHMAIERI, Academici Curioſi, Noctiluca conſtans, & per vices fulgurans, *diutiſſimè quæſita, nunc reperta: Diſſertatione brevi præviâ de Luce, Igne, & perennibus Lucernis.* Wittebergæ 1676. in 4. *Extat etiam Hypomnematis aliquot auctior reddita in Append.* Anni VIII. Ephem. Germ. Cur.

Theodori KIRCHMAIERI Schediaſma Philoſophicum, de viribus mirandis Toni conſoni, *in movendis affectibus, in concitandis & rumpendis corporibus, in curandis morbis.* Wittebergæ 1672. in 4.

Johannis KUNCKELII Obſervationes utilisſimæ, *ſive Annotationes de* Salibus fixis *ac* volatilibus, auro & argento potabilibus, Spiritu mundi, *aliis, ut & de* coloribus *ac* odoribus, metallorum, *mineralium, & aliorum terræ productorum.* GERMANICE. Hamburgi 1676. in 8.

Ejusdem Obſervationes, *in quibus* de principiis chymicis, ſalibus acidis & alcalibus, fixis & volatilibus *trium Regnorum, mineralis, vegetabilis, & animalis, agitur: nec non* de odore *ac* coloribus &c. *Annexum eſt* Conſpicillum chymicum, contra Non-entia chymica. *Omnia propriæ experientiæ ductu deſcripta, & variis experimentis confirmata.* GERMANICE. Wittebergæ 1677. in 8.

Friderici LACHMUND de ave Diomedeâ *Diſſertatio, cum verâ ejus effigie æri incisâ, ad* D. Joh. Dan. Majorem. Amſtelodami 1674. in 12.

Franciſci LANÆ, S. J. Prodromus, *ſive* Specimen quarundam novarum inventionum, præmisſum Arti magiſtræ, *Operi quod Ipſe parat, ad monſtrandum maximè recondita principia Philoſophiæ naturalis, cognita per accuratam theoriam inventionum maximè inſignium, & per experimenta hactenus à Scriptoribus in hâc materiâ facta, cum aliis novis ipſius Autoris.* ITALICE. Breſciæ 1670. in Folio.

Wil-

Wilhelmi LANGLEY de Generatione Animalium *Obſervationes quædam; accedunt*, Ovi fœcundi *ſingulis ab incubatione diebus factæ* inſpectiones: *ut &* Obſervationum Anatomico-Medicarum, *Decades quatuor: deniq;* cadavera Balſamo condiendi *modus*. Prodiere, cum *Juſti Schraderi* Obſervationibus de generatione Animalium. Amſtelodami 1674. in 12.

Laurentii LEGATI Muſeum Coſpianum, *annexum illi famoſo* Ulysſis Aldrovandi, *& donatum Illuſtrisſimo Domino* Ferdinando Coſpi, *Patritio & SenatoriBononienſi &c.* ITALICE. Bononiæ 1677. inFolio.

Eccardi LEICHNERI Epicriſis medico-analytica, *ſuper undecim Diſputationes Medicas* Sylvii. Erffurdiæ 1676. in 12.

Cornelii von der *LINDEN Exercitatio Phyſico-Medica*, de Animâ hominis vitali, *Commentario illuſtrata*. Lugduni Batav. 1673. in 8.

Friderici LOSSII Obſervationum medicinalium Libri quatuor in 8.

LOVEI Clavis Medicinæ, *ſive Praxis Medicinæ Reformata, in quâ deſcribitur Natura & Cauſa plurimorum Morborum, & Methodus ſelecta eosdem curandi: Methodus contraria omnibus Autoribus*. ANGLICE. in 8.

Danielis LUDOVICI de volatilitate Salis Tartari. *Editio ſecunda.* Gothæ 1674. in 12.

A. M. Dis-

Ejuſdem Tractatus de Scorbutô, *in quô examinantur opiniones diverſæ, & praxes ſolidiſſimorum & graviſſimorum Scriptorum, concernentes Naturam & Curationem graviſſimi hujus morbi: evincuntur Errores conſiderabiles in Theoriâ & Praxi, & determinatur univerſa hæc materia per Experimenta & Obſervationes recentes: cum genuinâ deſcriptione* Tabaci *in relatione ad hunc morbum.* ANGLICE. in 8.

Ejuſdem Medicus perfectus, *ſecundum qualitates & dignitatem, ortus & progreſſus medicinæ, illuſtratus &c.* ANGLICE. in 8.

Ejuſdem de Conſumtione ſeu Tabe *Tractatus.* in 12.

Ejuſdem Hiſtoria & myſterium Luis venereæ, *utrumq; conciſè abſtractum, & formatum ex ſeriis perpenſionibus, & criticis collationibus diverſarum repugnantium opinionum & contrariarum aſſertionum, celebrium Medicorum Anglorum, Gallorum, Hiſpanorum, Italorum, diſſentientium Scriptorum: convincens, traditam hactenus doctrinam de grandi hoc malo, & communem Medicorum praxin illi ſuperſtructam, eſſe erroneam, & non ſalutarem; ſolvens præterea quæſtiones de abſtruſâ naturâ, difficili & deceptibili curatione hujus morbi, cum animadverſionibus ſuper diverſas methodos prædi-*

ctis

ctis Nationibus in uſu. ANGLICE. *primum* in 8. *hinc & LATINE* Francofurti & Hamburgi 1675. in 8.

Joh. MAYOW Tractatus quinq; Medico-Phyſici. I. De Sal-nitro, *& Spiritu Nitro aëreo. II.* De Reſpiratione. *III.* De Reſpiratione Fœtûs in Utero *& in Ovo. IV.* De Motu muſculari *& Spiritibus animalibus. V.* De Rachitide in 8.

MEAGRE Hortulanus Anglicus, *ſive Dux ſecurus Plantatorum & Hortulanorum juniorum: in tribus partibus: quarum* prima *oſtendit viam & ordinem plantandi omnis generis Truncos. &c.* Secunda, *quomodo ordinandus ſit Hortus culinarius;* Tertia, *quomodo adornandum ſit Viridarium.* ANGLICE. in 4.

Henrici MEIBOMII de Vaſis palpebrarum novis *Epiſtola ad* D. Joëlem Langelottum. Helmeſtadii 1666 in 4.

Ejusdem de Medicorum Hiſtoriâ ſcribendâ *Epiſtola ad V. Cl.* Georg. Hier. Velſchium. Helmeſtadii 1669. in 4.

Chriſtiani MENTZELII, Acad. Cur. Lapis Bononienſis in obſcuro lucens, *collatus cum* Phoſphoro Hermetico Balduini, *& cunctis Naturæ indagatoribus ulterioris Scrutinii ergo exhibitus.* Bilefeldiæ 1675. in 12. *Extat etiam in Appendice* Anni IV. Ephem. German. Cur.

Joh. Valentini MERBITZII de varietate Faciei humanæ. Dresdæ 1676. in 4.

Chriſtophori MERRETTI Demonſtratio Fraudum & Abuſuum, qui à Pharmacopœis committuntur, *tàm Ægrorum quàm Medicorum reſpectu; docens unicum hujus rei remedium eſſe, ut ipſi Medici ſua præparent medicamenta.* ANGLICE. in 4.

Ejusdem Defenſio Libri ſui prioris adverſus Pharmacopœos. ANGLICE. in 4.

Ejusdem Literæ ad Dn. Henricum Stubbium, *in quibus Methodus Galenica, & Medicamenta, itemq; Venæ Sectio à parte afferuntur, ut probentur in efficacia, vel deſtructiva eſſe, per demonſtrationes experimentales. Item, Reſponſio ejus adhæc per literas, in quas animadverſiones factæ ſunt.* ANGLICE. in 4.

Valentini Andreæ MOELLENBROCCII, Acad. Cur. de Varis, *ſeu* Arthritide vagâ Scorbuticâ *Tractatus, editione alterâ auctior & correctior.* Lipſiæ 1672. in 8.

Ejusdem Cochlearia curioſa, *ad Leges & Methodum Academiæ Nat. Curioſorum concinnata.* Lipſiæ 1674. in 8.

Dan. Georgii MORHOFII de Metallorum transmutatione, *ad* D. Joëlem Langelottum *Epiſtola. Extat in* Triade Epiſtolarum chymicarum. Hamburgi 1673. in 8.

Ejus-

Ejuſdem de Paradoxis Senſuum *Exercitatio.* Kiliæ 1676. in 4.

Roberti MORISONI Hortus Regius Bleſenſis auctus, *cum notulis, durationis & characteriſmis Plantarum, tàm additarum quàm non ſcriptarum, item, Plantarum in eodem hortô Regio Bleſenſi auctô contentarum nemini hucusq; ſcriptarum brevis & ſuccincta delineatio.* in 8.

Samuelis MORLANDI Tuba Stentorophonica, *ſive quâ in diſtans loqui quis poteſt.* ANGLICE. Londini in Folio. *Extat etiam* GALLICE, *in* M. Denis *Faſciculo Memoriarum & Conferentiarum.* Pariſiis 1672. in 12.

Ejuſdem Deſcriptio & uſus Inſtrumentorum duorum Arithmeticorum, *unà cum Tractatu brevi explicante & demonſtrante ordinarias Arithmeticæ Operationes: uti ſimiliter Calendario perpetuo & variis Tabulis utilibus.* ANGLICE. in 12.

MOXONI Perſpectiva practica, ſive facilis elaboratu, *docens ope Opticæ, quomodo delineanda ſint omnia Corpora, Ædificia, Regiones; ope Catoptricæ, quomodo delineandæ ſint Apparentiæ confuſæ, quaſi viderentur in ſpeculo vel corpore politæ figuræ alicujus animo conceptæ; ope Dioptricæ, quomodo partes variarum figurarum in unam ducendæ, quando videntur per vitrum aut cryſtallum ſectam in varias figuras.* ANGLICE. in Folio.

(e) 3 *NEW-*

NEWTONI Stereometria, *ſive plana & facilis Methodus menſurandi Capacitatem Vaſorum Vinariorum & Cereviſiariorum, ſive plenorum, ſive ex parte vacuorum, cum Tabulâ oſtendente aream ſegmentorum Circuli, dum area tota eſt unitas, & diameter ſectus in mille æquales partes.* ANGLICE. in 8.

NORTH Obſervationes & Conſilia Oeconomica. ANGLICE. in 8.

Henrici OLDENBURGII Philoſophical Transactions. *h.e. Actorum Philoſophicorum Volumina VIII. IX. X. & XI. vid. Annorum LXXIII. LXXIV. LXXV. LXXVI.* ANGLICE. Londini in 4.

W*ilhelmi OUGTHREDI Recreationes Mathematicæ, ſive collectio variorum problematum ex antiquis & modernis Philoſophis, ut & ſecretorum & experimentorum in Arithmeticâ, Geometriâ, Coſmographiâ, Horologiographiâ, Aſtronomiâ &c. ſcriptæ primo* GRÆCO *&* LATINO *Idiomate; nuper translatæ in* GALLICUM *per* Henr. van Etten, *nunc vero in* ANGLICUM, *unà cum examine & augmentis diverſorum modernorum Mathematicorum: quibus addita eſt deſcriptio & uſus duplicis Horologii Horizontalis, & generalis Horologici Annuli, inventi, & deſcripti per eundem Autorem.* ANGLICE. in 8.

PANTALEONIS Sophiæ Hermeticæ Adepti Tumulus Hermetis apertus: *in quo ad Solem Meridianum ſunt videndæ antiquiſſimorum Sophorum abſconditæ veritates Phyſicæ; & recentiorum quorundam erroneæ opiniones, de laudatiſſimô illo liquore,* Mercurio Philoſophorum, *ita ut jam cuilibet, etiam mediocriter ingenioſo, regia via pateat ad hoc myſterium perquirendum, inveniendum & præparandum, in gratiam errantium illuminatus.* Norimbergæ 1676. in 8.

Ejusdem Bifolium metallicum, *ſeu* Medicina duplex pro Metallis & Hominibus infirmis, *à Proceribus artis Hermeticæ ſub titulo* Lapidis Philoſophici *inventa, elaborata & poſteritati transmisſa, jam vero denuò recognita, cum omnibus circumſtantiis requiſitis & manipulationibus ſine dolo, methodicè tradita & hujus divinæ ſcientiæ amatoribus propoſita.* Norimbergæ 1676. in 8.

Ejusdem Examen Alchymiſticum, *quo ceu Lydio lapide* Adeptus *à* Sophiſtâ, *&* verus Philoſophus *ab* Impoſtore dignoſcitur, *inſtitutum in gratiam Magnatum, & eorum, qui ex defectu multæ lectionis, & vulcanicæ experientiæ, punctum chymicum plenariè non intelligunt, ne tàm turpiter à perditisſimis illis fumivendulis decipiantur: necesſarium & ſummè proficuum opuſculum, quale à mundo condito

dito non fuit typis exaratum. Norimbergæ 1676. in 8.

Joh. Nicolai PECHLINI de Aëris & Alimenti defectu, & Vitâ hominum ſub Aquis, *Meditatio ad* D. Joëlem Langelottum. Kiliæ 1676. in 8.

Ejusdem de habitu & colore Æthiopum, qui vulgo Nigritæ: *Liber ad* D. Carolum Drelincurtium. Kiliæ 1677. in 8.

PELLI Tabula de decemmille Numeris Cubicis, *nominatim de omnibus numeris cubicis inter* o *&* *centum milliones, deq́ horum lateribus ſeu radicibus, quæ ſunt omnes numeri inter* o *&* 10000, *cum Appendice, concernente finem, ſeu ultimam figurarum, omnium numerorum cubicorum.* ANGLICE. in Folio.

PETRUCCII de Capſulis Renalibus, *earumq́ uſu.* Romæ 1676.

Wilhelmi PETTI Diſcurſus *habitus coram* Societate Regiâ, *die 26. Novemb. 1674., concernens* Uſum Proportionis duplicatæ *in variis particularibus, unà cum novâ hypotheſi Motus Elaſtici.* in 12.

PHARMACOPOEIA Londinenſis, *Collegarum hodie viventium Studiis ac Symbolis ornata.* Londini 1662. in 24.

PHILALETHÆ Hiſtoria naturalis, *intermixta varietate Diſcurſuum Philoſophicorum, & Obſervationum, de Incendio Montis Æthnæ.* ANGLICE. in 12.

PHIL-

PHILLIPOT Specimen Philoſophicum, *tractans* de cauſſâ *maximè probabili grandis iſtius myſterii naturæ*, Fluxus & Refluxus Maris. ANGLICE. in 4.

Matth. Zachariæ PILLINGII Bitumen & Lignum foſſile bituminoſum *deſcriptum*. Altenburgi 1674. in 8.

Hugh. PLATTI Hortus Eden, *ſive* accurata deſcriptio omnium Florum & Fructuum nunc in Angliâ creſcentium, *cum regulis particularibus, quomodo horum Natura & Augmentum promoveri debeat, tàm in Seminibus & Herbis, quàm ſecretâ diſpoſitione Arborum & Plantarum*. in 8.

PRICKII Practica Geometriæ, *cum Ordine novo & Methodo ejus particulari: in quâ continentur Specimina ſive Typi regionum, Teleſcopiorum figuræ, & ſimilia, repræſentata 82. tabulis, quarum ſingulæ deſcriptionem plenam habent*. ANGLICE. in 8.

Georgii PRUCKELII de Dolore Colico, *Tractatus poſthumus, cum* Diſcurſu *præliminari*, de cauſſis Medicinam *hoc tempore* difficilem reddentibus: *editi, à* Joh. Petro Pruckelio D. GERMANICE. Jenæ 1676. in 4.

RAY Itinerarium, *conſtans Obſervationibus Topographicis, Moralibus, & Phyſiologicis, factis in itinere per partem Inferiorem Regionum* Germaniæ, Italiæ & Franciæ; *cum Catalogo Plantarum in Angliâ non na-*

naſcentium, quæ ſpontè proveniunt in his partibus, & de earum Virtutibus; cum deſcriptione Itineris Dn. Willugby *per partem Hiſpaniæ.* ANGLICE. in 8.

Johannis RHODII de Acia Diſſertatio *ad* Cornelii Celſi *mentem, qua ſimul univerſa* Fibulæ *ratio explicatur. Secundis curis, ex Autographo Autoris auctior & emendatior, cum judicio Doctorum edita à* Th. Bartholino. *Accedit* de Ponderibus & Menſuris. *Ejusdem Autoris Diſſertatio, &* vita Celſi. Hafniæ 1672. in 4.

Lazari RIVERII Arcana, hactenus nunquam viſa, *edita ab ejus quondam diſcipulo,* Bernhardino Chriſtini *à Juvellinâ. Quibus & alia acceſſerunt.* Venetiis 1676. in 4.

A. ROBERT Caſus qui contigêre Dn. T. S. Mercatori Anglico, *dum captivus detineretur à Turcis de Argiers, & deduceretur in interiora Africæ, cum deſcriptione Regni Argiers. Cui additur Relatio commoditatum præcipuarum ejus Regionis &c. Cui annectitur Obſervatio tempeſtatis, & quomodo navis ex Oſtiis Freti Gaditani revehenda Vento exiſtente Occidentali, per* Richardum Norris. Londini 1670. in 12.

Jacobi ROHAULTI Tractatus Phyſicus, *ex* GALLICO *in* LATINAM *lingvam translatus, per* Theophilum Bonet. Argentorati 1674. in 8.

Jacobi

Jacobi ROLANDI Aglosſoſtomagraphia, *ſive Os absq; linguâ perfectè loquens, ex* GALLICA *in* LATINAM *translata, à* D. Carolo Reigero. *Extat in* Tomo III. Ephem. Germ. Curioſ.

Donati ROSETTI Antignome Mathematica.

Pauli Ludovici SACHSII Monocerologia, *ſive de genuinis Unicornibus Diſſertatio*. Raceburgi 1676. in 8.

SALMONII Synopſis Medicinæ, *ſive Compendium Aſtrologicæ, Galenicæ & Chymicæ Medicinæ, philoſophicè deductum, ex principiis Hermeticis, & Hippocraticis, in tribus libris. Quorum I. proponit Signa diagnoſtica. II. Prognoſtica. III. Methodum curandi &c.* ANGLICE. in 8.

SAUNDERS Phyſiognomia, Chiromantia &c. *Proportio ſymmetrica, & moles ſignata corporis, explicata: cum interpretatione inſomniorum: quibus additur Ars memoriæ. Illuſtrata figuris & variis magnis additamentis.* ANGLICE. in Folio.

Ejusdem Chiromantia, in Secretis ejus detectis, *ſive familiaris, facilis & nova Methodus, per quam judicare poſſumus de Actionibus generaliſſimis in Vitâ hominum ex Lineis manuum, cum omnibus earum dimenſionibus & ſignificationibus &c.* ANGLICE. in 12.

Thomæ SCHIRLÆI Diſſertatio Philoſophica, explicans Cauſſas probabiles Lapidum in Macrocoſmo,

quâ occaſione in originem Corporum omnium inquiritur, atq; oſtenditur, eam deberi Aquæ & Seminibus, præmiſſa tractatui Medico de Cauſſis & Curatione Calculi *tàm* Renum *quàm* Veſicæ: ANGLICE *primum edita, nunc in gratiam Philoſophorum* LATINE *reddita.* Hamburgi 1675. in 8.

Cunradi Victoris SCHNEIDERI de Apoplexia *contra Cheſneau, Diſputatio:* Wittebergæ 1676. in 4.

Juſti SCHRADERI Obſervationes & Hiſtoriæ ex Harvæi Libris de Generatione Animalium excerptæ *& in ordinem redactæ. Acceſsêre* Wilhelmi Langley *Obſervationes, & alia.* Amſtelodami 1674. in 12.

Lucæ, L. F., SCHROECKII, Acad. Cur. Pharmacopœia Auguſtana reſtituta, *ſive Animadverſionum* Joh. Zwelfferi *in Diſpenſatorium Auguſtanum, ejusq; Mantiſſam Hermeticam examen.* Auguſtæ Vindelicorum 1673. in 4.

Georgii SEGERI Oratio inauguralis de Curioſitate Phyſicâ, *cum Ejusdem in eam notis.* Gedani 1675. in 4.

W. *SENGWERDI* de Tarantulâ Tractatus, *in quo præter ejus deſcriptionem, Effectûs veneni Tarantulæ, qui hactenus occultis qualitatibus fuere adſcripti, rationibus naturalibus deducuntur & illuſtrantur.* Lugduni Batav. 1668. in 12.

SER-

SERMONII Amicus ægri, *ſive* præſervatio honeſta Anglorum, *oſtendens, Cauſſas, Symptomata, & Curationes Occultorum & maximè noxiorum Morborum, qui corpora hominum affligunt: cui annexus eſt Diſcurſus particularis de* Hydrope, Scorbuto & Ictero flavo &c. *& Methodus abſolutiſſima Curationis.* ANGLICE. in 8.

Ejusdem Comes Fœminarum, *ſive* Obſtetrix Anglica, *in quâ demonſtratur Modus & Ordo, quomodo Fœminæ ſe ipſas gerere, toto tempore quo liberos geſtant, debeant; de ipſarum Labore difficili, Conatu duro &c. unà cum Morbis, quibus his temporibus ſubjacent, & ſingulos curandi Methodus Modusq́, ut & varii poſitus Fœtus egredientis ex utero, in XVII. Tabulis æneis.* ANGLICE. in 8.

Johannis SHURPII Liber de Obſtetricibus, *ſive* ars tota obſtetricandi detecta, *inſtruens Fœminas, Fœtum geſtantes, quales ſe gerere debeant in ſuâ Conceptione, Geſtatione, Enixu & Nutritione infantum.* ANGLICE. in 8.

W. *SIMPSONI* Zymologia Phyſica, *i. e. Diſcurſus de Fermentatione.* ANGLICE. Londini 1675. in 8.

SMITHII Intereſſe Angliæ redivivum, *in tractatione omnis generis œconomiæ & negotiorum terrâ mariq́ &c. experimentis triginta Annorum illuſtratum, inq́ Libros VI. digeſtum.* ANGLICE. in 4.

Juſti STENGELII Experimenta Zythopeptica, *docentia, quâ ratione Cereviſia harum regionum ex byne coquendo ritè præparanda; bona, durabilis & ſapida conficienda; inſipida, acida aut alio vitio laborans corrigenda ſit: cum mantiſſa, de cereviſiis, & acetis aliquot medicatis: maximam partem juxta proprias Obſervationes deſcripta.* GERMANICE. Ratisbonæ 1676. in 4.

Joh. Chriſtophori STURMII Collegium experimentale *ſive* curioſum, *in quo primaria hujus Seculi inventa & experimenta Phyſico-Mathematica partim ab aliis jam pridem exhibita, partim noviter iſtis ſuperaddita oculis ſubjecit, & ad Cauſſas ſuas naturales demonſtrativâ Methodo reduxit, cum auctariis quibusdam.* Norimbergæ 1676. in 4.

Henrici STUBBII Replica contra Georgium Thomſon: *cui additur* Defenſio Phlebotomiæ in genere, & in ſpecie in Peſte, *& Morbis peſtilentialibus, Variolis, Scorbuto, Pleuritide, & quibusdam aliis morbis, oppoſita illius ipſius Autoris Medelæ Medicinæ*, D. Whitackero, *&* D. Syolenham. *Ut & relatio Symptomatum peregrinorum, quæ nuper poſt Venam ſectam contigêre: unà cum Methodo curationis Eorum: tandem Replica ſub modo Præfationis contra Calumnias* Eccebolii Glanvills in 4. ANGLICE.

Ejus-

Ejuſdem miraculoſus Conformiſta, *ſive conſideratio ſingularum Curationum miraculoſarum, contrectatione Manuum* Dn. Valentini Greatrecks *factarum; unà cum Diſcurſu Phyſico ſuper hanc rem, in formâ Epiſtolæ ad* Dn. Boylæum. in 4.

Johannis SWAMMERDAMI Miraculum naturæ, *ſive* Uteri muliebris fabrica, *notis in* D. Joh. van Horne *Prodromum illuſtrata, & Tabulis cum ipſo Archetypo à Clariſſ. & Experientiſſ. Viris collatis adumbrata; unà cum Methodo novâ, Cavitates corporis ita præparandi ut ſuam ſemper genuinam faciem ſervent, ad* Illuſt. Societatem Regiam Londinenſem. Lugduni Batav. 1672. in 4.

Thomæ SYDENHAM Obſervationes Medicæ circa Morborum acutorum Hiſtoriam & Curationem. Londini 1676. in 8.

Johannis TACKII Triplex Phaſis Sophicus. I. De Auro, Saccharo, & Q. E. Vini, *aureum flumen repræſentans, & infirmitati humanæ apprimè conveniens.* II. Chryſogonia animalis & mineralis, *magnum Philoſophorum Opus, pro conficiendo Elixire ad Metalla & Corpora humana, cum generatione Sangvinis humani in Corpore humano comparans.* III. Myſterium Reſurrectionis rerum *ſpei mortalium ad immortalitatem & incorruptibilitatem conſecratum.* Francofurti 1673. in 4.

TAL-

TALBOR de Febribus, *ſive rationalis delineatio Cauſſæ & Curationis Earum, cum Signis diagnoſticis & Prognoſticis, ut & Medicamenta quædam ſpecifica præſcripta pro Curatione omnium Specierum Febrium; brevis item delineatio Cauſſæ & Curationis Febrium & Torminum Ventris.* ANGLICE. in 8.

TANNERI de Medicinâ: *ubi plenè deteguntur abditi artis hujus theſauri.* ANGLICE. in 8.

Jacobi TAPPII de Functionum Senſuum internorum læſionibus. Helmſtadii 1676. in 4.

P. THIBAULT Curſus Chymicus, *Editio ſecunda.* GALLICE. Lugduni Batavorum. 1672. in 12.

Georgii THOMSONI ὀρθομέθοδος ἰατροχυμική, *ſive Methodus directa Chymicè curandi; in quâ continetur originalis materia & principale agens omnium Corporum naturalium, efficientes & materiales Cauſſæ Morborum Methodus Therapevtica eorum, 1. Diæteticè, 2. Pharmacevticè: cui additur Ars Obſtetricum chymicè aſſerta: Character Orthochymici & Pſeudochymici.*

Ejusdem Epilogismi Chymici, Obſervationes *nec non* remedia Hermetica, *longâ in arte Jatricâ exercitatione conſtabilita: item* Eſſentiæ *ejusdem Autoris* Stomachicæ vires *inſignes medicæ explicantur, ejusq; materia Modus ac Methodus præparationis ad Galeno-Chymicorum Elenchum fideliter deſcribuntur.* Lugduni Batav. 1673. in 12.

Ejus-

Ejusdem, Adverſus Stubbium, vindicatio Dn. Baconis, *cum asſertione Philoſophiæ experimentalis: ut & Obſervationes quædam practicæ exhibitæ pro tutelâ ſcientiæ veræ Chymicæ.* ANGLICE. in 8.

Johannis TILEMANNI Experimenta circa veras & irreducibiles Auri ſolutiones, *cum* Præfatione D. Joëlis Langelotti, *quâ miranda* vis Tritûs porrò explicatur, *panditurq; Methodus non ſolùm verum Aurum Potabile, ſed & ex arcanis Chymicis præcipua quædam conſequendi.* Extat cum Triade Epiſtolarum Chymicarum. Hamburgi 1673. in 8.

Matthiæ TILINGII, Acad. Cur. Prodromus Praxeos chymiatricæ; Liber ſingularis, *in quo variorum Chymicorum, Aliorumq; ex Metallis Mineralibus & Vegetabilibus ſelectisſimorum medicamentorum præparandi ratio, cum virtute ac doſi præſcribitur.* Rinthelii 1674. in 8.

Ejusdem de Vaſe brevi Lienis *Exercitatio.* Mindæ 1676. in 12.

Zachariæ TRABERI P. S. J. Nervus opticus, *ſive Tractatus theoricus, in tres Libros, Opticam, Catoptricam, Dioptricam, diſtributus* Viennæ Auſtriæ 1675. in Folio.

TUSSERI quingenta puncta Oeconomiæ bonæ, *correcta & nuper aucta.* ANGLICE. in 4.

Georgii Hieronymi VELSCHII Acad. Cur. Miſto-mimematum, ſive Miſcellaneorum medicinalium Centuriæ *III. ad inclytam Societatem Naturæ Curioſorum in Germaniâ. Extant in* Append. Anni IV. Ephem. Germ. Cur.

Ejusdem de Venâ Medinenſi Exercitatio, *ad mentem Ebnſinæ, ſive* de Dracunculis Veterum. *Specimen exhibens novæ verſionis ex Arabico, cum Commentario uberiori. Cui accedit altera* de Vermiculis capillaribus infantium. Auguſtæ Vindelicorum 1674. in 4.

Ejusdem Ruzname Naurus, *ſive Tabulæ æquinoctiales novi Turcarum & Perſarum anni cum Commentario.* Auguſtæ Vindelicorum 1676. in 4.

Ejusdem Epiſtolæ mutuæ ARGONAUTÆ ad *NESTOREM & NESTORIS* ad *ARGONAUTAM*, de Theſauro experientiæ medicæ; *cujus accedit* ſpecimen de Abortu. Auguſtæ Vindel. 1677. in 4.

Coſmi VIARDEL Obſervationes de Partu tàm naturali quàm præternaturali, & monſtroſo, *unà cum brevi & facili inſtructione, quî Parturientes in diverſimodis Partubus juvandæ, ut nec unco, nec aliis inſtrumentis, præterquam ſolâ Manu opus ſit, &c. Ubi ſimul declarantur non ſolùm ea, quæ Partum in genere, & ejus debita tempora concernunt;*

nunt; ſed &, quæ ad Conceptionem & Formationem Fœtus in utero, Gemellos, Molas, Monſtra, genuina & propria Signa Impregnationis pertinent; unà cum Appendice præcipuos Morbos Mulierum & Virginum eorumq; Cauſſas, declarante. GALLICE 1671. & GERMANICE Francofurti 1676. in 8.

Hieronymi VITALIS Lexicon Mathematicum. Pariſiis in 4.

Goëſen van VREESWYK Continuatio Muſei (van't Cabinet) Mineralium, *h. e.* Sol aureus Philoſophorum, *ubi omnes operationes Metallorum & Mineralium, cum apparatu requiſito, ipſorum Solutiones, Tincturæq;, unà cum quibusdam Medicamentis egregiis & alia utilia artificia, ex propriâ inventione luci exponuntur.* BELGICE. Amſtelodami 1675. in 8.

Ejusdem Leo viridis ſeu Lumen Philoſophorum, *proponens omnes regias operationes quâ ſolutionem Metallorum, Mineralium, Vegetabilium & Animalium; pro inveſtigandâ eorum Naturâ & Salium, valde utilem ad multa præclara medicamenta, varios & elegantes Colores & Tincturas, & plura alia artis opera inſignia: ex propriâ inventione.* BELGICE. Amſtelodami 1674. in 8.

E. W. Spadacrene Dunelmenſis, *ſive Tractatus de Fonte medicinali juxta oppidum Durham.* ANGLICE. Londini 1675. in 8.

J. W. Vinetum Britannicum, *ſive Tractatus de Pomaceo.* ANGLICE. Londini 1676. in 8.

W. W. Medicina domeſtica, *demonſtrans ſanam Methodum & Rationes promtas, quibus unusquisq́ in Mari & Terrâ, DEO aſſiſtente, poſſit eſſe capax ſe ipſum curandi &c. in omnibus morbis vel extremitatibus, ſine omni periculo difficultate vel damno perquàm uſitatis in aliis Medicinæ Methodis.* ANGLICE. in 8.

Johannis WALLISII Archimedis arenarius, & dimenſio Circuli. Oxoniæ 1676. in 8.

Joh. Cornelii W*EBERI*, Anchora Sauciatorum, *ſive Liquor ſtypticus, Sangvinem confeſtim & miraculosè ſiſtens.* Bregæ 1677. in 8.

Georgii W*olffg.* W*EDELII, Acad. Cur.* Specimen experimenti chymici novi, de Sale volatili Plantarum, *quò demonſtratur, poſſe ex Plantis modo peculiari parari Sal volatile verum & genuinum.* Jenæ 1671. in 12. *Extat etiam in* Append. Anni IV. Ephem. Germ. Cur.

Ejusdem Experimentum chymicum novum de Sale volatili Plantarum, *quo latius exponuntur ſpecimine ipſo exhibita.* Jenæ 1675. in 12. *Extat ibidem in* Append. Anni IV. Ephem. Germ. Cur.

Ejusdem Opiologia, *ad mentem Academiæ Naturæ-Curioſorum.* Jenæ 1674. in 4.

Ejus-

Ejusdem Tabulæ Synopticæ, de compoſitione Medicamentorum extemporaneâ, *ad Praxin chymicam & Uſum hodiernum accommodatæ.* Jenæ 1677. in Folio.

Ejusdem Theoremata medica, *ſive* Introductio ad Medicinam, *certis Theorematibus, juxta ductum Inſtitutionum medicarum abſoluta, & ad legendum & diſputandum diſpoſita.* Jenæ 1677. in 12.

Ejusdem de Medicamentorum Facultatibus cognoſcendis & applicandis Libri duo. Jenæ 1678. in 4.

WELLS Tractatus de Arthritide, *ſeu morbo articulari.* ANGLICE. in 12.

Joh. Jacobi WEPFFERI Obſervationum Anatomicarum de Apoplexiâ, *cum Exercitatione de ejus loco affecto, nova Editio, cui acceſſit Auctuarium Hiſtoriarum & Obſervationum ſimilium Anatomæ Subjectarum cum Scholiis. Addita eſt* Epiſtola *Johannis* Ott *de* Scriptis Holderi *de Elementis Sermonis, & de* Morlandi *Stenterophonia.* Schaffhuſii 1675. in 8.

Joh. Valentini WILLII de morbis caſtrenſibus *internis.* Haffniæ 1676. in 4.

Thomæ WILLISII Pharmaceutice rationalis, *ſive Diatriba de Medicamentorum Operationibus in humano Corpore.* Oxonii 1674. in 4. Hagæ Comitis 1675. in 12.

Ejusdem Pharmaceuticæ rationalis Pars ſecunda. Oxonii 1675. in 4. & 1675. in 12.

Franciſci VVILLUGHBÆII Ornithologia, *de Avibus ex editione Raji.* Londini 1676. in Folio.

Vincentii VVING Aſtronomia Britannica, *in quâ per novam concinnioremq́; Methodum Logiſtica Aſtronomica, Trigonometria, Sphærica, Theoriæ Planetarum, Tabulæ novæ Aſtronomicæ congruentes cum Obſervationibus* Tychonis Brahei *traduntur: cui acceſſit Obſervationum Aſtronomicarum Synopſis compendiaria, ex quâ Aſtronomiæ Britannicæ certitudo affatim eluceſcit.* Londini 1669. in Folio.

Ejusdem Ephemeris pro annis triginta: *unà cum computatione catholicâ &c.* ANGLICE. in 8.

Sebaſtiani VVIRDIG Nova Medicina Spirituum curioſa, *in quâ 1. Spirituum naturalis conſtitutio, Vita, Sanitas &c. 2. Eorundem præternaturalis ſive Morboſa diſpoſitio, Cauſſæ, Curationes &c. demonſtrantur.* Hamburgi 1673. in 12.

Richardi VVISEMAN Tractatus de Vulneribus in genere: *& particulariter magis, de Vulneribus Sclopetariis, publicatus præcipuè in gratiam Chirurgorum juniorum in claſſe Regiâ.* ANGLICE. in 8.

Ejusdem nonnulli Tractatus Chirurgici Londini 1676. in Folio. ANGLICE.

Hen-

Henrici VVITTEN Memoria Medicorum noſtri Seculi *Clariſſimorum.* Francofurti 1676. in 8.

VVOOLBERIDGII Speculum matricis, *ſive expertæ Obſtetricis ancillâ, catecheticè compoſitum; illuſtratum XXX. Tabulis æneis.* ANGLICE. in 8.

Friderici ZOBELII Tartarologia Spagirica, *ſive Medicamentorum ex Tartaro, in* Laboratorio Gottorpienſi *paratorum fidelis deſcriptio, è Bibliothecâ* Georg. Wolffg. Wedelii. Jenæ 1674. in 12.

INDEX
MISCELLANEORUM CURIOSORUM MEDICO-PHYSICORUM ANNI OCTAVI.

A.

Per ABSCESSUS *terminata Anaſarca* 120.

ABUSUS *tabaci* 122.

ADAMAS *oleum incombuſtibile non præbet.* 234.
in tenebris lucens. ibid.

ADSCENSUS *aquæ ſpontaneus in filtro* vid. Aqua

AMIANTHUS 231.
oleum incombuſtibile inde parari nequit. 233.

AMYGDALA *amara lethalis gallinis, ſciuris, vulpibus.* 183.
ratio. 184.
ebrietatem quomodo arceat. 186.
viſcera aperiendi vi pollet. 185.
quâ ratione. 186.

ANASARCA *per abſceſſus terminata.* 120.

ANATOME *furis* 59.
monſtri humani 74.
phthiſici 103.
pueri maraſmo extincti. 57.

ANATOMIA *Vegetabilium* D. Neh. Grew. 285. *ſeqq.*

ΑΝΑΦΡΟΔΙΣΙΑ. 155.

ANIMAL, *evulſo corde vivens* 14.
moſchiferum 81.
vitiosè delineatum à Calceolario 82.
â Boymo & Kirchero 87.
ejus exuviæ deſcribuntur. 82.
folliculus. 85.

ANTIMONII *martialis compendioſa præparatio.* 108.

ANTIPODAGRICA *quædam medicamenta.* 22.

APUM *ictus* 112.

AQUÆ *adſcenſus ſpontaneus* in filtro 163.
cauſſa 177.
circumſtantiæ 174.

* *experimenta*

experimenta 172.
termini 175.
in micâ panis 179.
ſacchari metâ 178.
ſalis acervo 179.
aliis 180.
AQUA Chelidoniæ Burrhi *in reſtitutione humorum oculi ſupervacanea eſt.* 32.
Aqua *non eſt pura* 169.
eſt fluida. ibid.
poris ſe inſinuat. 170.
Sphæram ſuam firmiter tenet ibid.
Aqua rubicunda *foſſæ Berolinenſis.* 127.
adverſus ARANEI *puncturam remedium præſentaneum* 65.
ARTERIOTOMIA *ſpontanea hemicraniæ remedium.* 120.
ARTHRITICA *medicamenta* 23.
ARTHRITIS *puerorum & infantum.* 20.
ASCARIDES *uteri* 121.
ASCITÆ *ſymptoma peculiare* 48.
ex AURO *oleum incombuſtibile fieri nequit* 230.

B.

BEROLINENSIS *foſſæ aqua rubicunda* 127.
BEZOARDICI *capri cornu* 188.
BONONIENSIS *lapis* 32.
BRACHII *tumor ex ſcabie retropulſâ* 123.
BREGMATE *clauſo nati infantes vitæ brevioris* 5.
BUBONES *venerei inunctione retropulſi.* 125.

C.

CALCULI *meſenterii & pancreatis ingentes.* 78.
à CALCULIS *colica* 118.
CALCULUS *veſicæ* 15.
cryſtallinus 53.
CANCRI *occulti periculoſa curatio.* 39.
CANINUS *fœtus per alvum excretus* 98.
CAPREÆ *moſchiferæ exuviæ deſcriptæ* 82.
CAPRI *bezoardici cornu.* 1.188.
CARTILAGINIS *mucronatæ prolapſus* 63.
thyroidis motus inſolitus 64.
CARUNCULÆ *Gallicæ in urethrâ curatio* 152.
CASTORI *ſutura ſagittalis ad naſum excurrit perpetuo,* 6.
CATELLUS *per alvum excretus.* 98.
CATE, CATECHU 88.
diverſum quid eſt à Lycio 89.

non

non eſt metallicæ proſapiæ 91.
non eſt terra 88.
eſt ſuccus arboris 89.
ex partibus heterogeneis conſtat. ibid.
CEPHALALGIA *à lapillo in capite* 76
CERA *Roſarum* 7.
CERAUNIUS *lapis* 255.
ejus generatio 264.
experimento confirmatur 265.
CEREBRO *carens puella vitalis* 107.
CERVINI *fœtus tempora* 26.
CHELIDONIA *excæcatas hirundines non reſtituit* 32.
CHRYSOCOLLA *foſſilis* 258.
COLICA *à calculis* 118.
CONVULSIO *admiranda* 119.
CORNU *capri bezoardici.* 1. 188.
de Pazam. 2.

D.

DECOCTUM *antipodagricum* 25.
DENTITIO *præcox* 75.
DIABETES 47.
DIARRHOEA *pertinax* 67.
DOLORIS *ab ictu apum cauſa* 112.
DORMITIO *Lucumoriana* 113.
DYSENTERIA 105.

E.

EBRIETATEM *quâ ratione arceant amygdalæ amaræ.* 185
EMPLASTRUM *antipodagricum* 24.
miraculoſum 23.
EMTIO *variolarum* 22.
EPAR *gallinaceum magnitudinis enormis* 187.
ERUCA *tithymali* 73.
EXANIMATA *in vitam revocata.* 159.
EXCRETIO *fœtus canini per alvum.* 98.
oſsium per uterum 77.

F.

FAX *volans in Italiâ obſervata à P.M.Cavina* 193 *ſeqq.*
FEBRIS *bulloſa* 93.
pemphygodes. ibid.
FEMORIS *luxatio mira* 45.
FILTRATIO, FILTRUM *quid ſit* 163.
ejus cauſa 164.
ex mente Carteſii ibid.
Digbæi 165.
circa eam dubia 166.
uſus 180.
Filtratio *ſpiritus animalis in cerebro* 181.
ſangvinis ab humore felleo in hepate 182.

ſeri

ſeri in renibus ibid.
melancholiæ in liene ibid.
ſudoris in glandulis ſubcutaneis 182.
FLAMMA *ex oculis* 49.
FLAMMÆ *& ignis differentia* 124.
FLUOR *albus puellæ octennis* 46.
FLUXUS *hæmorrhoidalis puellorum* 41.
menſtrui defectus innoxius 64.
ſine FONTANELLA *nati infantes brevis ſunt vitæ* 5.
FULGETRA *ſpiritum vini accendens* 6.
FUNGILLI *citriorrhizæ* 72.

G.

GALLINÆ *ab amygdalis amaris interfectæ* 184.
Epar enormis magnitudinis 187.
GRAVIDARUM *imaginatio fœtui noxia* 73. 92.
GUMMI GOTTE *abuſus & noxa* 139.

H.

HÆMORRHOIDALIS *fluxus puellorum* 41.
HEMICRANIÆ *cura per arteriotomiam ſpontaneam* 120.
HEPATITES *vomitu curata* 121.
HERMAPHRODITUS 8. 10.
HERNIA aquoſa *à retropulſis bubonibus venereis* 125.
inteſtinalis 71.
Hertzfeule/ *morbus ovium* 55.
HIPPOMANES 94.
accuratè deſcriptum 96.
varia ſignificat 94.
uſus incertus. 95.
HIRUNDINUM *excæcatarum reſtitutio* 31.
HOMO *microcoſmus* 53.
HYDERODES *affectus* 69.
HYDROCELE *à retropulſis bubonibus venereis.* 125.
HYDROPS, anaſarca *per abſceſſus terminata* 120.
aſcites *& ejus ſymptoma peculiare* 48.

I.

ICTUS *apum* 112.
IGNIS *frigidus* 37.
origo divina 221.
perpetuus 34. 38.
Ignis *& lucis differentia* 224.
ILEI *curatio* 153.
IMAGINATIO *gravidarum fœtui noxia* 73. 92.
IMPOTENTIA *virilis* 155.
INFANTES *arthritici* 20.
bregmate clauſo nati vitæ brevioris 5.

præcociter

præcociter dentientes 75.
lac è mammis fundentes 143.
INFARCTUS *ſabuloſus urethræ* 148.

L.

LAC *puellæ recens natæ* 143.
LAMPAS *volans, meteorum, obſervatum* à P. M. Cavinâ 193. *ſeqq.*
LAPIS *Bezoardicus exiguarum virium* 3.
Bononienſis 32.
Indicus mire lucens 36.
LAPILLUS *in capite cephalalgiæ cauſſa* 76.
LAVENDULA *ex ſale reſuſcitata* 11.
LEUCOPHLEGMATIA *per abſceſſus terminata.* 120.
LIENIS tumor *febriculoſus* 68.
partu ſolutus 157.
ſub LINGVA *vermes* 187.
LUCERNA ſepuchralis *in Gallia inventa* 39.
Maximi Olybii 229.
Tulliæ, *Ciceronis filiæ* 228
aliæ. 229.
de LUCERNIS *perennibus Diſſertatio* 219. *ſeqq.*
LUCIS *& ignis differentia* 224.
natura & origo divina 221.
LUCUMORIÆ *gentis hyematio fabuloſa* 113.
LUMBRICI *vigiliarum diuturnarum cauſſa* 66.
LUMBRICUS *latus* 70.
LUXATIO *mira femoris* 45.
LUX *creatis rebus omnibus ineſt.* 50.
urinæ. 51.

M.

MARASMUS *ab excreſcentiâ pancreatis* 56.
de MATERIA *lapidis philoſophici Epiſtola* D. Friebii 280.
MEATUS *urinarius à copioſo ſabulo obſtructus* 148.
MENSIUM *defectus innoxius* 64.
MESENTERII *calculi ingentes* 78.
METALLA *cælitus delapſa* 257.
METEORUM *ſingulare in Italia obſervatum* 193.
Meteororum *materia* 262.
MICTIO *ſangvinis* 42.
vermium 22.
MONSTRUM *humanum* 73.
marinum ſingulare 79.
MORPHÆA *nigra* 99.
MORS à vulnere *oculo inflicto repentina* 140.
pulmonis 102.
MORTUA *reſuſcitata* 159.

MOSCHI

MOSCHI *genuini ſignum à Plateario traditum fallax* 85.

N.

NARIUM *polypus* 157.
NIGREDO *urinæ non ſemper eſt ſignum funeſtum* 144.
NIGRITARUM *methodus curandi variolas* 115.
NITRI *ſulphur* 270.
tinctura rubra 272.
de NOCTILUCA *fulgurante Diſſertatio* 221. *ſeqq.*
NOCTILUCA Iſaaci Hollandi 237.
NOXA *gummi gotte* 139.
imaginationis gravidarum 73.
olei ſuccini 147.
tabaci 122.
NUTRITIO *fit per modum filtrationis* 187.

O.

OCULI *vulnus mortis repentinæ cauſſa* 140.
ex OCULIS *flamma erumpens* 49.
ODONTALGIA *mirabilis* 104.
ODOR *ſeminis humani* 31.
OLEUM *incombuſtibile fieri nequit* ex *adamante* 234.
amianto 233.
auro 230.
roſarum 109.
ſuccini noxium. 147.
OPIATORUM uſus *continuus innoxius* 104.
tempore eruptionis variolarum 115.
ORVIETANUM πολίλης *remedium* 68.
OSSIUM *per uterum excretio* 77.
OVUM *in tumore* 136.

P.

PANCREATIS *calculi ingentes* 78.
excreſcentia maraſmi cauſſa 56.
ex PANCREATE *plurimorum graviſsimorum malorum origo* 59.
PARTUS *ſeptimeſtris notatus* 117.
PERENNILUCA *noviter reperta* Kunckelii 238.
ejus mirabilia 241.
veterum ex igne & oleo vix conſtabat 236.
PHOCÆNÆ *reſpiratio* 4.
PHOSPHORUS *Bononienſis* 32.
fulgurans 33. 219.
Hermeticus 33.
liquidus 37.
ſmaragdinus 33.
PHTHISICI *anatome* 103.
urina congelata 55.
PHTHISIS *à vulnerato pulmone* 102.

PIN-

PINGVEDO *liquata & in gelatinam ſoluta* 54.
PLANTARUM *reſuſcitatio.* 11.
POLYPI *narium curatio* 151.
PROCESSUS *Philalethæ ad opus philoſophicum notatus* 380.
defenſus 387.
PSEUDOCOLICA *à calculis* 118.
PUELLA *cerebro carens vitalis* 107.
octennis fluore albo laborans 46.
recens nata lac è mammis fundens. 143.
PUELLORUM *fluxus hæmorrhoidalis* 41.
PUELLUS *ano-puella* 10.
PUERI *arthritici* 20.
PULMONIS *vomica* 160.
vulnus & inde phthiſis 102.
PUNCTURA *apum* 112.
aranei & veſpæ præſentaneo remedio curata 65.

R.

RANA *ſine corde vivit* 15.
RESPIRATIO *phocænæ* 4.
RESUSCITATIO *plantarum* 11.
ROSARUM *cera* 7.
oleum copioſius 109.
tubuli roridi 7.

S.

SABULOSUS *urethræ infarctus* 148.
SAL *culinarium verminans* 80.
SALE *volatili turgent cornua & pili* 2.
ex SALE *reſuſcitata planta* 11.
SALVIA *adverſus puncturas veſparum remedium præſens* 66.
SANGVINEA *aqua* 127.
SANGVINIS *mictio* 42.
SANITAS *non datur alia niſi morboſa.* 11.
ex SCABIE *retropulſâ tumor brachii* 123.
SCIURI *mors ab eſu amygdalæ amaræ* 184.
SEEKRABBE, *monſtrum marinum Laplandiæ* 79.
SEMEN *ex chylo deducendum* 31.
heſternam cænam redolens.ibid.
SEPTIMESTRIS *partus.* 117.
SMARAGDINUS *phoſphorus* 33.
SOMNUS *diuturnus* 113.
ΣΠΑΤΙΛΗ *Orvietano curata* 68.
SPICA *ſiliginea in tumore* 138.
SPLENIS *tumor febriculoſus* 68.
partu ſolutus 157.
SUCCINI *oleum noxium* 147.
SUTURA ſagittalis *ad naſum excurrens* 5.
Caſtori perpetuum 6.
non item fœminis ibid.
SYMPTOMA *aſcitæ peculiare* 48.

T.

TABACI *abuſus* 122.
TALPA *vomitu rejecta* 150.
TARTARUS *emeticus Mynſichti taxatus* 71.
TITHYMALOCAMPÆ 73.
à TRANSPIRATIONE *prohibitâ pulmonum vomica* 160.
TUBULI *roridi roſarum* 7.
TUMOR *brachii ex ſcabie retropulſâ* 123.
lienis *febriculoſus* 68.
partu ſolutus 157.

ovo

ovo prægnans 136.

Spicâ hordeaceâ 138.

ſiligineâ ibid.

TURSIONIS *reſpiratio* 4.

V.

VARIOLÆ *tardè ſuppurantes.* 141.

verminantes 142.

VARIOLARUM curatio *rationalis* 116

ridicula 115.

emtio. 22.

eruptionis tempore opiata proſunt 115.

VENUS aurea *cælitus delapſa, Diſſertatio* 247. ſeqq.

VENERIS aureæ *colores* 269.

comparatio cum orichalco factitio. 260.

chryſocollâ foſſili 258.

experimenta chymica 272.

forma & materia 255.

generatio 266.

inventio 254.

an ſit meteorum 262.

VERMES *ſalis culinarii* 80.

in venâ ſublingvali ſtabulantes 187.

à VERMIBUS *vigiliæ diuturnæ* 66.

VERMINATIO *continua* 21.

variolarum 142.

VERMIUM excretio *per alvum* 22.

per os ibid.

per uterum 121.

mictio 22.

VESICÆ *calculus* 15.

adverſus VESPÆ *puncturam remedium præſentaneum.* 65.

VIGILIÆ *diuturnæ à vermibus* 66.

VINI *ſpiritus fulgetrâ accenſus* 6.

VISUS *ſpontanea reſtitutio* 32.

VITRUM *Venetum colore purpureo tingendi artificium* 271.

UNGVENTUM *Acopum Thorunienſe* 25.

VOMICA *pulmonum* 160.

VOMITURITIO *lethalis* 70.

VOMITUS *talpæ* 150.

VOMITU curata hepatites 121.

URETHRÆ *caruncula gallica* 152.

ſabuloſus infarctus 148.

URINA congelata *cervorum libidinoſorum* 55.

inſtar ſpermatis ranarum viri phthiſici 55.

nigra 144.

URINÆ *cuticula multicolor quid ſit* 51.

UTERI *aſcarides* 121.

UTERUS *putrefactus illæſo fœtu* 101.

à VULNERE *oculi mors repentina* 140.

pulmonis phthiſis. 102.

FINIS.

Errata P. 27. l. 30. *conceptum* lege conceptuum. P. 98. l 10. *carnoſas* l. carnoſæ. P. 130. l. 5. *proprii* l. propriè. P. 139. l. 8. *cap. 29* l. cap. 19. P. 165. l. 17. *ſcit* l. ſect. P. 205. l. 14. *ı0ʒ0ʒ0.* l. 108086. P. 209. l. 26. *obuja* l. obvia. P. 212. l. 20. *tonitrui* l. tonitru. P. 236. l. 25. *Apoſtolus* l. Apoſtolos.

Bibliopegus obſervet, *Tabb. ad Obſerv. XI. & C. ab invicem dividendas, & utramvis ſuo deſignato loco inſerendam eſſe.*

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY



Sic vivus geſsi faciem; mea Vita legenda
hic datur; Ingenium publica Scripta docent.
L. mq; f.
L. S. L. F. D.

H. Z. Raidel delineavit. *Melchior Haffner ſculpsit*

MEMORIA WELSCHIANA,

Sive

Hiſtoria Vitæ

Viri Celeberrimi,

DN. GEORGII HIERONYMI WELSCHII, Auguſtani,

In S. R. I. Societate Naturæ Curioſorum dicti NESTORIS,

conſcripta

â

LUCA SCHRÖCKIO, Luc. Fil. Med. Doct. in Patria Phyſico, Academico Curioſo.

AUGUSTÆ VINDELICORUM.

Impenſis THEOPHILI GÖBELII.

Typis Koppmayerianis, Anno M. DC. LXXVIII.

Cicero Philipp. 14.

Brevis vita data eſt; at memoria benè redditæ vitæ ſempiterna.

VIRI

Nobiliſſimi, Excellentiſſimi, atq; Experientiſſimi,

Magnifice DN. PRÆSES,

& cæteri Illuſtr. Societatis S. R. I. Naturæ Curioſorum Adjuncti & Adſeſſores meritiſſimi,

Domini Collegæ ac Fautores venerandi, amandi.

WELSCHIUS occubuit, Decus illud Auguſtanorum maximum, Philologus exquiſitiſſimus, Sacræ Hygiæ Filius genuinus, nec inglorius morborum Debellator, Collega Noſter optimus. Quem vixdum NESTORIS epitheto Illuſtris Societas Veſtra, duraturæ diu in Eo vitæ ſpe plena, condecoratum voluerat; cujus laborioſum ingenium Eruditus Orbis hactenus obſtupuit; & à quo magnum porrò præclarè editorum Monumentorum augmentum ſibi promiſerat. Aſt, triſte illud repeto: WELSCHIUS occubuit; Spes ampla concidit; nobilis Spiritus evanuit. Quid itaq; mirum, ſi acerbior Veſtra perſtringat dolor pectora? ſi triſti, amicà tamen, recordatione Collegæ diſceſſum proſequamini? ô fata inexorabilia, imò, niſi meliora edocti eſſemus, crudelia dicenda! Scitis Ipſi, quòd eadem Nos ſors maneat, & quisq; ſuam hic fabulam, modò tardiùs, citiùs modò finiendam, ludat, Nosmetq; Ipſi, terreno hoc pondere preſſi,

ad libertatem omnes adſpiremus. Hac jam ex voto fruitur, hac exultat WELSCHIUS. Habeat igitur ſibi terra fragiles corporis exuvias; modò Spiritus extra mortalitatis ſphæram poſitus, tot laudabilibus in Scriptis vivat, Veſtriſque in animis Memoria Ejus vigeat. Quam dum & Ipſe, præſentibus hiſce pagellis, Veſtro ſub Umbone, Domini Collegæ honoratiſſimi, excolere, NESTOREMq; redivivum, libando ſaltem potiora, Vobis ſiſtere, inſtituo, ut benignè verba mea excipiatis, obnixè rogito.

Privatæ equidem, quas habeo, cauſæ ab hoc ſcribendi genere abſtinere potiùs me jubebant, majoris tamen duco, ſatisfacere aliorum multiplici eruditione meritiſq; Clariſſimorum Virorum deſiderio, quibus tanti Philologi & Medici de natalibus, vita, obituq; plenior notitia non poteſt non eſſe gratiſſima. Idq; eò majori cum confidentia adgredior, cùm ipſe Beatus Noſter in edito paucis adhinc menſibus *Theſauri Experientiæ Medicæ ſpecimine*, propriam ſeſe conſcripturum eſſe vitam, ſpem fecerit, illa verò, quæ eum in finem pauciſſimis in chartam conjicere nuper inceperat, fato præventus, abſolvere haud valuerit. Nec vitio id vertere mihi quiſquam debet, multò minùs arrogantiæ inſimulare me poterit, dum ego, quamvis ex ſplendidiſſimo Ordine Veſtro minimus, & nullo meo merito, ſed unico ex favore Veſtro, factus Collega, Compatriotæ, Avunculo, Medico, & Collegæ hocce officij præſto, ac Virtutis famæ, ſimplicem tranſactæ Vitæ hiſtoriam, quantùm mihi innotuit, ſine ullis fallaciis, aut adſentatione enarrando, augmentum quale-cunq; ſuperaddo. Defectus tamen, quos Ipſe, nihil humani à ſe alienum eſſe, & perpetuam dari maximis cum Virtutibus nævorum mixturam, probè recordatus, haud diſſimulaturum ſe eſſe, *loco cit.* ſponte profeſſus fuerat, adducere ſi neglexero, nemo, ſpero, meam idcirco fidem reddet ſuſpectam. Nec recenſuiſſe illos, quidquam ad

rem

rem præſentem faceret; imò de benè meritis poſt mortem nil niſi benè, vel quod in laudem eorum vergere queat, ſentiendum eſſe, omnes boni norunt atq; fatentur. Hoc ſolum, eruditionem Ejus ſuperaſſe defectus, ſi addidero, ſat ſiniſtris judiciis reſpondiſſe me, omnes qui literas amant, ingenuè conſentient.

CAPUT I.

Welſchij Ortus.

CElebrium Virorum facta virtutesq; ſcripturis à Patrio eorum ſolo initium capere, cùm moris ſit, eundem mihi quoq, imitari licebit.

Maximè verò illuſtres Græcorum *Neſtor* obtinuit natales, Patre *Neleo*, Neptuni filio, quem ex *Tyrone*, *Salmonei* in Elide Regis filiâ, genuerat, in Peloponneſi oppido, Pylo dicto, & ab ipſo *Neleo*, cùm à *Pelia* fratre Theſſaliâ ejectus in Laconiam veniſſet, condito, proſatus, indeq; poſtea Pylij cognomine donatus. Matrem non minùs præclaro ſtemmate ortam, *Chloriden*, *Amphionis* Orchomeniorum Regis, *Niobisq;* filiam habuit. Non equidem regio à ſanguine ſuum petere ortum Germanorum NESTOR potuit; aſt nec infima è plebe eundem fuit ſortitus. Imò ſi patrium ſpectetur ſolum, altero illo longè obtinuit præſtantius. Urbem etenim Pylon non magnâ adeo, aut præclarâ aliâ, niſi quam à *Neſtoris* nativitate habet, memoriâ nobilitatam ſcimus. Verùm WELSCHII Noſtri Patria perantiquæ Romanorum Coloniæ, liberæ hucusque, DEI gratiâ, conſervatæ Reipublicæ, fœcundiſſimæ ſemper magnorum Virorum & Medicorum præcellentium Matris, multivarioq; aliarum laudum titulo, quas in compendio quaſi, cùm *Syllogen curationum & obſervationum*

medicinalium Illuſtribus SENATUS AUGUSTANI Dnn. SEPTEMVIRIS dedicaret, Ipſe recenſuit, caput multas inter alias Germaniæ Urbes extollit, ſicq; non tantùm Celebris adeo Alumni ſui ortu præclara, ſed & Ipſa longè per ſe clariſſima.

Parentes quod ſpectat, habuit eoſdem integros vitæ, ſceleriſq; puros; non quidem è primo Patriciorum Ordine, ſed honoratiori tamen ſuos inter Concives in gradu conſtitutos. Quos pro merito laudare omitto, ne mihimetipſi, Avorum elogia ſcribendo, palpum facere videar. Non omnino tamen ſilere eoſdem, inſtituti ratio, pietaſq; Genitoribus debita permittit. *Parentes* quippe, ut cum diſertiſſimo Romanorum, ex *orat. poſt redit. ad Senat.* loquar, *chariſſimos habere debemus, quòd ab his vita, patrimonium, libertas, civitas tradita eſt.* Patrem itaq; NOSTRO benigna Mater, Natura, dedit Virum in auguſta hac Urbe notiſſimum, maximè ſedulum, induſtrium, peritum ac integerrimum *Dn Caſparum Welſchium.* Qui in tempora inquieta ac publicis calamitatibus, univerſæ Germaniæ funeſtis, obnoxia cùm incidiſſet, privatam vivere vitam elegit, artemq; pharmaceuticam tanto omnium adplauſu exercuit, ut Principes etiam & ſummo genere nati, ipſum amaverint, muneribuſq; non exiguis, & aureis quandoque Numismatis, quibus ſuam teſtabantur gratiam, proſequerentur. Nec quiſquam Arti huic addictus in Sacro Romano Imperio nominari facilè poterat, qui non amicitiam ejus coleret, aut ambiret. Quo in pretio apud noſtrum Medicorum Auguſtanorum Collegium fuerit, Ipſi in *Pharmacopœiæ* ſuæ *Prolegom. cap 2.* teſtantur, dum Granatos Bohemicos modernos ipſis Orientalibus longè præſtantiores, judicantes, *Orientales*, inquiunt, *vi fortioris ignis liqueſcere, & in maſſam inſtar vitri alicujus fuſilis & colorati coagulari, Bohemicos verò ignem fortiſſimum ſuſtinere, & in eo neq; colorem neq; pondus mutare, neq; etiam diffluere, ſed ſolidos ex ipſis flammis emergere,*

obſer-

obſervavit & expertus eſt Vir præſtantiſſimus & artis pharmaceuticæ periſſimus D. Caſparus Welſchius, Reipl. noſtræ Pharmacopæus primarius, qui reviſioni noſtri Diſpenſatorij, in rebus profeſſionem ſuam concernentibus operam laudabilem præſtitit. Hujus Familia ampla & honoratiſſima, in Urbe imprimis Imperiali Nerolinga multis jam annis fuit famigeratiſſima. Paterq; hujus, *Hieronymus*; & Avus, *Balthaſar*, Arci Lirhemio Præfecti, ſummos deinde in Urbe iſta Magiſtratus geſſêre. Patrui etiam & Patrueles, quos inter *Hieronymus* imprimis, Familiæ decus, *edito Itinerario* celebris eſt, Rei ſaltuariæ & bellicæ Præfecti, in Patria, & Rotemburgi ad Tubarim; cæteri Mercaturæ in Norico & Wirtembergico agro dediti; quidam etiam Bellum ſecuti; & alij ad Literarum ſtudia animum adplicuêre; in quibus ſummos honorum gradus accepêre; & alij Aulæ officiis admoti apud Principes, Quæſtores redituum vini & ærarij Principis deſignati ſunt.

Nec maternum genus indictum abire debet, plurimis jam retrò annis in hac Civitate notum, & honoratum; ob egregiam etiam, olim ab Atavorum aliquo præſtitam in bello fidem & fortitudinem, Sacrâ Cæſareâ gratiâ nobilitatum, & præclaris inſignibus, gryphis pede, Lauream coronam tenente, donatum. Ipſa autem Mater, *Euphroſina Sighartin*, Pharmacopoei quondam Auguſtani laudatiſſimi Filia fuit, Matrona virtutibus quibusvis, fœmineo ſexui convenientibus, ad invidiam uſq; cumulatiſſima; quæ tantum Urbi noſtræ ornamentum Anno M. DC. XXIV. d. 28. Octobr. ſtyli novi in lucem protulit.

CAPUT II.

Pueritia & Vita Academica in Germania.

N*Eſtor* ille Homericus non tantùm annis major, innatæ virtutis edere ceperat ſpecimina, ſed &, adoleſcens cùm

adhuc eſſet, qualis olim futurus, re ipſâ oſtenderat, arma imprimis capere, præliumq; non ſine fortitudinis laude inire auſus. Ipſe id apud Poëtarum Græcorum Principem, *Homerum Iliad. 11.* innuit:

neq; me Neleus
ſinebat armari; abſcondit autem mihi equos:
nondum enim me exiſtimabat ſcire bellica opera.
Sed & ſic inter equites lucebam noſtros,
quamvis pedes eſſem. &c.
Primus ego occidi virum (abſtuli verò unungulos
Mulium bellatorem, &c. *equos)*

Quis non in WELSCHIO redivivum hîc deprehendat *Neſtorem*, in pueritia jam optimam de ſe ſpem præbente, & contra ingenij ruditatem, omnibus naturaliter connatam, & niſi doctrinâ expugnetur, perpetuum in vita hoſtem permanſuram, ſtudio & diligentiâ laudabiliter decertante? Ipſa Parentum ſedula educatio, qua vel in primis ab ortu annis, ad pietatem præcipuè & honeſtatem molliter ducendo, majoribus rebus Eum præparabant, non fruſtranea tum videbatur in Filio morigero. Nec præſtantis ingenij ſcintillulæ occultari diu poterant, quin mox, unà cum ſingulari memoriæ felicitate, emicare in tenero adhuc puero ceperint: quas alere, inq; majoris emerſuri olim luminis ſpem adaugere, uti unicum ſuorum votum, ita nihil, quod promovere naturalem illam ad ſtudia propenſionem poſſet, à Suis intermiſſum fuit. Hinc fideli Præceptorum curæ, fidei, atq; informationi traditus, prima literarum elementa haurire, ac arma literaria, libros innuo, ſedulò tractare, ſummam ſibi voluptatem duxit. Primum autem ductorem in Gymnaſio Annæano habuit *Dn. Joh. Fridericum*, eoq; abrogato, & Scholis iſtis publicis in turbulento tunc temporis

porisPatriæ ſtatû occluſis, *Dn. Johanni Crophio, Pontano Saxoni*, Latinæ, Græcæ & Hebraicæ Linguæ doctiſſimo (quo elogio Ipſe NOSTER Eum exornat) erudiendus fuit commiſſus; â quo poſteriore etiam trium iſtarum Linguarum ſemina accepit. Quos eò lubentiùs hîc nomino, cùm Ipſe WELSCHIUS eoſdem memoriæ poſterorum commendare voluerit, cum *Tullio* fortè reputans, ingenui eſſe hominis, profiteri, per quos profecerit.

Hinc creſcente cum ætate judicio, altioribus capeſſendis aptus, ad Collegium Annæum progreſſus, in hoc linguarum ſtudio, ad quod Natura ipſa Eum impellebat, ulteriùs ſeſe exercuit, Arabicam etiam feliciter excolens, Moderatore & Ephoro meritiſſimo, *Dn. Petro Meiderlino*, Philoſopho, Philologo, Poëtâ, Mathematico & Theologo præſtantiſſimo; à quo in ſcientiis quoq; & Artibus cæteris liberalibus eruditus fuit. Felix, qui talem invenerit Præceptorem, in quem ſi illud *Philippi Macedonis* de *Ariſtotele* judicium quadraſſe dicerem, dum hunc in modum eidem ſcripſiſſe, *Gellius* refert: *Certiorem Te facio, filium mihi genitum eſſe. Nec perinde DIIS gratiam habeo, quòd omnino natus eſt, quàm quòd naſci illum contigit temporibus vitæ tuæ*, vanitatis minimè argui poſſem.

Grammatiſticen ſive ſcribendi rationem, & numerandi, Graphicen item, Muſicam, & Gymnaſticen, quibus vacare quoque libuit, partim debuit, nominaſſe tantùm, ſufficit.

Sed ut plantæ plurimæ multò feliciùs, ſi tranſplantentur, exſurgunt; ita & NOSTER, non ſine lætiſſimi incrementi fiducia, patrios deſerturus Lares, ac peregrina in terra ſalubres doctrinæ ſuccos ſibi attracturus credebatur. Unde tam egregiè inſtructus, ad Academias à Parentibus ablegatus, primum in Tubingenſi Athenæo Muſis ſacramentum dixit, conſuetis & longâ Vetuſtate commendatis, quos Depoſitionem vocant, ritibus initiatus, & Profeſſorum ibidem amorem ambivit,

bivit, obtinuitque, Teſtimonio propterea publico à Viris Rever. & Excellentiſs. *Jo. Pregizero*, & *Jo. Geilfuſio*, donatus.

Altero poſt anno in ſuavem Argentoratenſium Muſarum ſinum, ut ulteriorem ibi ingenij cultum caperet, ſe demiſit, in quo triennium integrum exegit, uſus hoſpitio max. Reverendi *D. D. Johannis Cunradi Danhaueri*, SS. Theologiæ Doctoris, & Phil. præcellentiſſimi; cujus ſuaſu cùm totum ſe Philoſophiæ ſtudio, in quo præcipuè Virorum Clariſſimorum, *Jo. Henr. Böcleri*, ſtyli cumprimis limatioris gratiâ; nec non *Johann. Groſſij*, Ling. Hebraicæ & Syriacæ Profeſſoris; & *Johann. Ferberi*, Ling. Græc. Profeſs. amicitiâ, quam maximi meritò fecit, ſingulari favore, & præſtitis ſæpe privatim conſiliis egregiè profecit, per integrum annum addixiſſet, tempore hoc exacto, ad Medicinæ ſtudium tranſiit, inq; eo, dum jam ante in Arte pharmaceutica non levem ſibi comparaverat notitiam, ac Philoſophiæ firmiora poſuerat fundamenta, exiguo ſtatim tempore eò ſe profeciſſe, memorat, ut Diſputationibus, Caſuum reſolutionibus, Receptarum, quas vocant, ſcriptione, omnibus præcipuus videretur, atque inter Studioſos omnes & Profeſſores, Medicinæ Candidatus exiſtimaretur, propediem Lauro cingendus. Quo fervore itaque, diligentiâ, & ſucceſſu divinam hanc hominum conſervandorum Artem addiſcere tentaverit, ex breviter dictis conſtare facilè cuique poteſt; quin & Scripta hactenus edita, omnes Medicinæ partes Eum attigiſſe, abundè teſtantur; ut adeo plura de hac materia facere verba, labor mihi planè fruſtraneus videatur. Unicum modò illud *Hippocratis* in *Lege* prolatum axioma repetere liceat: *Quisquis medicinæ ſcientiam ſibi verè comparare voluerit, eum oportet hæc eſſe adeptum: naturam, doctrinam, inſtitutionem à puero, locum aptum, amorem laboris, tempus.* Quæ cuncta certo modo obtigiſſe WELSCHIO noſtro, cùm ſit veriſſimum, commendandam iſtam ſibi comparaſſe Eum ſcientiam, tantò minùs quiſquam ampliùs mirabitur.

CAPUT III.

Itinera.

N*Eſtoris* Pylij itinera recenſere ſpeciatim nolo, Veſtrâ ne abutar patientiâ. Dixiſſe in rem præſentem ſufficiat, eundem non deſidem ſemper domui adhæſiſſe paternæ, ſed peregrinando virtutis ſuæ gloriæque incrementum apud Exteros quoque perveſtigaſſe ac inveniſſe. Non minùs Auguſtanorum NESTOR, quod in patria ſperare vix poterat, apud vicinos, alioſq; ſub Sole calentes populos feliciter perquiſivit, memorandi illius apud *Iſocratem* præcepti haud immemor: *non pigeat quantumvis magnum iter ſuſcipere ad eos, qui profitentur ſe aliquid utile docere. Turpe enim eſſet, Mercatores tanta maria tranare, pauxilli lucri gratiâ: adoleſcentes verò non terreſtre iter ingredi velle, ut mentem ſuam ornatiorem politioremq́; redderent.* Non latere potuit prudentem WELSCHIUM noſtrum, futuro imprimis Medico, præter communes alias peregrinantibus utilitates, plurimas ſingulares à ritè perluſtrata locorum diverſitate contingere. Nec enim Natura, cujus ille cultor eſt præcipuus & miniſter, uno in loco ſeſe eâdem indutam facie conſpiciendam exhibet, ſic plantarum magnam multitudinem non niſi diverſis in locis adcuratiùs perdiſcendam habuit. Nudam ſine velo Naturam intueri, & rariores ejus in Curioſorum Muſeis collectos excutere theſauros, varia percurrenti loca contigit. Jam Thermas, Acidularum fontes; jam metallifodinas adire & oculis uſurpare licuit. Alibi Anatomicum florere ſtudium; alio in loco rariſſimè doctâ à manu eviſcerari cadaver, Chimicos econtra ardere ignes, ſcivit. Ibi cultiorem exercentes Praxin, & dextrè internorum morborum Iliadem evertentes Æſculapios; illic crebriori flammâ, ferroque inſudantes chirurgicis

operationibus Chirones reperiit. Verbo: non omnis fert omnia tellus. Nec ſanè credibile eſt, ad tam præclaram eruditionem NESTOREM ſeculi hujus, ex ſolâ librorum inſpectione, quæ ſegniùs & invalidiùs, imò nunquam perfectè Naturæ penetralia animo recludit, unquam pervenire potuiſſe, niſi hæc & ſimilia, curioſè peregrinando, addidiciſſet. Quod propoſitum Ejus partim Virorum Eruditiſſimorum intimior, ab Ipſis præſentibus impetratus favor & amicitia, à quorum utpote converſatione majorem ſæpe ſcientiæ theſaurum colligere licet, quàm à longiori librorum evolutione ſperari queat; partim inſtructiſſimarum Bibliothecarum perreptatio inſigniter promovere potuerunt. Hinc fulgidum illud Septentrionis Sidus, *Thomas Bartholinus*, quamvis in Patriæ laudes totum ſe diffundat, damnare tamen peregrinationes Aſclepiadeorum filiorum, ipſe peregrinator curioſiſſimus, haud ſuſtinuit, *nolim tamen*, ſcribens, *generoſum meliorum ingeniorum exteros ſoles viſendi deſiderium damnare, unde magna medicæ ſcientiæ acceſſio ſperanda, aliquando ex uſu futura.* Vid. *diſſert. Ejus tertia de medic. Danor. domeſtica.*

Cæterùm itinera nec magna quidem, ut propriis Ejus verbis, ex ſuperiùs citata vitæ Ipſius delineatione, utar, ſed nec pauca confecit; imprimis cùm nativo genio à quibuſdam Regionibus abhorruerit, ita ut eò tendere nunquam voluerit. Primum iter Monachium verſus inijt, vicinam Nobis Urbem, Sede Electorali celebrem, & tum temporis, ob SACR. CÆSAR. MAJESTATIS, quæ à Conventu Principum Imperij eò Se, cum plurimis Magnatibus contulerat, præcipuè adeundam; iſtâque occaſione memorabilia ejus omnia perluſtravit, ac quod primarium eſt, amicitiam cum Viris quibuſdam doctiſſimis inijt. Qua ratione dein Tubingam conceſſerit, ex *anteced. Cap.* eluceſcit; prout & abitus Ejus in Athenæum Argentinenſe hinc petendus erit. Cujus itineris occaſione, Du-

catum

catum Wirtembergicum tranſire, & ſalubrium acidorum fontium thermarumq; inibi magna cum utilitate ſcaturientium, ſpectator eſſe potuit.

Celebritate etiam non adeo remotæ Baſileenſis Univerſitatis permotus, adire eam pariter conſtituit, ac bonis avibus illuc pervenit, ſummorum ibi in Arte Medica Virorum amorem adeptus. *Jo. Caſparum Bauhinum* primò hîc nominare æquum eſt, cujus nimirum fama per Orbem diffuſa eſt, utque diu adhuc floreat Senum optimus, bonorum omnium votum eſt ac deſiderium. Tum *Emmanueli Stupano* celeberrimo innotuiſſe, ſibi honori duxit. Clar. *Thomam Platerum* quoque potuiſſe adloqui, vix ſatis deprædicare potuit, præſertim quòd famoſam Pinacothecam ſuam & Bibliothecam pretioſam humaniſſimè Ei monſtraverit. Quos alios ſibi Amicos ibi paraverit, brevitatis causâ omitto, unicum hoc ſuperaddens, reliqua omnia in Urbe iſta viſu digna à NOSTRO curiosè oculis fuiſſe uſurpata. Et itâ ſcientiâ redditus inſtructior, Argentoratum rediit, ſeq; itineri Italico ſubeundo præparavit. Id quod in autumno, Anno M. DC. XLV. cùm adgreſſus eſſet, denuo Auguſtam Rauracorum in tranſitu perluſtrare Ei contigit, non ſine ſingulari fortunæ favore, quæ Celeberrimum illud par Fratrum, Magnos *Bartholinos*, Eorumq; comites, *Fuirenios* nobiliſſimos, ex itinere Italico reduces factos, Ipſi Amicos conciliavit. Tantamq; apud hos meritus fuit gratiam, ut ab immortalis famæ Viro, *D. Thomâ Bartholino*, atq; Ejuſdem Conſobrino dilectiſſimo, *D. Henrico Fuirenio*, cùm à prælaudato *D. D. Bauhino*, publico conſenſu, Doctoralis Laurea prid. id. Octobr. anni præmemorati, jure meritiſſimo Utrique fuiſſet impoſita, ad Convivium ſolenne amicè vocatus fuerit, & quod præcipuum eſt, ad ſummi Viri, *Jo. Rhodij*, amicitiam primum aditum, Ipſis parariis, impetraverit. Non minùs etiam *D. Ioh. Hornium*, Batavum Medicum & Anatomicum inter primos numerandum,

adlo-

adloqui ibidem datum fuit. Nec prætereundus eſt *Allers*, JC^us^ Bremenſis, Vir ſupra quàm credi poteſt, civilis, doctus, humaniſſimus, & officioſiſſimus; quem hoc partim nomine WELSCHIUS laudandum ſibi duxerat, partim quia primò ad *Bartholinos* ab ipſo deductus fuerat. Quorum eruditâ converſatione & Ipſe factus doctior, ingenij theſauros trans Alpes quoque adaugendi ardore flagrans, ſuſceptum ſemel iter continuare properans, Tigurum conceſſit; ubi *Conradi Gesneri*, illius Germanorum Plinij, auream librorum ſuppellectilem alteramque Urbis patriæ Bibliothecam, maximi nominis Vir, *D. D. Io. Henricus Hottingerus* Ipſi monſtravit. Hinc Curiam Rhætorum perrexit, atque Clavennam difficillimo per Alpes itinere pervenit, in via ruinas Pagi Rhætici famoſi, Plours dicti, miſerrimas è longinquo contemplatus. Superatâ hoc modo montium adſcendendorum aſperitate, in plana viarum deſcendens, aëris & regionis viciſſitudinem, unico die obſervandam, ſummè admiratus fuit. Namque antemeridiano tempore, ad ſummitatem montis, magno algore infeſtiſſimi, enitendo, parum jucunditatis, moleſtiæ plurimum pertulerat; poſtquam verò illam ſuperaſſet, & à meridie denuo ex altera parte montis deſcenderet, lætiſſima cœli terræq; facies Ipſi ſeſe aperuerat, ſplendentis Solis calore tantum inſueto corpori æſtum excitante, ut veſtimenta denſiora, paulò ante quammaximè expetita, deponere cogeretur. Glacie, nivibuſque denſiſſimis obruta calcaverat priùs ſaxa; jam virides undique campi, & arbores juxta vias longâ ſerie diſpoſitæ, pulcherrimo longiſſimoq; in remota adſpectu, oculos animumq; ſummè recreaverunt, tantâ Eum voluptate perfundentes, ut vix quidquam jucundius in vita ſe vidiſſe, non unâ vice teſtatus fuerit.

Beatas itaque Italiæ terras ingreſſus NOSTER, primò Bergomum, deinde Brixiam, Veronam, Vicentiam, omnes Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ ſub Dominio Urbes feliciſſimas,

nec

nec uno nomine ſatis commendandas, & tandem verum illud Muſarum in perantiqua Antenoris Urbe domicilium adiit, benigno ejus amplexu adeo detineri ſe paſſus, ut per integrum triennium ibidem ſubſtiterit. Quo temporis ſpatio quis labor, & ſtudia WELSCHIUM exercuerint, & quantos in Literis progreſſus fecerit, ſi nunquam otioſus Ejuſdem genius conſideretur, & juxta cum aliarum Scientiarum largiſſima diſpenſatione, Medicinam cumprimis ibi florere, invidendâ ad Anatomica exercenda ſtudia opportunitate, Floræ rarioris inſigni ſuavitate, ſummâ Noſocomij publici utilitate, laudandâ Chirurgorum dexteritate, & magnâ Medicorum Practicorum in conſultando & curando celebritate inſtructam, ſi unà perpendatur, vel me tacente, quivis ipſe certiſſimum ſibi formare poterit judicium. Nec magnum Maris Hadriatici miraculum, cultiſſimam Venetorum Urbem, aliquoties adire prætermiſit, Virorum ubique doctorum, dum ſe occaſio offerebat, amicitiam ſibi comparans.

Hinc plus ultra tendens, Caput olim Orbis terrarum, Romam, luſtratis in via non incelebri Rhodigino oppido, munitiſſimâ Ferrariâ, ſtudiorum Matre & inſtructiſſimi rerum naturalium gazophilacij Aldrovandini, avidis idcirco oculis à NOSTRO uſurpati, in Curia publica cuſtode, Bononiâ, florentiſſimâ Florentiâ, conceſſit, atque uti hactenus ubique, ſic & celebri hoc in loco eruditæ Curioſitati ſuæ, Viros doctos compellando; illuſtriores Bibliothecas, inſtructiſſimam præ cæteris Vaticanam, crebriori acceſſu, excutiendo; veteris Romæ, intra ſuas quaſi ſepultæ ruinas, ſuperſtites adhuc Antiquitates oculis uſurpando; & quæcunque ibi occurrere poſſunt alia, ſtudiis ſuis aliquando profutura, haud negligendo, abunde ſatisfecit.

Neapolin, Regiam illam, & vel ob vicina agri Puteolani miracula adeundam Urbem, propter ſeditionis ibi obortæ fu-

rorem accedere non fuit auſus, diſſuadente imprimis ſummo ſtudiorum Mecænate, Illuſtriſſimo Equite *Caſſiano à Puteo*, quem paternâ veneratione colebat, à cujus conſiliis pendebat, & cujus auctoritate ab omnibus, quæ fortunâ iniquiore ingruebant, defendebatur.

In Ægyptum etiam tranare voluiſſe, non ſemel audiviſſe me, memini, cui tamen voto Ipſius, ob itineris periculum, & alia, quæ occurrebant, incommoda, conſenſum dare Parentes optimi, teneriori adfectu filium magnæ ſpei foventes, recuſaverint.

Reditum idcirco ad Patavinum Lycéum elegit, aliâ viâ, quàm qua venerat, illuc remeans, juxta mare nimirum, qua Lauretum & Anconam itur; atque hîc, præter ſingularia alia, illum ob ſtructuræ elegantiam, antiquitatis majeſtatem, marmorumq; vaſtitatem celebratum, mediæ moli, quæ, uti Pflaumerus in Mercurio ſuo Italico loquitur, pro munimento portûs projecta eſt in mare, impoſitum Trajani Arcum: ibi incredibiles in æde Lauretanâ, perpetuo hominum confluxu ornatâ, repoſitos, ac omnibus advenis conſpiciendos theſauros; imò ubique memorabilia locorum, quæ adiit, diligenti inquiſitione obſervans.

Cæterùm Patavij poſtquam iterum aliquo tempore, uſq; dum ſtudiorum tempus conſuetum abſolveretur, ſubſtitit, in comitatu *Cruſiorum*, Nobiliſſimorum Daniæ Equitum, quorum etiam mentionem facit *obſerv. 64. Hecatoſt. obſ. phyſ. med. 1.*, nominatiſſimam Urbem, Mediolanum abiit, atque indè denuo per Alpes horridiſſimas, & montem Gothardum in Helvetiam tranſiit, ac per Bellizonum, Lucernam, rurſus Baſileam, & Argentoratum pervenit, tandemq; in Patriæ ſinum, firmam ibi ſedem inventurus, excepto quòd ob morbum, acidas Dainacenſes bibendi causâ, ad ipſum earum fontem deductus fuerit, Anno M. DC. XLIX. ſeſe repoſuit, collectumque ſtudiorum

diorum theſaurum, quem poſtea perluſtrabimus, Orbi erudito, magno cum adplauſu, exhibuit.

CAPUT IV.

Vitæ genus.

GRæcum *Neſtorem* non ſaltem factis inclytum nomen ſuum Poſteritati commendaſſe, verùm ſimilem ſibi progeniem poſt obitum relinquere etiam voluiſſe, conſtat. Unde *Eurydice* in uxorem ſibi ductà, præter filiam, ſeptem quoque ex ea filios genuit. Dispar in hoc videri poſſet Germanus NESTOR; qui conjugales averſatus faces, cælibem ducere vitam maluit. Sed ſalva res eſt. Ex amata Philoponia ſua plures quàm ſeptem ſuſcepit filios; quos omnes genuinos eſſe, patriſq; ſpirare indolem, ſi inquiſitioni exponantur, facillimè innoteſcet. Quid hoc indigitare velim, neminem credo fugiet, libros ſcilicet ab Eo ſcriptos, præclaram & mori neſciam ſobolem.

Cæterùm juvat hìc in memoriam revocare non inelegans Medici noſtratis & Phyſici quondam Auguſtani meritiſſimi, *D. D. Iohannis Braunij*, Epitaphium, quod, cùm M DC. LIX. Anno, ætatis autem LIX. mundo Is valedixiſſet, in tecto, quod Baſilicæ adjacet, Cœmeterio poſitum Ei fuit, hæc inter alia Lectorem edocens: *Vivendi ſtatu cælebs, libris ſuis quàm alij liberis felicior, conſervandi generis humani quàm augendi cupidior.* Simile WELSCHIO ſi monumentum erigeremus, nulla Ejus fieret cum injuria. Deceſſit enim, ut jam innui, vivendi ſtatu cælebs; non liberis, ſed libris ſuis feliciſſimus; conſervandi & exornandi generis humani, quàm augendi cupidior.

Studiorum ſcilicet amore flagrans, quæcunq; obſtaculo eſſe poſſent, ſtudioſè evitavit, ſtrenuus ideo præcipuè factus

ſolitudinis ſectator; cui, à magnis etiam Philoſophis olim expetitæ, tantopere ſeſe addixerat, ut in hoc ſuo Muſarum receſſu conſtitutus, Amicorum ſæpius, aliorumvé importuniores ſibi viſas interpellationes declinaverit.

Nec *Scaligerum* quaſi repræſentare, Ipſi nocuit; quem Pariſiis ſtudia ſua, ea cum diligentia tractaſſe, ferunt, ut ſæviſſimæ illius Lanienæ, ibidem tunc perpetratæ, ignarus planè fuerit; vel *Archimedem*, ſuis adeo occupatum geometricis laboribus, ut expugnatas Syracuſas, non priùs obſervaverit, quàm cùm ab impij militis crudeli manu ſpiritus ejus migrare è corpore juberetur. Pari enim ardore WELSCHIUS ſuis incubuit ſtudiis, turbarum exterarum, civilium calamitatum, & crudelium in almam Medicinam haud infrequentium facinorum ſæpe ignarus. Nec deſidiâ torpentem, aut aliena tractantem, ſed ſuis maximè intentum laboribus Mors atra occupavit.

Dulcius utiq; eſt, & Erudito optatius, ſecum habitare poſſe, ac in remotiori loco abſconditum, res hominum inanes deſpicere, curaſq; eorum multiplices, & plurima ingruentia mala feliciter declinare: quàm continuos inter ſtrepitus verſari, animumq; ab inutilium rerum procellis agitandum exponere, quem ipſe totum Muſis conſecraverat.

Hac ſolitudine opus habet, cuicunque præclara eruere, & immortale ſibi nomen propriis Scriptis adipiſci, volupe eſt. Scimus, ut omittam alios, Magnum *Verulamium*, poſt perpeſſos iniquioris fortunæ inſultus, ultimum quinquennium in ſolitudine literaria conſumſiſſe, & maximam librorum ſuorum partem ingenioſo calamo conſcripſiſſe. Hoc ſanè in tranquillitatis receſſu conſtitutus WELSCHIUS, animum variis, abſtruſis, ac difficilioribus ſcientiis inſtruere; hanc ſe in ſolitudinem ſubducens, ſibi & ſuo genio ſolus vivere; hoc in otio repoſitus, magnum ſubinde meditari negotium potuit. Hinc non mirum, quòd, uti abſcondendo ſe tot annorum ſpatio

tio intra ædium & Muſei clauſtra, *ingens*, ad *Senecæ* mentem, *inter ſe & cæteros fecit intervallum*: ita & eruditione, imprimis ad Orientalem literaturam quæ ſpectat, nec non librorum, multâ lectione atque judicio ſe commendantium, evulgatione, ingens inter ſe & plurimos alios fecerit intervallum.

Non igitur ſolitudinem otiumq; iners, languidum ac fœdum ſectatus fuit, ſed operoſum, ipſa in requie laborioſum, ac circa honeſta ſtudia occupatum, ritè Philoſophantibus peropportunum; ſicq; in iſta ſolitudine ſua neutiquam ſolus, aut in otio otioſus fuit. Solus namque in Muſeo latitans NOSTER comites ſibi pergratos ſemper invenit libros, deſideratiſſimas animi ſui delicias. Tot ibi inter Doctores verſabatur variis in ſcientiis excellentes, tot inter antiquitate commendabiles Patres, & plurimos præſtantium ingeniorum filios doctos atque peritos; quibuſcum confabulari, conſultare, & ex iiſdem utiliſſimos elicere ſuccos conſueverat. Quorum prudenter inſtituto connubio, numeroſæ prolis factus eſt genitor, quam poſtea nominatim exhibendi locus dabitur.

Quamvis autem majorem temporis partem librorum evolutioni ac ſcriptioni impenderit; nudâ tamen Medicinæ contemplatione haud contentus, conſiliis ſæpe medicis, requiſitus, aliquid conceſſit, & conſervationem, ac certo reſpectu propagationem quoque generis humani, ſibi curæ cordique eſſe, eoipſo docuit, ſimulq; Medicum non tantùm ſpeculatione, quæ Medicinæ finis genuinus minimè eſt, ſed & opere ipſo ſeſe demonſtravit.

Quam Praxin ſuam feliciorem aliquantò, vel quietiorem reddidit amata ſolitudo. Secus ac aliis accidere ſolet Medicis, qui currendo, ſudando, algendo, & neſcio quæ non incommoda ferendo, moleſtiasq; devorando, ſeipſos conſumunt. Quæ ſanè tædia, domi ſaltem conſilia diſpenſantem experiri nihil coëgit.

Continuata tamen illa cum ipſis ægrotis converſandi averſatio nequaquam obſtitit, quò minùs, ob magnam, quam in Ejus deprædicatam peritiam poſuerant confidentiam, multi Civium, imprimis qui lautioris erant conditionis, & Exterorum ad Ipſum, tanquam ad Delphicum quoddam Oraculum, adcurrerint, ſuper ſuam ſuorumque domi decumbentium adverſam valetudinem, conſilia & opem depoſcentes. Multis etiam ſalutaria eveniſſe iſta, teſtes adhuc vivunt omni exceptione majores; quorum tamen recenſere catalogum, ſupervacaneus labor eſſet; cùm vel abſq; ijs fides mihi facilè haberi queat; modò bonum Medicum Theoreticum, qualem fuiſſe WELSCHIUM, extra omne dubium poſitum eſt, haud difficulter, ſi theoriam cum judicio adplicare uſui velit, bonum evadere in Practicum, conſideretur.

Nec dubito, quin, ſi multorum voto adſurgere, in publicum prodire, ac indefeſsâ librorum lectione & meditatione cumulatam ſcientiam, opere ipſo in conſpectu omnium confirmare ulteriùs voluiſſet, numeroſa ægrotorum Ipſi obtigiſſet viſitatio, & frequentiſſima gallorum immolatio. Sed non omnia poſſumus omnes. Alij libros doctè elaborando, ægrotos alij ſedulò curando, ſaluti hominum invigilant. Et prout illi, qui præter rem familiarem vel œconomicam regendam & conſervandam, continuâ ægrorum curâ implicantur Poliatri, poſteritati memoriam ſui, librorum ſcriptione, relinquere vix poſſunt, vel etiam ob multas, quæ eſſe poſſunt, cauſas nolunt, nec tamen propterea, quòd nihil in publicum bonum moliantur, dicendi, vel ullo alio modo culpandi, multò minùs ignaviæ injurioſè arguendi ſunt: ita qui Naturam, Medicinam & Literas eruditis ſcriptis amplificanda ac illuſtranda ſibi ſumunt, omiſſo prolixiori exercitio practico-medico, gaudere eâdem libertate poſſe, exiſtimo.

Per-

Perſpectum quidem habuit NOSTER, quàm neceſſarium utplurimum ſit Practico, ipſum videre & adloqui decumbentem, quò morbi mutationes, corporis habitum, animi ſtatum, pulſus qualitatem, Signa item diagnoſi & prognoſi inſervientia alia, imprimis ubi morbus celeriter ſuam decurrit periodum, adcuratiùs obſervare, temporiq; ſe adcommodare queat. Aſt hæc firmum eruditæ ſolitudinis propoſitum quò minùs infringerent, ſufficienter WELSCHIO proviſum fuit. Quem, præſtantiſſimos ſæpe Medicos ſaluberrima abſentibus dediſſe conſilia, graveſq; debellaſſe aliquando morbos, neutiquam latere potuit; præſertim ubi à perito alio vera morbi idea ipſis fuerit priùs delineata. Uti enim Internunciorum ruditas abſenti Medico magnam in medendo parit difficultatem, & incertis conjecturis eum inhærere ſæpe cogunt: ſic è contrario debitè facta morbi & circumſtantiarum expoſitio curam tantò faciliorem efficit.

CAPUT V.

Honores.

NOn inglorium fuiſſe Græcorum *Neſtorem*, ex antiquiſſimo Poëtarum, *Homero*, ſatis ſuperq; diſcitur. Exempli loco inſerviat, quòd ab Agamemnone, fortiſſimo Grajorum ad oppugnandam Trojam miſſorum Duce, *magna Achivorum gloria* vocari promeruerit; ceu ex *Iliad. 10. & 14.* conſtat; prout & regio titulo condecoratus, indeq; *Rex Pyli arenoſæ* dictus fuit. Alia quæ huc facerent, brevitatis causâ omitto, meq; potiùs ad Germaniæ NESTOREM converto. Qui equidem primis in annis, poſtquam Academiis valedixerat, inglorius videbatur, & nullo benè exantlati ſtudiorum curriculi teſtimonio, conſuetisve ſummis Doctoratûs inſignibus exornatus, domum rediit; non quòd non promeri-

tus

tus fuerit, ſed quòd fortè non ambierit, aut quod credibilius mihi videtur, morbus, qui ante ſuum in Patriam reditum miſerè Eum oppreſſerat, tunc haud permiſerit.

Interrogatus olim *Cato*, cur inter multos Nobiles ſtatuam ipſe non haberet? malo, reſpondit, ambigere bonos, quamobrem id non meruerim, quàm quod eſt gravius, cur impetraverim, muſſitare. Eadem mens WELSCHIO eſſe potuit, ut maluiſſe videri queat, ſi æqui Eruditorum æſtimatores ambigerent, quamobrem Lauream philoſophicam ac medicam haud reportaverit, quàm quod eſt gravius, cur impetraverit, ſi muſſitarent. Digniſſimum enim fuiſſe, qui præ multis aliis, ſummis iſtis in Arte honoribus mactaretur, extra omne dubium eſſe poſitum, mihi perſuadeo.

Quæ unica etiam cauſa exſtitit, quò minùs in Collegium Noſtrum Medicum, quod hîc Auguſtæ eſt, adoptaretur, Collega aliàs futurus peramandus. Cùm ab Ampliſſimo hujus Civitatis Magiſtratu nemini hactenus, niſi de legitimè impetrato Doctoris titulo fidem indubitatam fecerit, in Ordinem Noſtrum receptio conceſſa fuerit.

Aſt individuus Virtutis comes cùm ſit Gloria, omnimodè carere hac Virtuoſus Noſter minimè debuit, non uno ſanè mactatus hucuſq; honore. Quamvis enim Virtutem qui ſectatur, eo ipſo ſat habeat honorum, nam, ut cum *Plauto* loquar,

Virtus præmium eſt optimum;
Virtus omnibus rebus anteit profectò;
Virtus omnia in ſe habet; omnia adſunt bona,
quem penes eſt Virtus.

Spectabiles tamen glorioſæ Virtutis fructus multoties etiam deguſtavit. Quos inter Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ haud ita pridem, poſtquam ſuas *Curationum II. Chiliades, & Conſiliorum*

rum medicinalium Centurias IV. Eidem Venerando Patrum Conſeſſui ſubmiſſo animi cultu dedicaſſet, transmiſſas literas meritò repono; in quibus pro ea, quâ florent prudentiâ, per universum Orbem cognitâ, WELSCHII eruditos labores & fructuoſam ſcientiam publicè commendare haud verentur. Sed ipſum potiùs verbotenus legendum hîc ſiſto Teſtimonium: *Aloyſius Contareno Dei gratia Dux Venetorum &c. Univerſis, & ſingulis tam Amicis, quàm Fidelibus præſentes inſpecturis ſignificamus cum noſtro Conſilio Rogatorum, qualiter; Doppo publicate alle ſtampe molte virtuoſe opere continenti materie diverſe, tutte erudite, & neceſſarie, hà ultimamente il Dottor Giorgio Geronimo Velſch d' Auguſta, con la ſua ben verſata intelligenza nell' Arte Medica, prodotto à commune beneficio il Libro Curationum Exotericarum, & obſervationum medicinalium, pienamente applaudito. Con atto ſpontaneo l' hà dedicato alla Signoria noſtra, & nel tempo ſteſſo dato à conoſcere la divotione ſua particolare, quale come reſta gradita, così conviene rilaſciarne à lui il preſente Atteſtato, che valerà à conſolatione del ſuo animo, & à luſtro decoroſo alle ſue ben degne lodevoli fatiche, Dat. in Noſtro Ducali Palatio die ſecunda Januarij, Indictione decima quinta. M. DC. LXXVI.*

Pietr. Antonio Gratarol
Segr.

Nec laudatiſſimis in Arte Noſtra Proceribus illaudatus abiit, qui in ſuis æternitati conſecratis Scriptis, multiplici elogiorum varietate honorare Eum, minimè deſtiterunt. Ex qua decerpere partem potiorem, eò lubentiùs paro, quò certiores VOS eſſe ſcio, non alio ex fonte, quàm à concepta firmiter de Ejus præclara Virtute opinione, illa profluxiſſe. Ut adeo commodè illud *L. Apuleji lib. 4 Philoſophicor.* locum hîc inveniat, WELSCHIO adplicandum. Si enim quæratur: Dives eſt? Reſpondebitur: non credo fortunæ. Si, validus eſt? ægritudine

D fati-

fatigabitur. Pernix eſt? Abibit in ſenectutem. Formoſus eſt? expecta pauliſper, & non erit. *At enim bonis artibus doctus & apprimè eſt eruditus, & quantum licet homini, ſapiens, & boni conſultus? Tandem aliquando ipſum Virum laudas.*

Hinc *profundâ eruditione & medicâ ſcientia clariſſimum* adpellare Eum ſuſtinuit noviter tunc in Germania exſurgens Illuſtris Naturæ Curioſorum Societas, cùm Celeberrimos Europæ Medicos, ad ſocios in eruendis Artis medicæ & Naturæ inexhauſtis Theſauris labores, publico ſcripto invitaret.

Liceat etiam ad ſpecialiora tendere, & quæ à VOBIS, Domini Collegæ colendiſſimi, publica reportavit encomia, ex aureis Veſtris Scriptis repetere.

TIBI præcipuè, Sacræ Hygiæ Amor & Delicium, Domine PRÆSES venerande, *nobiliſſimus*; nec non *auguſtum Auguſtæ Urbis Orbiſq; literati, cumprimis autem Chori noſtri Aſclepiadei ſidus*, in *obſervatione*, qua *Annum VItum Ephemeridum Germanicarum Medico-phyſicarum, num. 191.* exornare libuit, nuper commendandus fuit. In *Epiſtola* porrò, quam 8. *Id. Novembr.* ad WELSCHIUM (ſed antequam tradi illa potuiſſet, demortuum) amicè exaratam, mihi poſtea exhiberi gratioſè curaſti, hæc ſincero calamo, nec in ullius invidiam ſcripta offendo: *De illuſtri Boyle quidam non inglorius: Si decem, inquit, haberemus Boyle, omnia Naturæ arcana dudum nobis eſſent patefacta. Quid ſi decem vel quinq; ſaltem nobis ſuppeterent Velſchij?* Ad mentem planè *Agamemnonis*, apud *Homerum Iliad. 2. Neſtorem* Pylium ſic commendantis:

Utinam Jupiterq; Pater, & Pallas & Apollo,
tales decem mihi conſultores eſſent amicorum!
Sic citò nutaret civitas Priami Regis
manibus ſub noſtris, captaq; direptaq; &c.

Nec

Nec ægrè feres, ſi ex Tuis *d. 22. Novembr. anni præteriti* ad me tranſmiſſis literis quædam produxero: *Schröckio S. Argonauta. Brevi interjecto temporis ſpatio binas Tuas accepi, Honoratiſſime Domine Collega, & priores quidem* &c. *poſteriores autem amariſſimi fellis amphora vel culeo potiùs refertas, quas lachrymis largiùs perfudiſſem, niſi me Pietas & ſanior Philoſophia modum in ejuſmodi calamitate docuiſſet. Vivimus ſcilicet in hoc mundo & ludimus ſuas quiſq; quaſi fabulas, quâ finitâ, aliis quoq; prædeceſſor. ſuor. larvâ quaſi indutis perſonam ſuam in hoc theatro proferendi locum relinquimus ampliſſimum: Decedente Neſtore (at quanto VIRO!) ſuccedit S.* &c. *Eſt itaque Academia Naturæ Curioſor. ſicut Luna, quæ jam creſcit, jam decreſcit, perpetuoq́; motu ſuo ſeipſam reparat & abſumit: Quis, quantuſque fuerit ὁ μακαρίτης noſter NESTOR, deprædicavit dudum omnis literatus Orbis; Ego autem, quod mearum partium eſſe duxi, pauculis iiſq́; obiter fuſis verſiculis quodammodo delineare volui, ſolidè exprimere nec potui, nec debui, cùm de tanto VIRO præſtet ſilere, quàm pauca dicere:*

D. O. M. A.

Velſchius occubuit! vix credo; Velſchius Ille,
Cui toties victas mors dedit atra manus?
Velſchius Auguſtæ auguſtus Sol Urbis, & Orbis
Docti Illuſtre Decus, conſpicuumq́; jubar,
Naturæ Genius, Sophies Lux, Inclytus Artis
Dux Medicæ, noſtri Gloria ſumma Chori;
Neſtor, Neſtoreis unus digniſſimus annis:
Plangite Pierides, veſter Apollo jacet;

Argo noſtra ſtupet. Patientiùs ite ſubumbras
Vos abjectæ animæ, Velſchius occubuit.

Collegæ deſideratiſſimo p.

Joh. Michaël Fehr D.

Phyſ. Suinfurtenſis Ordinarius.
S. R. Imp. Academ. Nat. Cur. Præſes
d. Argonauta.

Quo in pretio apud Te, Virorum ſumme, Excellentiſſime *Dn. D. Henrice Meibomi*, in alma Julia Medicinæ Profeſſor famigeratiſſime, fuerit, egregia illa *Epiſtola* Tua, quam *de Medicorum hiſtoria* (ô quàm deſiderata!) *ſcribenda*, Ipſi dedicare, ac Helmeſtadij A. M. DC. LXIX. typis committere voluiſti, abunde Nobis demonſtraſti. Mitto reliqua; Unicum tantùm hoc à me excerpi patere: *Scripta Tua ubiq; oſtendunt non tantùm, quantùm in arte noſtra exquiſita eruditione & multo uſu profeceris, ſed quàm variam præterea omnis bonæ doctrinæ tibi comparaveris ſuppellectilem, pluriumq; linguarum Orientalium, Græcæ, Latinæ, earumq; quæ hodie politioribus uſui ſunt & ornamento, Italicæ, Gallicæ, Hiſpanicæ, peritia ſis inſtructiſſimus.*

Nec Tuo, Magnum in Holſatiæ Lycéo Lumen, *D. D. Joh. Daniel Major*, politiſſimo calamo indictus abire debuit; dum Tui, imò Noſtrorum omnium, qui Apollinem colimus, amiciſſimi *D. D. Phil. Jac. Sachſij à Levvenheimb* memoriam nunquam morituris inſcribens chartis, & veram à Virtute Nobilitatem ſperandam conſiderans, Eum *Nobiliſſimum, Polyhiſtorem ac Medicum Auguſtanum longe clariſſimum cap. 13.* vocare voluiſti; *cap.* inſuper *34.* Tibi *Philologus inſignis, & ob ſelectiſſimas obſervationes Collegio Curioſo transmiſſas inſigniter dilectus* dicitur.

Tibi quoque confirmare hæc placuit, Amice integerrime *D. D. Georg. Abrah. Mercline, Jun.* qui *omnis politioris literaturæ,*

turæ, Linguarumq́, imprimis Orientalium peritiſſimi laude, in doctis *adnotationibus*, quibus *Joſephi Pandolphini de Ventoſitate ſpinæ tractatum illuſtraſti*, VELSCHIUM Tuum exornare voluiſti; Mortuum verò hoc Carmine nuper condecoraſti:

In Obitum univerſæ Reipubl. Medic. luctuoſum
VIRI quovis titulo majoris,

GEORG. HIERONYMI VELSCHII.
S. R. I. Academ. Natur. Curios.
dicti NESTORIS.
Fautoris & Collegæ ſui deſideratiſſimi.

VELSCHIUS haud fruſtra dictus cognomine NESTOR,
Optimus & multo nomine NOSTER erat;
Conſiliis, non unius qui flumine linguæ,
Rerum erat & varia cognitione potens.
Verùm, ait, invertens, STERNO, heu! nec Neſtoris annos
Ter-dignum quamvis vivere, Parca, ſino.

ultimi honoris ergo
f.

D. Georg. Abraham. Merclinus,
Jun. Med. Noriberg. Ord.

Sed nec ab unica Ampl. SOCIETATE LEOPOLDINA ſaltem, tam nitidam promeritus fuit veræ Virtutis Coronam. Nectere eandem alij etiam Viri Clariſſimi dignati fuerunt. Cumprimis laudem omnem jamdudum ſupergreſſus *D. D. Thom. Bartholinus*, maximus ille in Cimbria Æſculapius, *obſervat. 20. Volum. 1. Actor. Medicor. Hafniens.* Eum *Novum Germaniæ lumen*;

atque *libr. de transplantat. morbor. Medicum Auguſtanum doctiſſimum, & ingens Germaniæ Ornamentum*, nuncupare ſuſtinuit.

Aſtra famâ & animâ jam incolens *Guernerus Rolfincius*, cùm librum *de dolore capitis* A. M. DC. LXXI. WELSCHIO inſcripſiſſet, ac variarum Linguarum Orientalium, & inter illas Arabicæ peritiam deprædicaſſet, hos inſuper honori Ejus dicavit verſus:

Qui ſecli ſapientiam vetuſti
non jam diceris amplius tenere,
ſed tenes verè, ore, fronte, linguâ,
moribus, & ſtudio, & profeſſione,
Vive, vive diu, Deoq; vive!

Conferatur quoque *Epiſtola* Anno eodem ab Ipſo ad WELSCHIUM perſcripta, & *tractatui de Vena Medinenſi* addita, elogiorum pleniſſima. Nec ſilentio præteriri debet, quæ in *prædicto tractatu de dolore capitis, part. 1. ſect. 1. cap. 8.* perorat, NOSTRO *Medici incomparabilis*, & *ſummi antiquitatis Vindicis* laudem tribuens, *de cujus doctrina & experientia nihil tam excellens concipi poſſit, quod ad meritorum ſublimitatem adſurgat.*

Laudem pariter egregiam ab Excellentiſs. *D. D. Jo. Nicol. Pechlino*, in Univerſitate Kilonienſi Profeſs. Publ. meritiſſimo, reportavit, *grande Doctorum & Societatis ſuæ Decus cap. 4. pag. 56.*, Vir porrò *doctiſſimus cap. 7. pag. 86. in tract. de aëris & alimenti defectu &c.* ab Eodem ſalutatus.

Trigæ huic Medicorum nobiliſſimæ Virum multiſcium, & imprimis Philoſophiæ naturalis Scrutatorem genuinum, *Dn. Georg. Caſp. Kirchmajerum*, in Electorali Academia Wittebergenſi Profeſs. Publ. meritò adjungo, qui tanti Virtutes Welſchianas æſtimabat, ut eruditiſſimum ſuum de Noctiluca conſtante & per vices fulgurante diſcurſum, A. M DC. LXXVI. luci publicæ donatum, WELSCHIO honorificè conſecraret,

Eum-

Eumq; *Polyhiſtorem, ac Poliatrům celeberrimum: Virum literarum meritorumq; gloriâ in publicum illuſtrem*, ac tandem *Seculi Decus* adpellaret.

Tantis itaque præconiis celebrato quis Honores defuiſſe, jam dubitet? Imaginaria autem vel adulationis quid redolentia hæc eſſe, qui credat dicatve, nemo erit, ſpero, imò nemo audeat; veritatem eorum, præter ſummam teſtium authoritatem, quorum de fide qui dubitare vellet, næ! fide unquam nullâ is dignus foret habendus, ipſis tot præſtantiſſimis Scriptis â WELSCHIO, cùm vitâ adhuc frueretur, publicatis, & olim fortè, ſi fortuna voluerit, publicandis, quàm maximè confirmantibus.

Aſt ne ullum planè ſupereſſet dubium, VESTRA ILLUSTRIS SOCIETAS Collegam Sibi jungere Ipſum, atque ſolenni hac adoptione, quanti Virum hunc æſtimaret, reipſa notum reddere laboravit. Sic enim Magnifice Dn. PRÆSES, in Tuis 9. *d. Junij* M. DC. LXXVI. Ipſum adloqueris: *Noſti conatus noſtros, noſti plerorumq; literatorum applauſum, ſed non ignoras quoque mutationes temporum, variationes ingeniorum, hominum caducitatem, quâ præmaturè abreptus deſideratiſſimus noſter Sachſius, coruſcus ille Chori noſtri Phoſphorus &c. Indies major fit ad NOS acceſſus Clariſſimorum Virorum (quorum catalogus tomo primo & ſecundo recens edendo Miſcell. propediem præmittetur) qui in eadem nobiſcum deſudare volunt palæſtra, in ijsdem merere & morari caſtris, ſummi DEI Gloriæ, Artiſq; Medicæ illuſtrationi καθ δύναμιν litaturi: Quo nomine TE quoq;, Nobiliſſime VIR, eâ qua par eſt ac decet obſervantiâ invito, nomine Academiæ Nat. Curios. invitatum volo, ut cœptam hanc noſtram expeditionem deſideratiſſimo illo tuo acceſſu exornare, rariſſimis tuis obſervationibus promovere & incomparabili tuâ ſcientiâ pariter & experientiâ porrò exaltare digneris, facies eo ipſo rem, ut putamus Illuſtri tuâ perſonâ digniſſimam, omnibus & ſingulis Nat.*

Curio-

Curioſis pergratam, mutuiſq; officiis & qua datur inſerviendi promtitudine quovis loco & tempore rependendam, id quod Tibi de me ſanctisſimè polliceri auſim.

Nec irritum fuiſſe deſiderium Veſtrum, eventus docuit. Hinc, poſtquam gratioſæ Invitationi adſenſum præbuerat, Tibi, PRÆSIDI Venerando, talia, juxta cum aliis in laudem Ejus vergentibus, reſcribendi occaſionem ſubminiſtravit: *Collegam Te nunc primùm ſaluto, ac in Ordinem Naturæ Curioſorum jure meritoq; recipio, receptumq; ſolenniter pronuncio, cum meritisſimo NESTORIS agnomine &c.*

Curioſum etenim uti omnibus mortalibus; ſic Ipſi quoque Natura ingenium dederat, *quæ*, ſecundùm *Senecam, cap. 32. de otio ſapientis, artis ſibi ac pulchritudinis ſuæ conſcia, ſpectatores nos tantis rerum ſpectaculis genuit, perditura fructum ſui; ſi tam magna, tam clara, tam ſubtiliter ducta, tam nitida, & non uno genere formoſa, ſolitudinis oſtenderet.* Quam naturalem ad Curioſitatem inclinationem, inani illâ ac culpandâ Curioſitate, quæ à Celeberr. noſtro *Spizelio* inter vitia Literatorum doctè refertur, ſepoſitâ, multorum in commodum ac ornamentum ſapienter ſuſtentavit. Jure meritoq; idcirco Curioſorum Naturæ numero, vel ex hoc capite, honorificè adſcriptus fuiſſe judicetur.

Quanti verò æſtimanda ſit in hujuſmodi Collegium Receptio, ſilentio libentiùs tranſilio, ne vel nimium VOBIS tribuere, vel mihimetipſi adplaudere velle videar. Hoc ſaltem ſubmoneo: Academiam Nat. Cur. uti ob clementiſſimum Potentiſſimi ac Invictiſſimi CÆSARIS, LEOPOLDI, Cui illud: FELICITER! ſubjectiſſimo è pectore adclamare nunquam ceſſabimus, Patrocinium; ob Scopi, quem Artis ſervandorum hominum & Naturalis Scientiæ incrementum Sibi proponit, nobilitatem; denique ob tantorum in Medicina laudatiſſimorum Heroum Conſortium, ſe ipſam commendat:

dat: ſic WELSCHIUM quoque non niſi magnis Honoribus perfundere potuiſſe.

CAPUT VI.

Amici.

OMiſſa hîc Noſtri cum *Neſtore* Græco, tot inſignibus Viris, *Agamemnoni*, *Achilli*, *Ulyſſi* &c. amiciſſimo, comparatione prolixiori, facilè à quovis inſtituendâ; multum favoris atque amoris à plurimis in Medica Facultate, aliiſq; in Artibus & Scientiis Viris Illuſtribus promeruiſſe Ipſum, conſtat. Plures in Superioribus jam nominavi, & Capite ſequenti, ubi de commercio literario Beati WELSCHII verba ſum facturus, adducam. Quos revocare huc idcirco nolo, paucos alios hîc ſaltem memoraturus, quorum notitiam habere potui.

Et quidem Patavinas cùm coleret Muſas, præcipuos Earum Præſides ſibi Amicos conciliavit; quos inter famà & meritis præfulgent, Divinâ gratiâ adhuc in vita ſuperſtites, Viri Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi, Fautores mei colendiſſimi, *Octavius Ferrarius*, & *Sertorius Urſatus Eq.* Hic & nobilitate generis, & medicâ, phyſicâ, ac multiplici aliâ ſcientiâ atque profeſſione ſpectatiſſimus: Ille ob ſummam eloquentiam, eruditionem & prudentiam non Muſarum tantùm Filiis, ſed & Maximis Principibus acceptiſſimus; à cujus mellifluo ore pendere, præter Studioſam ex remotiſſimis Orbis partibus confluentem Juventutem, ipſis etiam Profeſſoribus, imò multis Viris Illuſtribus aliis perplacet.

Succedit excellentiſſimus, & in Praxi medica exercitatiſſimus *D. D. Georgius à Turre*, inſtructiſſimi Horti medici Præfectus; quo cum, mortuo *Veslingio*, ægrotorum per Urbem viſitationi NOSTER vacaverat.

His adjungo Illuſtriſs. *D. Hieronymum Frigimelicam Robertum Comitem*, & Pract. Profeſſorem, quem ob magnam, qua in Republ. Patavina fulget, autoritatem, Nationi Germanicæ Artiſtarum hactenus placuit, honore Protectoris dignari.

Ex iſtis verò Academiæ Patribus, quos mortalitatem exuere fata jam juſſerunt, memorandus primò mihi venit Vir ſummus, Orienti etiam notus, Soliſq; accolis, (ut cum Excell. *D. Th. Bartholino* loquar,) *Johann. Veslingius, Mindanus*, Eques Hieroſolymitanus, in arte anatomica & re herbaria immortale nomen adeptus, optimè, uti *6. Epiſagm. obſerv. medic.* legitur, de NOSTRO meritus, & quem Patavij Ducem ad ægrotos aliquandiu ſectatus fuerat.

Nec indictus abire debet Senex ille optimus, non ita paucis ante annis defunctus, *Petrus Marchettus*, *Eques*, Medicinæ & Chirurgiæ Profeſſor, non ſaltem conſulendo, ſed & manuum operâ atque dexteritate incomparabilis, Vir humaniſſimus & ſingulari in Germanos benevolentiâ, in Filios etiam, Excellentiſſimos *Dominicum*, & *Antonium*, hodie adhuc Chirurgiæ & Anatomiæ in Patavino Lycéo Doctores verſatiſſimos, propagatâ laudatiſſimus.

Nominare etiam decet *D. D. Claudium Berigardum*, Philoſoph. Profeſſorem primarium; nec non *Franciſcum Bonardum*, Patricium Patavinum, primæ Cathedræ Doctorem, uti aliis Germanis; ſic & NOSTRO, benevolo animo olim addictiſſimum.

Quàm charus denique fuerit Clar. *Caſpari Scioppio*, Gonnæ & Claræ vallis Comiti, vel ex eo ſatis hariolari licet, quòd Ipſi Adverſariorum ſuorum, in quæ multa Artis arcana, in Principum Aulis, apud quos Oratoris nomen ſæpe obierat, à Viris doctis impetrata, congeſſerat, copiam fecerit, illaq; inter Electuarij ſui Secreti, quod propriis paratum manibus, non ſine lucro aliquo vendere conſueverat, deſcriptionem quoq; communi-

municaverit; quo de Ipſum legere licet in *Sylloge obſervat. & curat. medic. Epiſagm. 83.* & *Hecatoſt. obſervat. phyſ. medic. 2. obſ. 91.*

Poſt hos Archigymnaſij Antenorei Profeſſores, primò illum Muſarum Ocellum, ſummæ eruditionis Virum, magniſq; in omne literarum genus, earumq; Cultores meritis celeberrimum, *Joh. Rhodium*, nominare decet, quem adeo amore ſibi junxerat, ut amantiſſimum ſui vocare ipſum, in *not. ad Marc. Cumani obſerv. 7.* ſuſtinuerit.

Joh. Leonicenum, Ateſtinum, Anatomicum dexterrimum, ſibi fuiſſe Amicum, & privatâ ejus ad ſecanda corpora manuductione ſe uſum, non uno in loco fatetur.

Viri ornatiſſimi *Theobaldi, Johann. Prævotij*, Clar. olim Profeſſoris Patavini *Filij*, atque Nobiliſs. *D. Chriſtiani Burgeri*, Medici Dreſdenſis, humanitatem in *Syllabo obſervat. &c. ineditarum*, nec non *Epiſagmatum præfat. deprædicat.*

Inſignis famæ Medicum, *D. Petrum à Caſtro*, Veronæ; & Bononiæ imprimis Illuſtr. ac Excell. *D. Ovidium Montalbanum*, Comitem ac Equitem Auratum; nec non inclytum & de re literaria optimè meritum *Fortunium Licetum* veneratus fuerat.

Romæ autem magna illa ejus Lumina favoris radios in ſe ſparſiſſe, nunquam dememiniſſe potuit; *Leonem* puto *Allatium*, Græcum illum doctiſſimum; *Lucam Holſtenium*, Bibliothecarium in Vaticana notiſſimum; nec non immortalis famæ Virum, *Athanaſium Kircherum.*

Petri Servij, Medici Romani benevolentiam Ipſe in *Epiſagm. 31.* exponit.

Tandem Arabem illum memorare decet, fauſtum illud ſcopo ſuo præcipuo excolendo ſidus, cujus familiaritate & convictu aliquandiu frui, fortuna Ipſi conceſſit, *Petrum* nimirum *Ebn Diabi*, Halebenſem, Virum juvenem modeſtum atque eruditum; cujus operâ, καλλιγραφίας & genuinæ enunciatio-

 nis

nis Arabicæ causâ, aliquando ſe uſum fuiſſe, Ipſe *tract. de Venâ Medin. cap. 12. pag. 327.* indicat.

Alios porrò ex diverſis Germaniæ, aliiſq; locis oriundos, & nomine & ſcriptis celebratiſſimos Viros, Amicos & Fautores habuit, è quibus primo loco producendus venit Senex venerandus, Argentinenſium olim Archiater & Profeſſor nobiliſſimus, *Melchior Sebizius*, cujus inexhauſtam eruditionem & benevolentiam maximi ſemper æſtimaverat & gratâ recordatione excoluerat. Nec minori adfectu Filius, paternæ famæ æmulus, *D. D. Jo. Albertus Sebizius*, Medic. Profeſſor excellentiſſimus, una cum experientiſſimo *D. D. Rudolpho Salzmanno*, WELSCHIUM proſecutus, humaniſſimum erga Ipſum ſæpius ſeſe exhibuit.

Maximæ quoque laudis Medici, *Danielis Sennerti*, Filium inſignem *D. D. Michaëlem Sennertum*, in Wittebergenſi Academia Profeſſorem, huc refero; quem unà cum Nobiliſſimo Medico, *Adamo Henningo*, Sileſio, Itineris Romani comitem ſe habuiſſe, in *Epiſagmatib.* indicat.

Pariter Exc. *D. D. Joh. Jac. Wepferum*, Poliatrum Scaphuſanum & Anatomicum ſcientiſſimum, ob amicitiæ fidem & jucundiſſimam in literarum ſtudiis converſationem, comendat. *Henricum à Moinichen*, Regiæ Majeſt. Daniæ Archiatrum, ſingulari Anatomes dexteritate, artiſq; medicæ peritiâ præſtantiſſimum; Virum item experientiſſimum *D. D. Schillingium*, Archiatrum Onolsbacenſem; nec non miræ humanitatis & rarioris eruditionis Virum, *Matthiam Bacconum*, Anglum, qui Eminentiſſimo Cardinali *Capponio* à valetudine erat, in *dictis Epiſagmatib.* Amicos ſuos adpellat; Excell. verò D. *Joh. Paterſonium Hain*, Phyſicum Eperienſem dexterrimum, in *1. Hecatoſt. obſerv. phyſ. med. 36.* producit.

Nominari etiam in Amicorum Ordine merentur, tum *D. Chriſtianus Utenbogard*, Medicus Ultrajectinus eruditiſſimus,

mus, Botanices peritiâ inſtructiſſimus; quem A. M. DC. LXIX. Patavij, cùm itineris Neapolitani gratiâ, quod jam olim fruſtra meditatus fuerat, in Italiam, quamvis fortunâ denuo adverſante, rediiſſet, contubernio noſtrarum ædium & convictu electo, mihi quoq; amicum reddidi; tum *D. Otto Heurnius, Jo. Filius*, & Lugduni Batav. Profeſſor clariſſimus.

Inter Patriæ Medicos fautorem imprimis magnum & amicum expertus fuit *D. D. Heniſium*, Phyſicum, cùm viveret, in hac Civitate, Com. Pal. Cæſar. & D. Marci Equit. famigeratiſſimum, quem in *not. ad obſerv. Marc. Cum.* laudat; nec non *Jo Udalricum Widholzium*, Med. Doct. & Phyſicum Kauffbayrenſem, poſtea in Patria Practicum politiſſimum; utrumque jamdudum Vivis exemtum; prout & præclarum hujus Genitorem, *D. D. Danielem Widholzium*, Collegij noſtri Medici Seniorem, Vicarium & Officinarum pharmaceuticarum Viſitatorem perpetuum, annis & medicâ experientiâ ſpectatiſſimum. Nec ſilere debeo Exc. *D. D. Jo. Ludov. Heniſium*, Reipubl. hujus Phyſicum, & Collegij noſtri hoc anno Decanum ampliſſimum. Liceat etiam inter Amicos, non tam adfinitatis jure, quàm æqualitate ſtudij medici electum, nominare *D. D. Lucam Schröckium*, Phyſicum itidem in Patria optimè meritum, Parentem meum æternùm mihi venerandum. Amicum quoque præ aliis fuiſſe Excell. *D. D. Euſtachium Muzerhardtum*, Phyſici pariter munere hîc inſignitum, vel ex eo conſtare volo, quòd conſilio Ejus, in perpeſſis infirmitatibus, WELSCHIO, Suisq; nonnunquam uti libuerit.

Alios inter, quos Patria oſtendit, Viros doctiſſimos, hîc producendos habeo plur. Reverend. atque Clariſſimos, *Dn. M. Philippum Henricum Weberum*, & *Dn. Georg. Philipp. Riſium*, atque imprimis multâ eruditione & Scriptis limatiſſimis, luci publicæ expoſitis, Clariſſimum *Dn. M. Theophilum Spizelium*; cujus quanti fecerit amicitiam, Ipſe viciſſim magni

 æſti-

æſtimatus, vel ex ſolis Epiſtolis illis mutuis, *libro de vena medinenſi* adjunctis, ſatis ſuperq; conſtare poteſt. Amicitiam tandem coluit cum præcellentibus atque Doctiſſimis Viris, *Dn. M. Johanne Crophio*, P. L. C. Collegij A. C. Ephoro benè merito, Præceptore olim meo chariſſimo; *Dn. M. Georg. Frider. Magno*, Gymnaſij ad D. Annam Rectore ac Reipl. Auguſt. Bibliothecario, & hujus Collega; *Dn. M. Narciſſo Raunero*, P. L. C. Quorum amico è pectore expreſſas à NESTORIS obitu lachrymas in fine ſum adducturus. Plures alios diverſis in Facultatibus, Patriæ Noſtræ ſplendori & commodo natos Viros præſtantiſſimos, ſilentio prætereo.

CAPUT VII.

Converſatio epiſtolica.

Cùm Amicorum WELSCHII Catalogus nondum ad finem perductus ſit, hoc jam Capite eundem ex Literario, cum diverſis, quos partim & ipſe ut Patronos Amicosvé veneror, inſtituto commercio, ordine obſervato alphabetico, conſtitui abſolvere.

Primus ſit *Dn. Johann. Andr. Boſius*, Hiſtoriarum quondam in Academia Jenenſi Profeſſor politiſſimus.

Dn *Jo. Nicol. Cavana*, Patricius Genuenſis illuſtriſſimus.

D. D. Jacobus Barnerus, Phyſicus Elbingenſis, Collegij Medici Auguſt. Adſeſſor, maximi ingenij dotibus, & ſcientiâ Medicâ planè inſignis.

Clariſs. *D. D. Chriſtianus Barthius*, Numburgenſis, ſed quem ſtudiis inſudantem dulciſſimus Antenoris complexus adhuc detinet.

D. D. Jo. Sigiſmund. Elsholzius, Sereniſſimi Electoris Brandeburgici Archiater nobiliſſimus, Academicus Curioſus; à quo

à quo nuper demum Epiſtola ad Noſtrum exarata huc adpulit; quæ cùm in laudem Ejus quàm maximè vergat, cum bona Excell. Dn. Autoris venia, eandem hîc integram exhibere volui:

Prænobilis, Ampliſſime atque Experientiſſime Domine.

Quos haud ita pridem ad me, Adm. Rever. Dn. Andr. Mülleri amici opera communis, deſtinaveras libros, recte non tantum, ſed cum debita inſuper gratiarum actione accepi. Profecto quotiescunque edita hactenus à TE Scripta evolvo, toties vaſtum eruditionis tuæ pelagus ſtupeo: nec falli mihi videor, ſi TE in orbe Europæ literario inter Dictatores numerem. Fulgeant in Septentrione Thomas Bartholinus, & Olaus Borrichius: Germaniæ tamen propterea, poſt Reineſium, non deſunt Conringij, atque Velſchij coruſca ſidera. Italis utique & Hiſpanis, Gallis itidem atque Anglis injurius eſſe nollem: inter ipſos tamen, qui paria his faciant nunc, in omni pene dixerim linguarum, ſcientiarumq; genere, non novi. Calcar vobis adderem incaſſum, qui æternitati nomina dudum veſtra jam intuliſtis: vitæ duntaxat ſtamina vobis precor longæva, & imprimis Tibi, Excellentiſſime Domine, quo prodeſſe multis adhuc poſſit indefeſſum ſtudium tuum, & ingenij rara felicitas. Voveo

Celeberrimi Nominis Tui

obſervantiſſ. cultor

Berolini d. xx. Novemb. 1677.

I. S. Elsholz.

Excellentiſſ. *Dn. Joh. Matthæus Faber*, Auguſtan. Medic. Doctor, Sereniſſimo Principi Friderico, Württenbergiæ Duci &c. à Conſiliis Medicis, Phyſicus Heilbronnenſis, Amicus & à teneris unguiculis WELSCHIO in ſtudiis quondam ſocius.

Magnificus *D. D. Jo. Michaël Fehr*, Conſul & Phyſicus Suinfurtenſis, S. R. I. Acad. Nat. Cur. PRÆSES,

Illuſtr. *Dn. Octav. Ferrarius*, Uterque ſupra jam laudatus, nunquam tamen ſatis pro dignitate laudandus.

D. D.

D. D. Martinus Fogelius, Medicus Hamburgenſis, & Gymnaſij ibidem Prof. Publ. maximo cum Aſclepiadéi Chori luctu, nuper Ipſi ereptus.

Dn. M. Johann. Friſchmuthius, Philoſophus præcellentiſſimus, & Linguar. Sacrar. in alma Salana publicus Doctor, Magnus eruditionis Welſchianæ admirator.

Dn. Lic. Chriſtoph. Frideric. Garmannus, Poliater Chemnicenſis in Miſnia, & diverſarum in Diſtrictu illo Præfecturarum Medicus, Academicus Cur. ingenioſiſſimus.

Dnn. Johannes, & *Petrus Garzonij*, Nobiles Veneti illuſtriſſimi.

Dn. Hartmannus Grammannus, Med. Doct. & Archiater Suerinenſis, ſummum eruditorum amorem promeritus.

Dn. Jacob Gronovius, Jo. Friderici Filius, Eloquentiæ & Hiſtoriarum Profeſſor Daventriæ cultiſſimus.

Dn Jo. Ludovic. Hannemannus, Med. Doctor, & jam in inclyta Kilienſi Univerſitate Phyſices Profeſſor excellentiſſimus, Academicus Cur.

D. D. Jo Ludov. Jobſtius, Archiatrus Sereniſs. Principis, Archiepiſcopi Saliſburgenſis, ac metallorum Præfectus digniſſimus.

Maximè Reverendus *Dn P. Athanaſius Kircherus*, &

Dn Georg. Caſp. Kirchmajerus, Profeſſor Wittemb., in antecedd. commendati.

Dn. Michaël Kirſtenius, Hamburgenſis, Med. Doct. multijugâ Scientiarum laude percelebris.

Illuſtr. *Dn. Petrus Lambecius*, S. C. M. Conſiliarius, Hiſtoriographus & Bibliothecarius ampliſſimus; cujus favorem in Se ubertim derivatum grato animo venerari nunquam deſtitit; quem ante quadriennium cumprimis propenſum admodum expertus fuit, cùm elegans de *Vena Medinenſi* opus, Auguſtiſſimæ Imperatrici, CLAUDIÆ FELICI,

humil-

humillimè dedicatum, Sacr. Cæſar. MAJESTATI, non ſine inſigni Welſchianæ Virtutis commendatione, ſinceræ id amicitiæ officium ratus, offerre non renuiſſet.

Dn. Antonius Magliabechius, M. D. Hetruriæ Bibliothecarius, infinitis in Rempubl. literariam meritis planè incomparabilis, & ſeculo noſtro major, æternâ amoris veneratione Eruditis omnibus proſequendus, quo ipſum elogio NOSTER in *Comment. ſuo in Ruzname Naurus* condecoratum ex merito voluit.

Illuſtr. *D. D. Johann. Jacob. de Maphæis*, Protomedicus nuper Electoralis Bavaricus exercitatiſſimus.

D. D. Joh. Daniel Major,

D. D. Henricus Meibomius, &

D. D. Georg. Abrah. Merclinus, ſupra notati, quovis encomio digniſſimi.

D. Andreas Müllerus, Præpoſitus Berolinenſis, ob profundam eruditionem, & in ſpecie Sinicam Literaturam, Orbi notiſſimus.

Dn. Carolus Offredus, Helvetus, Medicus Patavinus perinduſtrius; in quo ſingulari cum eruditione, ſumma decertat humanitas; communis quaſi Germanorum &c. ad celebre illud Patavinarum Muſarum Domicilium accedentium, Pater & Conſiliarius, Profeſſorum etiam, imò Maximorum, Minimorum omnium Amicus & Patronus æſtimatiſſimus. Cujus ex NOSTRI obitu dolorem Literæ ejus, *13. d. Januar. hujus Anni* mihi ſcriptæ, his verbis indicarunt: *Triſtis ille nuncius, quem ferebant poſtremæ tuæ literæ, de gravi morbo clariſſimi Welſchij, cum imminenti diſcrimine, eodem ferè temporis momento perculit aures noſtras, quo alter de ejuſdem τȣ̃ μακαρίτȣ fatali, & nunquam non lugendo obitu, quo literis, & Arti noſtræ luculentum detrimentum, vix reparandum acceſſit, tonitru velut dixerim, quod illico excipit fulmen, horrendum Jovis telum, non cu-*

ſum in Vulcani officina, ſed in illius irati corde; me certè gravis jactura adeo affecit & confecit mœrore, & triſtitia, ut ſolatio tibi, & ejus conjunctiſſimis omnino imparem me fatear, utpote qui eodem æquè opus habeam, qui defunctum ſemper inter amicorum potiſſimos colui, ejusq; ſummam eruditionem jugiter ſuſpexi. Torrenti tamen illi rerum humanarum obtendere manus, fruſtra erit, qui in pelagus æternitatis miſeros mortales rapit, quin potius illum veluti Numen in Mnemoſynes Templo veneramur, & ejus Manibus thura ſinceri amoris, dum in humanis erimus, damus &c.

Nobil. *D. D. Chriſtian. Franciſc. Paullinus*, Poliater Corbejenſis, Com. Pal. Cæſar., Reverendiſſimi ac Celſiſs. Principis & Epiſcopi Monaſterienſis Archiater, Academ. Curioſ.

D. D. Carolus Patinus, Magni *Guidonis Filius*, quem in Profeſſorum Choro Patavium jam fovet ac veneratur.

Clariſſimus *Dn. Chriſtianus Ravius*, Berolin. Profeſſor LL. Orientalium Francofurti ad Oderam maximè conſpicuus, in citato libro: *Ruzname Naurus*, commendatus.

D. Franciſcus Redus, Med. Doct. Nobilis Aretinus, & Societatis della Cruſca Academicus, famâ ſuper æthera notus.

D. Johannes Rhodius, Danus, &

D. D. Guernerus Rolfincius, in præcedd. jam memorati.

D. Philippus Jacobus Sachſius, Med. Doct. & Phyſicus olim Uratislavienſis; cujus exquiſitiſſimam peritiam, & ſummum in Arte Medica ac Naturali Scientia exornanda ardorem nulla ætas ſilebit, Phosphori autem hujus ſui lucidiſſimi prematurum occaſum Academia Veſtra, Domini Collegæ honoratiſſimi, æternùm deplorabit.

Dn. Joh. Theodor. Schenckius, Med. Doct. & Profeſſor olim Jenenſis verè doctiſſimus.

Excellentiſſimus *D. D. Albertus Sebizius*, Medicus & Profeſſor Argentinenſis, cum

D. D.

D. D. Michaële Sennerto ſuperiùs adductus.

Dn. David Spilenbergerus, Philoſ. & Med. Doctor, Poliater & Dicaſta Laſcovienſis, grande Collegij Curioſi ornamentum.

D. D. Franciſcus de le Boë Sylvius, Oraculum illud Belgicum decantatiſſimum.

D. D. Franciſcus Ignatius Thiermairius, Conſiliarius & Medicus Sereniſſimi Electoris Bavariæ &c, Vir doctrinâ & Artis exercitio abſolutiſſimus.

Dn. Johannes Tilemannus, Medic. Doctor, & Chimiater olim non inglorius.

Dn. Jo. Georg. Volckamerus, Phil. & Med. Doct. famigeratiſſimus, Inclytæ Reipubl. Norimbergenſis Phyſicus, & Collegij Medici ibidem Senior, nunquam mihi ſine ſumma veneratione nominandus.

Nobil. *D. D. Henricus Vollgnadius*, Practicus Uratislavienſis, Academicus Curioſus, cum Excellentiſſimis Collegis ſuis, *D. D. Johanne Jæniſio*; & *D. D. Gothofredo Schulzio*; qui vel ob ſolam in Ephemeridum Germanicarum collectione ſolertiam, Orbem literatum ſibi æternùm devinciunt, multis etiam aliis præconiis efferendi.

D. Sertorius Urſatus, D. Marci Eques, in antecedd. laudatus.

D. D. Georgius Wolffgangus Wedelius, Medicus Ducalis Saxonicus, ingens Medicinæ Decus & in Academia Salana Profeſſor Publicus, ad ſummum celebritatis faſtigium adſurgens Academicus Curioſus; Cui, beatiſſimis Manibus Welſchianis Leſſum hunc mœrente animo effundere, libuit:

Ereptum Medicina dolet, quem ſidere fauſto
  clarantem vidit pulpita docta Virûm.

Hic Arabem Solem Germano lumine ditans
Neſtoreos annos vivere dignus erat.
Hic quicquid natura ſuis abſcondidit antris,
complexus clarâ luce videnda dedit.
Plurima digeſſit, detexit plurima, & ipſe
divino ingenio repperit inde nova.
O! utinam plures Divina faventia nobis
concedat ſtudiis, arte fideque pares!
Heroas Pylios puto. Sed celeberrima VELSCHI
immarceſcibili fama vigore nitet.
Ipſe ſibi exegit monumenta perennia; noſtrum eſt,
perpetuò memori mente tenere Virum.

D. Chriſtophorus Weickmannus, Liberæ Reipubl. Ulmenſis Senatus Secretioris V$^{vir.}$ & judicij Auguſtalis Præſes &c. ampliſſimus, Pinacothecæ, rariſſimis artis & naturæ cimeliis ornatiſſimæ Poſſeſſor. Cui ſuum *in Ruzname Naurus Commentarium* NOSTER ſacrum eſſe voluit.

Dn. Johann. Melchior Welſchius, Med. Doct. & Poliater Nordlingeſis excellentiſſimus.

Dnn. Doctores, Johannes, & Johann. Jacob. Wepferi, Medici in Helvetia celebratiſſimi.

Cæterùm cum plurimis Viris Clariſſimis aliis Amicitiam ore vel calamo coluiſſe WELSCHIUM, nullus dubito, partim etiam ſuſpicor; quos tamen dum nominare intermitto, ne ſpeciatim illos adducendo, incerti quid proferam, facilè ab Ipſis, ſpero, veniam impetrabo, vel ſaltem officiosè jam hiſce deprecor.

CAPUT VIII.

Scripta edita.

NEſtoris Homerici encomia ſpeciatim decantare ſi vellem, Sapientiæ, Fortitudinis, & Facundiæ ejus primus foret locus tribuendus. Hinc apud *Ovidium lib. 12. metamorph.* ab *Achille* Senex facundus, & ævi illius prudentia nominari meruit. Magnam quoque dicendi peritiam *Ajax*, arma Achillea ſibi depoſcens, ſic contra *Ulyſſem*, *ibid. lib. 13.* extollere videtur:

Qui licet eloquio fidum quoq; Neſtora vincat,

haud tamen efficiet, deſertum ut Neſtora crimen

eſſe rear nullum.

Ipſi etiam *Homero* ſuaviloquus & argutus Pyliorum Orator *Iliad. 1.* dicitur; *Cujus lingua melle dulcior fluebat ſermo.* Quam Pilij Senis eloquentiam ſibi ad merita Tua, Magnifice Dn. PRÆSES, concelebranda nuper NESTOR Tuus exoptaverat.

Tanti porrò Herois fortitudo ex multis, quibus interfuit, pugnis ſufficienter eluceſcit.

Sapientiæ autem præclarum teſtimonium, in Cap. V. jam productum, Rex *Agamemnon* exhibuit. Optimè hæc in WELSCHIUM quadrare, ut dubitem, nullam video cauſam; adeo ut fortiſſimum, eloquentiſſimum, & ſapientiſſimum vocare Ipſum, ſuſtineam. Victor enim non unâ vice, diverſis proſtratis hoſtibus, receſſit. Quot namq; morborum, crudelium in Vitam humanam hoſtium, inſultus atroces inhibuit & fugavit? Quas non errorum turmas erudito calamo ſuo proſtravit? Quæ non fortisſima tela in Medicinæ & Philologiæ caſtris militantibus ſuggeſſit? Idq; incredibili ſemper cum animi

conſtantia, & vix imitando labore peregit; ut ideò rectisſimè illud *Diomedis*, Grajorum *Neſtori* dictum elogium, ex *Iliad. 10.* adaptare Ipſi liceat:

> *Tu quidem à labore nunquam ceſſas,*
> *tu ſanè indefeſſus es ſenex.*

Facundiam Latinam emiſſa in publicum Scripta, ſtylo utpote congruo & ornatè elaborata, ſatis ſuperque loquuntur. Aliarum etiam Linguarum quàm ſtudioſus fuerit, nemini, cui Welſchianum nomen innotuit, ignotum eſſe poteſt. Etenim præter Vernaculæ nitorem, Græcam quoque, Medico ſtudio non tantùm in oblectamentum, ſed & penitiorem ad Sacra hæc admisſionem, adprimè utilem, exactiùs addidicit. Orientalium non minùs, ſepoſitis tantiſper gravioribus ſtudiis, haud mediocrem cognitionem ſibi comparavit, interq; illas Arabicæ multum temporis, quò in adyta ejus penetraret, impendit, naturali quodam impulſu, non ſine laudis & utilitatis emerſuræ ſpe amplisſima, adactus; in qua tantos fecit progreſſus, ut non tantùm elegantisſimè Arabicè, teſtante id, præter multa alia, integro Alcorani Volumine, nitidisſimè ab Eo deſcripto, pingere, ſed expeditè quoque eandem legere & intelligere valuerit. Carere autem Medicum haud poſſe Arabicæ linguæ notitiâ, ob nonnullos ex Gente iſta olim ortos Scriptores Medicos, quorundam fert opinio; id quod nemo, ſi de diffuſiori præcipuè ſtudio & ſpeculativa ſcientia medica ſermo fiat, facilè inficias ibit; modò ad Sacra iſta Manuductores, Tempus, Sumtus, & Librorum maximè neceſſaria ſuppellex, de quibus Fortuna & Parentum liberalitas NOSTRO abundè proſpexerat, ſæpe ſæpius multis non deeſſent.

Credidit ſiquidem NOSTER, cum aliis Viris doctisſimis, Librorum Arabicorum Latinas, quæ vulgò proſtant, verſiones, præter Interpretum barbariem, multis etiam graviori-

bus

bus ſcatere erroribus; quas ſcilicet ejuſmodi eſſe, Clar. *Thom. Erpenius, orat. 2. de Ling. Arab.* perorat, ut Autores earum ipſis Scriptoribus meritiſſimò dici poſſint ſummam feciſſe injuriam. Hos ergo devitare errores cupidus, Arabes in propria eorum lingua legere ut valeret, omni ſtudio contendere voluit; idq; eò magis, quò certior fuit, plurimos in vario ſcientiæ genere, & præcipuè in arte medica præclaros exſtare apud ipſos, tum nativâ linguæ elegantiâ, tum materiæ, quam tractant, utilitate commendabiles libros. Obſervabat, multa Græcis Medicis, præſertim in ſimplicium medicamentorum cenſu, ut de compoſitis taceam, indicta & incognita, ab Arabum diligentia in lucem producta fuiſſe, quorum certior notitia non niſi ex ipſo fonte peti poſſet ac deberet. Non huc à me trahentur *Ibn Raſched,* notiori nomine *Averrhoës*, adpellatus, *Rhaſes, Serapio, Alzaravius, Abenzoar, Meſue,* alij; ſat dixero, ſi ſolum *Abuali,* ſive, ut communiori vocabulo utar, *Avicennam* nominavero; cujus inſignem laudem, atque inter alios principatum non unus Scriptorum decantavit. Præ cæteris itaque amore hujus mirè captus WELSCHIUS, multum temporis ipſi dicare, ac tantum volumen volvere ac revolvere non dubitavit, quò reconditam in eo ſingularem doctrinam, quam maximi fecit, in ſuum & publicum commodum eruere poſſet; imò ſi vel illius ſolius in gratiam, tot bonas horas addiſcendæ Arabum linguæ impendiſſet, nunquam tamen pœnitere Eum laboris potuiſſet. Quàm egregiè verò ad ſcopum hunc ſuum pervenerit, vel unicus de *Vena Medinenſi* tractatus docere potis eſt. Penitiſſimam ſanè Ipſum eſſe adeptum linguæ hujus cognitionem, *Rolfincius tr. de dol. capit.* teſtatur, multiq; alij Sacrorum iſtorum periti fatentur.

Nec tamen ſatiari his ſatis potuit WELSCHII Genius in Philologiam propenſiſſimus. Unde Turcicæ, Perſicæ, Armenicæ, Ægyptiacæ, Sinenſis, & Ibericæ Linguæ notitiam quan-

quandam pariter Sibi adquirendam non infeliciter duxit. Italicam etiam expeditè loqui didicit; non minùs Hiſpanicâ, Gallicaq; inſtrui ſe paſſus. Anglicam præterea, Belgicam, Danicam, Hungaricam, Polonicam intelligere, proprio ingenio & ſedulitate pro viribus laboravit; ut adeo aptiſſimè à Clar. *Meibomio* in *Epiſt. de Medicor. hiſtor. ſcrib.* πολυγλωττότατος dictus fuerit. Sapientiâ tandem carere nec potuit, nec caruit. Neminem namque Medicorum fugere debet, quàm neceſſaria ſit cuivis medendi Artem profitenti Sapientia. Unde Medicina vulgò Sapientiæ Soror adpellari promeruit. Et Divinus noſter *Hippocrates lib. de elegant.* hæc ſcribere voluit: *Oportet adjungere ſapientiam ad medicinam, & medicinam ad ſapientiam. Medicus enim Philoſophus par DEO. Haud magna enim differentia inter utramq;. Nam & inſunt medicinæ omnia, quæ ad ſapientiam* &c. Quæ conſiderans Clar. *Jo. Anton. Lindanus* ſic commentatur: *eſſe Medicus nemo, etiam ſciens artem, poteſt, niſi idem ſapiens.* Quouſque verò Sapientia hæc medica extendenda ſit, non eſt hujus loci, aut neceſſe, operoſiùs deducere. Singularem tamen eam in WELSCHIO extitiſſe, Acta Ipſius, & Scripta Medica planè ſingularia hîc illîc comprobant.

Tantarum autem Virtutum teſtes omni exceptione majores dum Libros ab Eo elaboratos convocare libuit, eoſdem gratæ memoriæ ergo, abſque ulterioribus ambagibus, recenſere jam fert animus. Voluit ſiquidem non tantùm doctus eſſe, ſed & videri; tam propenſam ad ſcribendum, eoq; ipſo ad Rei literariæ commoda promovenda nactus naturam, ut multorum jam Librorum factus genitor, non pauciores inſuper animo conceperit, aliquot etiam partui typisvé proximos, nonnullos prima jam ſtamina & formationem adeptos reliquerit, in Muſeo ſuo reconditos, & ex parte olim, ubi ab hæredibus impetrare eos dabitur, in lucem fortè excludendos. Sed de omnibus ordine aliquid dicendum jam erit.

Illos

Illos inter, qui LUCEM VIDERUNT, primogenitus quaſi eſt egregia illa Medico-Philoſophica de Ægagropilis Diſſertatio, Anno M. DC LX. hîc in Patria typis deſcripta, & octavo poſt recuſa, aliâque inſuper Diſſertatione, eandem materiam tractante, adaucta. In quibus, præter ſingularia alia, abſtruſam olim ſaluberrimarum Pilarum, ex ventriculis Rupicaprarum extractarum naturam, nomen ſcilicet, generationem, electionem, virtutes, & uſum convenientem, eruditiſſimè, nec minori cum adplauſu, propoſuit.

Hunc Anno M. DC. LXVII. excepit Sylloge curationum & obſervationum medicinalium; in qua earum Centuriæ VI. deſcribuntur, ex *Marcelli Cumani*, Medici Itali exercitatiſſimi; *Hieronymi Reusneri*, Leorini Sileſij, Poliatri Nordlingenſis non incelebris; & trium illorum Medicorum noſtratium Clariſſimorum, videlicet *Jeremiæ Martij*, *Achillis Gaſſeri*, & *Jo. Udalrici Rumleri*, Manuſcriptis deſumtæ, notiſq; de multa lectione teſtantibus, à NOSTRO illuſtratæ, Centuriâ etiam ſeptimâ Obſervationum medicarum, ex variis collectarum, docteq; propoſitarum, quas *Epiſagmatum* nomine inſcribere Ipſi placuit, adauctæ; cæterùm rara nonnulla, plurima verò utilia continentes. Nec ſilentio præterire Operis hujus præfationem debeo; quia non ſolùm de laudabili ſuo *Theſaurum Medicum* ſcribendi propoſito in ea tractat, ſed & Syllabum obſervationum, curationum, epiſtolarum, & conſultationum medicinalium non editarum, partim tamen promiſſarum, recenſendo, ad utiliſſimam illarum publicationem Poſſeſſores exhortatur.

Anno M. DC. LXXIII. prodiit Exercitatio de Vena Medinenſi ad mentem *Ebn Sinæ*, ſive de *Dracunculis Veterum*, ſpecimen exhibens novæ verſionis dicti Autoris ex

Ara-

Arabico, cum ulteriori commentario. In quo, præter ſingularis in Orientali literatura cognitionis, judicij ſublimis, infinitæ lectionis, & Medicæ ſcientiæ laudem, Polyhiſtoris & neſcio quod non epitheton jure meritoq; ſibi adpropriavit. Cæterùm tam dextrè naturam Adfectus illius, antea non ſatis à quoquam expenſam aut dilucidatam, deſcripſit, ut parum addi ampliùs poſſe videatur.

Huic alteram adjecit Exercitationem de Vermibus capillaribus ſive dorſalibus infantum, pari cum dexteritate expolitam.

Legi etiam in fine meretur doctiſſima ſupra laudati Dn. Theophili Spizelij Epiſtola, de ſerpentibus ignitis, populo Iſraëlitico refractario in Arabiæ Deſertis à DEO in pœnam immiſſis; quos non tam à cauſa, quàm ab ipſo effectu ignitos fuiſſe adpellatos, inſigni probabilitate demonſtrat.

Anno M. DC. LXXV. Hecatoſteas II. Obſervationum Phyſico-Medicarum Illuſtri Societati Veſtræ nuncupavit. In prima quidem Centuria obſervationes phyſicas, ſive quæ ad Naturæ illuſtrationem præcipuè faciunt; in altera autem, ad uſum & prudentiam medicam exaugendam quæ conferre queunt, & pleræq; Ipſius propriæ ſunt, reliquis tamen, ab aliis licet mutuatis, à ſe tamen quoque obſervatis, propoſuit. In omnibus autem verè Curioſum probare ſeſe voluit.

Paulò poſt, circa Anni ſequentis principium, Comentarium in Ruzname Naurus, ſive Tabulas æquinoctiales novi Perſarum & Turcarum anni legendas publicè exhibuit.

Eodem inſuper anno duos adhuc alios excellentis ingenij fœtus ab Ipſo impetravimus: Somnium videlicet Vindicia-

diciani; nec non Chiliades duas Curationum exotericarum, cum Centuriis quatuor Conſiliorum medicinalium. Et haſce quidem magna ex parte à Medicis, ſub Dominio Veneto olim Clariſſimis profectas, Eidem Sereniſſimæ Reipublicæ, felici cum ſucceſſu, impetrato ſcilicet honorifico, ſupra *pag. 23.* producto, Virtutis Teſtimonio, & inſigni dono nummario, inſcripſit, notiſq; ſuis eruditis expolivit. In illo autem Deſiderata Medicinæ exhibet; quam narrationem, ut verbis Ejus, ex Epiſtola de Scriptis ſuis, paulò poſt prolixiùs nominandâ, utar, fabulari ſtylo, quem mixtum rectiùs ſe dicere monuit, nec ideo Mileſio, nec Satyrico conſcribere voluit, ut ingenio ſuo obſecundaret, & ſeriis jucunda inſpergeret, aut certè blandiora ſeriò tractaret, atque hac quoque in parte ſi poſſet, Reipublicæ Medicæ prodeſſet, ſive præclara Ingenia ad capeſſendas provincias illas incitaret, quas vacuas enumeravit.

Anno proximè elapſo, cum *Johannis Veslingij Syntagma Anatomicum, Excell. D. D. Gerardi Leon. Blaſij commentario* auctum, Typographus & Bibliopola Patavinus præſtantiſſimus, *Dn. Petrus Maria Frambottus*, recudere in ſe ſuſcepiſſet, & ex Illuſtr. *Magliabechio*, NOSTRUM aliquid habere intellexiſſet, quod adjungi poſſet, me parario, facilè illud impetravit; Anatomen nempe *ab Incomparabili Veslingio in Gravida privatim A. M. DC. XLVI. celebratam*; unà cum notabilioribus nonnullis in Sceleto, à Cl. *Leoniceno*, alio tempore demonſtratis, & Tabulâ anatomicâ de fœtu; cujus *Figura quarta* ſceleton humani fœtus exhibet; qua de cùm anni præfati 18. d. Junij WELSCHIUS monere quid, neceſſe duxerit, hac occaſione non poſſum non idem hîc ex epiſtolio ad me ſcripto producere: *Chalcographus nimis properans in ſceletûs*

 fœtus

fœtus humani effigie apud Frambottum, non ſatis benè alterum crus expreſſit. Nam quia ipſum filis ferreis, quæ eximi & reponi poſſunt, compactum ipſi conceſſeram, depingendum, ipſe inverſo ordine admovit, ita ut quod in ſiniſtro debet eſſe crure, trochanteris caput, ipſe in dextrum repoſuit: quod ipſe facilè agnoſces. Si ſic res ferat, aut quispiam fortaſſe id reprehenderit, ne pigeat, quæſo, per occaſionem excuſare.

Hîc recenſeri etiam meretur Epiſtola, quam eodem Anno Strychnomaniæ, ab Excell. D. D. Joh. Matth. Fabro, erudito calamo curiosè depictæ, ſubjunxit, & de Solanis egregia quædam in ea protulit.

Ultimò prælum ſubierunt Epiſtolæ mutuæ Argonautæ ad Neſtorem, & Neſtoris ad Argonautam, promiſſi olim *Theſauri Experientiæ Medicæ* (cujus ſimul ſpecimen de Abortu ſubjecit,) causâ, typis publicatæ; quem nimirum, ſi Ipſe, mortalitatis ſuæ conſcius, ante obitum perficere haud valeret, TIBI, Illuſtr. Dn. PRÆSES, totius Societatis Curioſæ nomine, dicare, eoq; ipſo Vos, Collegas honoratiſſimos, laborum ſuorum, non ſine temporis diuturnitate, eruditione, ac judicij practici ſoliditate abſolvendorum, Succeſſores ſive hæredes nominare & ſolenni formulâ inſtituere voluit. Prout quoque materiam pro illo congeſtam, & poſt mortem in peculiari Ciſtula inventam, atque ab Hæredibus, quos ſuos ex Fratre natu majori (cujus ædibus & convictu fruebatur) Nepotes eſſe voluit, per me requiſitam TIBI, laudatiſſime Dn. PRÆSES, nuper transmiſi.

Ad hæcce, publicam lucem jam adepta, præclara Welſchiani ingenij Monumenta referre meritò licebit Curioſas nonnullas Obſervationes; quas Uratislaviam ad Beatum

D. D.

D. D. Sachſium direxerat, Anno I. & III. Miſcellaneorum Curioſorum nunquam ſatis laudandorum dein inſertas, in utroq; denarium numerum complentes.

Et quidem in Anno primo ſequentes leguntur: Prima, quæ ibi numero: CLIma eſt, de Xyloaloë cardioide agit; ubi ſimul de optimo ligno aloës, diverſo à vulgari, quædam conjecturatur.

Obſ. CLII. Lignum Saſſafras in Officinis proſtans, non ipſum lignum, ſed lignoſam tantùm radicem, diverſam à vero ligno, eſſe oſtendit.

Obſ. CLIII. Tabaci japonici aliqualem dat deſcriptionem.

Obſ. CLIV. Mortem etiam ſaxis marmoribuſque, imò gemmis venire, exemplo Jaſpidis carioſi oſtendit.

Obſ. CLV. Rariorem unam alteramq; Margaritarum figuram adducit; à qua Ipſi Margaritæ Onychinæ, & Margaritomantiæ vocantur.

Obſ. CLVI. de variis à natura in Achate depictis figuris agit, ſuumque, Lunæ corniculatæ effigiem lacteo ſemicirculo repræſentantem, adverſâ autem parte Veneris phaſes, quales in Magni *Athanaſ. Kircheri Itinerario Ecſtatito* &c. depinguntur, referentem commendat, atque ob Lunæ picturam Seleniten; ob Veneris autem, Aphrodiſium adpellat. Qua etiam occaſione de *Pyrrhi* Achate, novem Muſis cum Apolline inſignito, alijſq; à Natura pictis Marmoribus tractat.

Obſ. CLVII. Lapides Tirolenſes duplicis generis, quos ad Gagaten referendos exiſtimat, deſcribit, partim ob vertebrarum dorſalium ſimilitudinem: Spondylolithos; partim ob phaſeolorum figuram: Dolicholithos vocat.

Obſ. CLVIII. Adoleſcentem cæmentariis operis adſcriptum, & perpetuâ tuſſi, qua nonnunquam calculoſam congeriem ejecit, quam calcem concretam ſuſpicatur, excruciatum producit.

Obſ. CLIX. Tres nondum deſcriptos Fructus Americanos proponit, cælatum, cardioidem, & triaſterem radiatum ab Ipſo adpellatos.

Obſ. CLX. Muris alpini anatomen tradit.

In Anno autem Tertio Ephemeridum Curioſarum hæ obſervationes occurrunt, ſeqq. numeris ibidem notatæ:

Obſ. XXIX. de Pila cervicapræ Orientalis, ſive Ægagrelapho Indico.

Obſ. XXX. Lapidem nephriticum album rariorem eſſe, & flavum unà efficaciorem, præ vulgatiori illo vireſcente, pronunciat. Chemicè quoque reſolutum, in obſtructionibus variis cum emolumento adhiberi, innuit.

Obſ. XXXI. Locum Athenæi exponit de hortis in Navi Hieronis Regis Syracuſani; ut &, quid Veterum Horti Adonidis, Penſilesq; fuerint, edocet; ac denique collectæ ex Opuntia Pliniana Lachrymæ mentionem facit.

Obſ. XXXII. Naturæ artificium & luſum in Lapidibus prægnantibus, Gemmis in Gemmis, & Ovis in ovis curioſè admiratur.

Obſ. XXXIII. de Myrobalanorum Speciebus loquitur, & imprimis Quartam *Ebn Sinæ*, ſive Sextam *Bontij* depictam inſerit.

Obſ.

Obſ. XXXIV. Fungillum Mithridaticum omnium minimum, Scordio Pontico adnatum exhibet.

Obſ. XXXV. Judicium ſuum de prodigioſis vulgò jactatis inedjiis profert, eaſq; omnes fictas fuiſſe, concludit; ac in ſpecie puellæ cujuſdam Auguſtanæ ante ſesquiſeculum ementitam abſtinentiam recenſet.

Obſ. XXXVI. Margaritiferum eſſe omne Concharum & Oſtreorum genus, poſtquam adſeruiſſet, Margaritas Vindelicas ſive Auguſtanas deſcribit; & ratione nitoris atq; collectionis Perlarum, aliquid de earum viribus ſubjungit.

Obſ. XXXVII. Struthiones Metalla devorata diſſolventes, & ſpeciatim pulverem metallicum nigrum ex ventriculo Struthionis exemtum memorat.

Obſ. XXXVIII. de Nævorum varietate, imprimis de illo, ciceris formâ, in facie M. T. Ciceronis conſpicuo commentatur.

Præter haſce Obſervationes, alias inſuper Inclytæ Societati Veſtræ, Anno Sexto Ephemeridum inſerendas, obtulit; quas integris Centuriis tribus comprehenſas, & Mictomimematum Medicorum nomine inſignitas, ex variis MSStis, adjectis quoque ex ſuis pauciſſimis, collegit, à brevitate, ad *Henrici Smetij* imitationem commendavit, notiſque neceſſariis adauxit. In quibus multa maximè utilia contineri, cuilibet legenti facilè innoteſcet.

Tandem ad Octavum Miſcellaneorum Annum, qui jam Uratislaviæ eleganti typo deſcribitur, & cujus parte jam impreſsâ *Excellentiſſimi Domini Collectores* nuper me donatum gratiosè voluerunt, Symbolum quoque contulit; videlicet in *Obſervatione*, quæ ibi Num. xxxvta eſt, de puncturæ

veſpæ & aranei præſentaneo remedio, ex impoſito uno alteroq; Salviæ nobilis recenti foliolo; &

Obſ. XXXVI. de vigiliis cum ejulatu diuturnis à lumbricorum copia, agens.

Obſ. XXXVII. Diarrhœas pertinaces, per ova ad duritiem cocta & cum aceto roſaceo exhibita, curatas;

Obſ. XXXVIII. Tumorem lienis febriculoſum, malagmate ex Nicotiana ſanatum;

Obſ. XXXIX. Σπάτίλην ſive fluxum alvi, qui à ventriculi fermento per nimium potum obtuſo oritur, ſumto Orvietano ex vino generoſo, ſedatam memorat.

Obſ. XL. de Hyderode adfectu in latitudine ſanitatis;

Obſ. XLI. de lumbrico lato, quinque ulnarum longitudine, à purgante expulſo diſſerit, &

Obſ. XLII. de Vomituritione letali. Ubi ſimul Tartari Emetici Mynſichti infelicem ſemper ſibi contigiſſe uſum, fatetur.

Obſ. XLIII. Herniæ inteſtinalis mentionem facit. Quam Obſervationem, ob rationes ad prælaudatos *Dnn. Collectores* à me perſcriptas, quas tamen, cùm hujus loci haud ſint, jam non produco, omitti rectiùs potuiſſe, judico.

Obſ. XLIV. Fungillos minimos Cithriorrhizæ, ſive circa radices citriæ arbuſculæ propullulantes deſcribit.

Obſ. XLV. Tithymalocamporum Clagenfurtenſium ſive Erucarum in tithymalis repertarum ſolo contactu ardorem & pruritum excitantium meminit.

CAPUT IX.

Scripta inedita.

IN *anteced. Cap.* ubi de WELSCHII *Somnio Vindiciani* ſermonem habui, *Epiſtolæ*, ab Ipſo *de propriis Scriptis* ſuis elaboratæ, mentionem feci; quam Bibliopolis & Typographis S. R. I. offerre, & Anno M. DC. LXXIV. typis committere decreverat, ſed neſcio qua de cauſa, ſententiam poſtea mutaverat, dictamq; Epiſtolam privatos intra parietes ſuppreſſerat. In hac igitur cùm non tantùm Operum à ſe conſcriptorum vel conſcribendorum, tam ad medicæ, quàm aliarum Facultatum cognitionem ſpectantium, Catalogum conſignaverit, ſed eadem etiam ad excudendum liberaliter obtulerit, addendo inſuper, quid ſingula tradant, cauſam item, quæ ad ſcribendum impulerit, mihi neceſſaria magis indè excerpere, & in publicum, numeros ab ipſo Autore obſervatos, verba etiam utplurimum, retinendo, producere libet; tum ut, quid olim fortè ex NOSTRI Laboribus publicè adhuc proferri, vel ſaltem expectari queat, innoteſcat, tum etiam, quò magnos Ejus Conatus, quos optatus utique excepiſſet ſucceſſus, ſi diutius & Annos verè Neſtoreos Ipſi licuiſſet eſſe mortali, admiremini, atque tam præmaturum obitum non fruſtra acerbiùs VOS doluiſſe, ex hac quoq; parte videamini.

Librorum autem iſtorum numerus ſeptuageſimum attingit; è quibus tamen aliqui interea prælum jam fuerunt experti, nempe quos Numerus XXVI. XXVIII. XXX. & XXXVI. habet. Reliqui vel jam abſoluti ſunt, vel majorem adhuc curam requirunt, vel nondum omnino initium viderunt; quidam etiam, cùm Muſeum & Bibliotheca Ejuſdem, poſt mortem, luſtraretur, planè abfuerunt, qui tamen adeſſe debuiſſent. De ſingulis ordine.

I. Bibliotheca Medici eruditi, imperfectis ſuis à WELSCHIO Ipſo adnumerata. Qua occaſione promiſſi ſui recordatur, quod in *præfatione Sylloges obſervationum medicinalium* dederat, de Opere ſcilicet magno Medico, quod elegantiori Philiatro, præcipuè qui tenuioris fortunæ eſſet, nec plurimis libris coëmendis ſufficeret, pro juſta Bibliotheca haberi poſſet, quia neceſſaria omnia contineret. Primus autem hujus Liber dictam Bibliothecam continere debebat; in qua Cl. *Petri à Caſtro* veſtigia in ſua *Bibliotheca Medici eruditi*, ſed longè aliâ ratione proſequi voluit, ſinceriora judicia, & copioſiorem ſuppellectilem propalaturus, uſumq; practicum breviſſimè eâdem operâ oſtenſurus, ut cuivis tamen diverſitatem animadvertere pronum exiſteret.

II. Hiſtoria Medicorum Orientalium & Idéa Chronolog. Medicor. De qua collectanea aliqua in Bibliotheca fuerunt inventa. Quod utrumq; Meletema Viro Clar. *D. Henrico Meibomio* addixerat, ut aut paterni Operis eruditiſſimi adpendicem, aut acceſſiunculam quampiam ſui Commentarij Ipſe excudi curaret, ſi ſic videretur, vel quocunque modo placeret. Nec tamen perfectum hoc Opus credi voluit, cùm fruſtra tot annis Principum & Rerumpublicarum Bibliothecas ſollicitare, Viroſque doctiſſimos LL. Orient. peritiâ præcellentes ad opem ferendam implorare ſe, conqueratur. Quo de tractatu quoque in *Præfat. Syllog. obſerv. medic.* plura jam olim præfatus fuerat.

III. Promiſſæ in *ead. præfat.* Faviſſæ Medicinæ, ſive Fragmenta Veterum Medicorum, Græcorum, Arabum, & reliquorum Orientalium, Latinorumq; omnino omnia, ut nihil iiſdem deeſſet, quod Ipſe quidem tunc ſciret. Cæterùm incertus adhuc, an loca tantùm, quibus leguntur, in proprium primò uſum ſaltem adnotata, quæ jam præſtò ſunt, eſſet producturus;

ęturus; vel aliorum in gratiam, ipſa etiam verba exſcripturus. Qualem tractatum, uti & ex ſequentibus plures alios, inter Deſiderata Medicinæ, in ſuo *Vindiciani Somnio* repoſuit.

IV. Lexicum Medicum trilingue; ad cujus elaborationem à doctiſſimo *Rhodio* ſtimulatus jam olim fuerat. Scilicet cùm Vir hic præſtantiſſimus *Caſtelli Lexicum Medicum Græco-Latinum* ſæpe commendaſſet, Arabicas autem voces à nemine adjectas doluiſſet, NOSTRUM exhortari cœperat, ut aliquando id præſtaret. Quamvis autem tum temporis officium hoc recuſaſſet, nunc tamen Lexicon illud plurimùm adauctum, Latino-græcum, & Arabico-perſicum edere, atq; ita adornare conſtituerat, ut alterum illud celebre *Henrici Stephani* multis poſt ſe paraſangis relinquere debuiſſet. An verò laborem hunc adgreſſus fuerit, me latet. Certè, nihil de eo comparuit requirentibus. Econtra adeſt

V. Methodus medendi. De qua nonnihil aliter, quàm vulgò fieri ſolet, pleniùs acturum ſe, in *cit. præfat.* edixerat; pleniùs, non prolixiùs; quia nec opus eſſe, nec diſcentium commodis aptum judicaverat. Hunc igitur in finem aureolum *Walæi* libellum ex ipſo MSto, Amicorum benevolentiâ collato, plurimùm emendatum, novæ editioni deſtinavit, nonnulla memoratu digna addidit, animadverſiones etiam & notas ita adjecit, ut novum opus, longeq; ac olim utilius videri queat.

VI. Compendium Medicinæ practicum, typis pariter aptum. Cui fini non alium, quàm alphabeticum morborum ordinem eligere voluit; quem olim quoque *Andreas Smizius in Compendio* ſuo ſecutus eſt. Hunc itaq; & Ipſi ſequi placuit, ita tamen, ut adfectus plures adjungeret, & remedia optima, quibus quis fidat, ex reliquis omnibus ſeligeret,

noſtræq; ætatis experimenta, ut vocant, theorica & practica, non ſine præmeditatione ſingulari inſereret. Huic addidit:

VII. Gynæcèa & Pædoconicen, ſcilicet opuſculum *Theodor. Mayerni*, Archiatri Reginæ Angliæ, quod luce publicâ dignum, hac de re MStum obtinuit. Hoc itaque, ſed auctum & expolitum magis, proferre in animo habuit.

VIII. Chirurgia. In qua inſtrumentorum notitiam, operationum perſpicuam doctrinam, & remediorum fidem eâ brevitate, aut parùm ſanè majori, qualem in Cl. *Hornij Microtechne* plerique collaudant, tradere decreverat.

IX. Syſtema perfectum materiæ medicæ. Quidquid enim in *Schönbornio*, *Macaſio*, imò in Medicorum Scriptis univerſis, aut certè pleriſque reperitur, id omne colligere & in ſyſtema redigere, Ipſi curæ fuerat; quod nec perfectum dixiſſe Ipſum piguit; plusquam centenos enim titulos plures continere, nimiam tamen prolixitatem, quam in aliis agnovit, non habere debuerat.

X. Pharmaceutica. Quo opere, Pharmacopœias omnes, quotquot hactenus prodierunt, examinare, atque animadverſionibus expurgare, tum addere ſuam novamq; inſtituerat. Quod jam perfectum typos expectare, referunt.

XI. Cenſura chemica. Pulcherrimum quidem vocat Illuſtris *Rolfincij* laborem *Chimiæ in artis formam redactæ*; ſed quia multa ſigillatim non tetigiſſe videbatur, quorum vulgaris eſt jactantia, & publica ſcientia eſſe debet, duo præſtare hoc volumine voluit: opera primùm omnia ſuccinctè & Alphabeti ordine enumeraturus, deinde Cenſuram additurus & uſum edocturus erat. Sed præter collectanea aliqua ex aliis, in *ſextum Rolfincij librum* de non entibus, nihil reperire licuit.

XII. Theſaurus Experientiæ Medicæ. De quo cùm Ipſe in *præfat. Syll. curat. & obſerv. med.*, nec non in *Epiſtolæ*

ſtola ad Magnif. Argonautam, pluribus egerit, ſupervacaneum foret, plura de eo hîc proferre.

XIII. Quæ ex quibus. Hoc nomine elegantem libellum emiſit *Steph. Roderic. Caſtrenſis*, quo nomen ſuum poſteris commendavit. Quem rectè quidem à plerisque, ſed à quibuſdam immodicè & inconſideratè, quia contineret plures errores, laudari putavit; hunc igitur ſuis animadverſionibus & illuſtrationibus exornavit, ſpecimen daturus, præcedentis *Theſauri Experientiæ Medicæ* in uſum transferendi.

XIV. Th. Actius de infirmitate, cum notis; &

XV. Relationes Medicæ Fortunati Fidelis, cum notis & exemplis. Sed quò minùs hiſce manus admoveret, Fatum inhibuit.

XVI. Cautiones & animadverſiones Medicæ auctæ & reformatæ. Has primus emiſit *Ludovicus Septalius*. *Rhodius analecta* adjecit ex aliis. Occurrere in his nonnullas vidit NOSTER, quas ſuperfluas & praxi non ſatis aptas, hypotheſibus quibuſdam nondum probatis inniti credidit, nomine iſto ab ipſo *Rhodio*, niſi mors obſtitiſſet reformandas & augendas. Operam itaque hanc ſuſcipere in ſe inceperat, cumprimis quia in laboris ſocietatem humaniſſimè à *Rhodio* olim invitatus fuerat.

XVII. Pinax Botanicus. *Bauhiniano Operi* variarum Linguarum Synonyma adſcribere, diſtorta reſtituere, omnia adcurare, & plurima ex novo orbe ac Oriente petita adjicere, Ipſi animus fuit; ſed præſtitiſſe idem, hactenus deprehendere non licuit.

XVIII. Zoonymia. Corrupta in *Aldrovandinis operibus* nomina animalium emendare, pluribus aliis, maximè orien-

orientalibus, augere, & judicia quandoque breviùs concepta inſerere, in hoc libro inceperat.

XIX. Oryctonymia & Metallonymia. Eadem hîc ratio cum præcedenti militat.

XX. Medulla phyſico-medica. Rerum Naturam non generalibus ſpeculationibus perſpici poſſe, ſed ſenſibus expoſitam eſſe, nec niſi ſpecialibus contemplationibus capi & teneri; hanc autem nihil ab Experientia diſtare, ut nec iſtam ab adcurata obſervatione, ſtatuit. Cùm verò horum latiſſimi campi ſint, nec quævis terra omnia ferat, non alia perfectæ cognitionis ratio ſemper Ipſi viſa eſt, quàm quæ ex fide dignis Hiſtoriarum naturalium & Itinerariorum Scriptoribus hauritur. Opus igitur hoc Medullæ phyſico-medicæ nomine inſcripſit; quam Alphabeti ordine emittere conſtituerat, ut illis gratificaretur, quibus non integrum eſt, tot libros ſeriò evolviſſe. Sed nihil de hac Medulla inveniri potuit.

XXI. De Scriptis Medicis. Viri Exc. *Jo. Anton. Lindani* utiliſſimum de hac materia opus emendare decreverat, adaugere, & ſingulis Scriptis judicia ſinceriora adjicere, quæ Viri doctiſſimi de ijs tuliſſent, aut Ipſe ferenda exiſtimavit.

XXII. Conciliator Medicus. Rejecto, ob controverſias exigui momenti, ſi noſtrum ſeculum reſpiciatur, *Petri Aponenſis* cum ſimili inſcriptione Opere; aliorum etiam, ob nimium *Galeni* amorem, & prolixitatem; Ipſe econtra, quæcunque controverſiæ publicis Scriptis agitatæ ſunt, breviter conciliare, vel quid de alterutra aut utraque ſentiendum, paucis definire ſibi propoſuerat. Sed incepiſſe hoc Ipſum, dubito; nihil ſanè repertum, quod huc faceret.

XXIII. Urocritica. *Hieronymum Reusnerum* Scholia in *Jodocum Willichium de urinis* edidiſſe, ſecundis etiam cu-

ris recenſuiſſe, pluribusq; locis auxiſſe, in *præfat. obſerv. medic. Hieron. Reusneri* jam indicavit, ita ut quibuſdam animadverſionibus & notis à ſe expolita, ſi expetantur, recudi queant. In Epiſtola verò præſente MSta, vel dictas Curas ſecundas cum notis ſe producturum, vel quia Autor nimis prolixus, eundem ſe eſſe contracturum, & de ſuo præcipua additurum, notat. Sed hic etiam liber longiorem NOSTRI vitam deſiderat; prout & ſequens:

XXIV. Taricheutica Medica, ſive tractatus de conditura cadaverum, cujus Autor modò dictus *Reusnerus* exiſtit. Sed quia pleraq; ex aliis exſcripſit, plurima autem ex noſtri ſeculi hiſtoriis atque experimentis immutari addique poſſunt, notis ſuis & animadverſionibus auctum emittere ſtatuit, vel ſi id non valde deſideraretur, tractatum duabus partibus comprehenſum dare; quorum prior Commentarium in *Herodotum* de conditura cadaverum; altera conditura medicatæ tam vetera quàm recentia exempla continuiſſet. Quem etiam librum in *præfat. obſerv. med. Hier. Reusn.* & *obſ. 200.* memorat.

XXV. Zootomica. Studium hoc, à *M. A. Severino* olim tractatum, atque operâ Nob. *D. D. Volckameri* in lucem datum, non indignum NOSTRO viſum fuit, quod experimentis ulteriùs excoleretur. Hinc quidquid uſquam de hac materia, propriis etiam ſectionibus ab Ipſo augendâ, occurreret, congeſſit, ut aliquando publicè exponere poſſet. Id quod in *Hecatoſt. I. Obſerv. 51.* pariter præmonuit.

XXVI. Mictomimemata Medica.

XXVII. Philomathetica. Hoc opere, in *præfatione Hecatoſt. obſerv. phyſ. med.* indigitato, ſine ullo ordine, ut in mentem veniebant, conjecit omnia, quæ alicujus momenti aut conſiderationis videbantur, tam ad Naturæ cognitionem, quàm

quàm ad Medicinæ uſum, ac quarumvis aliarum Artium incrementum, quæ vitæ humanæ neceſſariæ, jucundæ, aut proficuæ cenſentur. Unde Syllabi centenarij ſeptem enati, quos octavo Ægyptiorum adauxit. Ut verò hoc ſimpliciſſimè enumeravit, ita breviſſimis expoſitionibus additis, quid ſibi videretur, edixit, hanc ſolam ob cauſam, ut aliorum judicia venari poſſet, & ſubtiliora ingenia excitaret, quò maturis deliberationibus experimenta caperent, & Rempubl. literariam ditarent. Poſtquam enim vidiſſet, *Societatem Regiam in Anglia* id laudatiſſimis conatibus jam dudum agere, & ſecutos mox Gallos, deinde Italos, & nunc quoque Germanos huic ſtudio incumbere, ſuas quoque cogitationes eandem ob cauſam proferre conſtituerat.

XXVIII. Hecatoſteæ II. Obſervationum phyſico-medicarum.

XXIX. Curationum propriarum Decades X. Multis opem Medicam tuliſſe WELSCHIUM, in ſuperioribus indicavi, quorum hiſtorias omnes diligentiùs literis conſignaſſe ſe, fatetur. Ex quibus ſelegit ſpecimini futuras (ſiquidem reliquas etiam olim proferre animus fuerat) X. Decades. Quarum evulgationem diverſis in Scriptis ſuis promiſit. Aſt, quamvis poſt mortem diligentiùs reliquam inter librariam ſuppellectilem inveſtigatæ fuerint, nullibi tamen comparuerunt. Ut incertum ſit, num alicui extra Patriam Bibliopolæ Decades iſtas typis dandas conceſſerit, vel alicubi adhuc in Bibliotheca deliteſcant, vel quidquid demum cum ijs factum fuerit. Vix tamen latere ſemper poſſe, mihi perſuadeo. Interea, uſque dum è tenebris producantur, inſcriptionem ſaltem communico: *G. H. V. Ephemerides Curationum & Conſiliorum propriorum, Decades X. continentes, cum neceſſaria Exegeſi. Opus novum, Aſtronomiæ & Medicorum Vett. etiam Orientalium*

placi-

placitis, nec non modernis pharmacorum legibus admenſum & adcuratum.

XXX. Chiliades II. curationum & Centuriæ IV. Obſervationum medicinalium.

XXXI. Axiologa Veterum, una cum ſeq tractatu *cit. præf.* memorata. Poſtquam enim multos tam avidè novis Inventis inhiare advertiſſet, ut præ illis antiqua ferè omnia adſpernentur, congerere quædam inceperat, quibus oſtenderet, quàm multa & præclara in Vett. Scriptis ſepulta jacerent, quæ vix uni aut alteri cognita, nulliq; propemodum æſtimata; ſi tamen undique eruerentur, pro novis meritò haberi poſſent. Quorum hanc dedit Synopſin: 1. ſelecta *Hippocratis*; 2. Memorabilia *Ariſtotelis*; 3. Incognita *Theophraſti*; 4. Obſcura *Galeni*; 5. Ignorabilia *Plinij*; 6. Rariora *Athenæi*; 7. Memorabilia *Græcorum Medicorum*; 8 Neglecta *Ebn Sinæ*; 9. Singularia *Arabum*; 10. Notabilia *Latinorum*.

XXXII. Variæ Lectiones de re medica, libb. III. in Scriptores Græcos, Arabes, Latinos; publicè legi aptæ. In primo libro Græcorum Medicorum plures locos ratione, conjecturâ, & MStorum fide emendavit. Altero Arabum Medicorum Scripta corrigere & explanare inſtituit. Tertio pari progreſſu Latinos etiam excuſſit. Quæ omnia licet ſint critica, plura tamen etiam habent, quæ ad rerum naturalium cognitionem faciunt, & Praxin feliciorem reſpiciunt.

XXXIII. Analecta ad methodum herbariam, nondum perfecta, in duas autem partes diviſa, quarum prima tanquam in compendio Variorum cogitationes & diſpoſitiones diverſas exhiberet, ad mentem nimirum *Spigelij*, *Sennerti*, & aliorum plurium. Altera primas meditationes, ad plura latiùs extenſas, contineret.

XXXIV. Inſtitutiones Medicæ practicæ, inter manumittendos libros referendæ. Quæ IV. partibus conſtant, *Jo. Prævotij* diſpoſitione; quæ ſeparatim quidem prodierunt, ſed quia non ſatis benè, nec iſthoc Autoris ipſius ordine, dignas cenſuit, ut recudantur, notisq; ubi aliquid monendum, inſtruantur.

XXXV. De Manuſcriptis Medicis. De quibus ex Catalogis Bibliothecarum editis pariter & ineditis conſcribendum Volumen judicavit. Cui jam manum admoviſſe ſe, (quamvis nihil hucuſque de eo in manus venerit,) largiorem tamen præ reliquis moram, antequam produci queat, depoſcere, monuit; quia non pauca ab Ipſo deſiderabantur, & aliorum Virorum Doctiſſimorum Symbolas liberaliter conferendas, priùs expectabat.

XXXVI. Somnium Vindiciani.

XXXVII. Simeon Sethi de cibariis Græc. Arab. Lat. cum notis. Hunc Autorem nitidiorem ſiſtere decreverat, collatum ſcilicet cum diverſis Manuſcriptis, in Italia, Gallia, Anglia, & Germania; ſicut ipſe cum Mediolanenſi, in Bibliotheca Ambroſiana, poſtquam commendatoriis, ab Illuſtr. *Ferrario*, Cujus ſingularem in me favorem nunquam ſatis deprædicare potero, mihi datis, liberiorem apud Clariſs. *D. Petr. Paul. Boſcam*, Præfectum dictæ Biblæ, acceſſum impetraſſem, in WELSCHII gratiam conferre Anno M. DC. LXXI. non detrectavi. Eidem verſionem etiam Arabicam, cum commentario, addere, notaſque ac varias lectiones, nec non *Pſellum* Græco-Latinum ex MSto Bibliothecæ Auguſtanæ publicæ, cùm Græcè nunquam prodierit, ſubnectere voluerat. Sed mors præveniens ſpem hanc decollavit.

XXXVIII. Noni medicina græco-latina. Quo de cùm in *præfat. ad Jerem. Martij obſerv.* mentem ſuam expli-

explicuerit, plura non addo, quàm quòd ad perficiendum illum longior Ipſi Vita cbtingere debuiſſet; id quod etiam de ſequenti tenendum.

XXXIX. Hippocratis Aphoriſmi græc. lat. & arab. cum notis & indicibus copioſiſſimis. Textum ſcilicet græcum ad fidem MSStorum & Editorum adcurare, verſiones dein ſuas, latinam & arabicam, notas item cum Indicibus copioſiſſimis adcuratisque adjicere, ſibi ſumſerat.

XL. Erotianus & Gal. Exegeſis græc. arab. lat. Hîc præclarum libellum, quem olim *Henr. Stephanus* edidit, dignum judicans, qui recudatur, verſionem quoque adjicere latinam & arabicam voluit.

XLI. Geographia Nubienſis arab. lat. cum notis. Hoc opus arabicè MStum Florentiæ in Bibliotheca Laurentiana repoſitum, Romæ quidem, ſed abſque verſione editum eſt; quod itaque in L. Latinam converſum, cum adnotationibus neceſſariis publicare, in animo habuit.

XLII. Jo. Muſalenſis praxis medica ex arab. lat. verſa cum notis. Hanc quidem Praxin, cujus in *not. ad Obſerv. 18. Marc. Cumani* mentionem facit, tanti momenti haud eſſe, fatetur, ut aliis omnibus præferri queat, cùm tamen ad Antiquitatis notitiam pertineat, & Reipl. Medicæ intereſſe, Ipſe putaverit, ne quid in tenebris periret, quod prodeſſe in Luce poſſet, notis quibuſdam expolitam daturus erat. Sed his ultimis tribus libellis manum fuiſſe admotam, quod teſtaretur, nihil comparuit.

XLIII. Statice. Doctiſſimi *Sanctorij* in hac materia conatus minimè contemnendos ſemper æſtimavit; hos igi-

tur, quâ poterant, defendit, qua non poterant, excuſavit, & qua iterum licebat, emendavit.

XLIV. Magirice clinica. In hoc libello commodas ſingulis adfectibus eſcas, non ſimplices tantùm, ſed etiam ad guſtum exquiſitas, Vett. Medic. & Recentiorum conſenſu adſignare, priſciq; ſeculi placita noſtris moribus contemperare, in animo habuit. Aſt de ipſo incepto opere nihil conſtat.

XLV. Solœcismi & Barbarismi officinales. In hoc ſcripto, à proſodiacis abſtinendo, Barbarismos tantùm perſtringere propoſuit, quos quaſi communes Diſpenſatoriis omnibus eſſe notaverat. Nihil tamen adhucdum, quod ſciam, hac in parte fuit molitus.

XLVI. Inſtitutiones medicinales. De his non aliud, quod notare velim, habeo, niſi quòd nullus ex omnibus, qui Inſtitutiones Medicas ſcripſerunt, Ipſi per omnia placuerit. Hinc ſuo ſibi marte aliquid jamdudum concinnaverat, quod deinde noſtræ ætatis experimentis, noviſque repertis conforme reddidit, interpolavit, adcuravit, ut nunc pleni & quaſi novi operis idéam referre poſſe, aliquando ad prælum adaptandum, exiſtimaverit.

XLVII. Idéa apotelesmatis phyſici. Cùm ſyſtema phyſices *Jo. Sperlingij* alicubi nimis jejunum, alicubi etiam redundans, & in quibuſdam imperfectum videretur, conſtituit, idéam ex cæteris quoque & recentibus ævi noſtri inventis effingere, quæ majoris operis ſive apotelesmatis Ichnographiam repræſentaret, ab aliis poſtea exornandam. Sed imperfectam idéam hanc reliquit.

XLVIII. Vitiligines Scriptorum Med. expurgatæ. Hoc opere, *not. in obſ. 11. Marc. Cum.* nominato, non tam ſimplicia & nuda nomina exponere inſtituit, ſed

phra-

phraſes integras modosq; loquendi, quibus ipſa praxis continetur, & quam nemo à Semibarbaris acceptam, multaq; præclara habentem, ſi verborum puritas excipiatur, imitari poteſt, niſi illos intelligat.

XLIX. Pharmacopinax univerſalis. Non hîc de modo præparandi, ſed de uſu jam præparatorum ſollicitus eſſe voluit; non tantùm pulchrum jucundumque eſſe ratus, promtuarium medicamentorum ingens ad manus habere, uſibus ſuis in ſingulis adfectibus adcommodatum, & ſcire quid quoquo tempore uſitari ſolitum ſit; ſed utile quoque, ſi quandoque neceſſitas ingruat, & ſi quis ſciat, rebus præſentibus ex tempore aptare.

L. Medicina noſtro ſeculo adaptanda. Oſtendere nimirum decreverat, quæ Ipſi placeant aut diſpliceant; & quomodo refingenda atq; expolienda aut emendanda Ipſe putaverit. Verùm de hoc tractatu, & præcedd. duobus nihil fuit repertum.

LI. Cantica Ebn Sinæ Arab. Lat. Quæ ex latina *Deuſingij* verſione fecit Arabica; quorum mentio fit in *Addendis ad Exercit. de Vena Medin. pag. 344.*

LII. Horticultura. De hac primus, ut Arte quadam, egit *Petr. Laurembergius*, & adparatus deinde plantarios ejuſdem ferè argumenti dedit. Culturam florum ſingulari opere proſequutus eſt *Jo. Bapt. Ferrarius*, & Citriarum arbuſcularum in Heſperidibus ſuis; ſed quæ ſpecialem tantùm illius partem nobis explicaret. Vulgari ſermone & linguis vernaculis idem argumentum tractaverunt Hortulani quidam; ſed quia pleriq; idiotæ fuerunt, nihil ferè eruditis auribus dignum attulerunt. Quorum conſideratione, WELSCHIO ſemper viſum eſt, hac in re plurima deſiderari poſſe. Quæ verò optabat, paulatim Ipſe conſcribere cepit, ut aliquando perficeret;

 quo-

quorum idcirco idéam ſaltem daturus erat, ut alij proſequerentur & abſolverent.

LIII. Diſſertatio de Viſcis plantarum. Qua plantarum naturam in aliis excreſcentium indagare voluit.

LIV. Diſſertatio de Cerumine. Inter omnia humani corporis excrementa, ſive inutilia planè fuerint, ſive utilia, ſemper hoc ipſum majoris conſiderationis eſſe, exiſtimans, quàm vulgo putant, de eo aliquid diſſerere mens fuit.

LV. Lutrologia. Quod argumentum in *præfat. Syllog. obſ. med.* jam protulit. Scilicet recenſenda ſibi ſumſerat ad Alphabeti ordinem Thermarum omnium nomina & naturam, adſignaturus etiam ſuas ſingulis adfectibus, ut ijs commodè uti poſſent, qui praxi ſe addicunt. De quibus tamen tribus libellis nil quidquam oculis ſeſe exhibuit.

LVI. Pinacotheca Guetiana. Cujus quidem nihil hodie ſupereſt, cùm belli ſuperioris injuriâ diſtracta fuerit. Quia tamen præſtantiſſima omnia continuit, aliis nunquam viſa aut audita, & perfectam ſciagraphiam Pinacothecæ inſtituendæ exhibere poteſt, operæ pretium judicavit NOSTER, publicè deſcriptionem ejus exponere.

LVII. Lipſius de Bibliothecis cum notis, auctior. Cui materiæ adfinitate, copioſum Catalogum Bibliothecarum & Pinacothecarum præſtantiorum adjunxit. Quem librum typis maturum reliquit.

LVIII. Lipſius de Epiſtolis, cum notis, auctior; quarum uſum in praxi etiam, & pleriſq; linguis, præter Romanam, aliis oſtenſurus erat; ſed unà cum duobus ſeqq. libb. imperfectus remanſit.

LIX. Lipſius de re nummaria, cum notis, auctior. Ille à Cl. *Rhodio*, non ſine adplauſu productus,

WEL-

WELSCHIO non undique placuit. Præter Romanorum rem nummariam, qua de ille tantùm agit, Ipſi Græcorum etiam, Hebræorum, Syrorum, Perſarum, Arabum, aliarumq; Gentium monetas adjungere viſum fuit.

LX. Bibliographia Politica. Hunc *Gabrielis Naudæi* laborem, cùm alicubi minùs perfectus, minusq; commodus videretur, auctiorem reddere, & judicia ſinceriora, quorum pleraque ipſe aut præterierit, aut certè nec viderit, adjicere ſtatuerat.

LXI. De ſtudio liberali. Idem *Naudæus* de iſthoc libellum edidit egregium. Meliorem tamen, & quem ſequi faciliùs erit, NOSTER elaboravit.

LXII. Sermones fideles de modo legendi & excerpendi. Relictâ de hac materiâ *Jeremiæ Drexelij*, tanquam laborioſâ, prolixâ ac tædioſâ diligentiâ, Ipſe doctiſſimorum Virorum familiaritate uſus, ſedulò obſervavit, quo pacto ad tantas eruditionis opes perveniſſent. Ex horum igitur notatis & excerptis, quæ commodiſſima viſa, utili mixturâ conjungere libuit.

LXIII. Idéa operis adagiorum panglotti. Cùm *Erasmi Chiliades* multa contineant, quæ ſententiæ veriùs ſunt, quàm adagia, & præterea mole ſuâ laborent, Ipſe his emaculatis, quomodo reliqua adjungi poſſe putet, edicere, ipſamque adeo Idéam, ab aliis dein perficiendam, repræſentare voluit.

LXIV. Monumenta Auguſtana Vindelica. Diſtractis jamdudum horum exemplaribus, digniſſimis tamen quæ recudantur, Ipſi nonnulla addere curæ fuit, quæ Illuſtris quondam Marcus Wellerus fato abreptus vidiſſe non potuit, quia ſeriùs eruta & cognita fuerunt. Aſt de his quoque tribus poſterioribus libris nihil nobis conſtat.

LXV.

LXV. Bellum Trajani utrumq; Dacicum. Hujus mentionem facit *Exerc. de Vena Medin.* Libros duos continet carmine deſcriptos. Quibus breviculas adnotationes adjecit.

LXVI. Religio Medici. Libellum hoc nomine à *Thoma Broune* conſcriptum, abſonum, atque monſtroſi ingenij infelicem partum, ad Atheiſmum remis velisque omnibus properantem adpellavit. Cui ergo ſe oppoſuit, & ut noxium, impium, atheum, & ab omnibus, cujuſcunque ferè Religionis eſſent, ſi modò Chriſtianam fidem profiterentur, damnandum, improbavit. Verùm abſentium numerum hic quoq; adauget.

LXVII. Notitia juris univerſi, *divini, naturalis, publici, civilis & canonici.* Jurisprudentiæ ſtudio, cujus cognitione ſolidiori Virum eruditum & ſapientem carere non poſſe, perſuaſus erat, haud parum temporis ſe dediſſe, ſcribit. Unde quinque his partibus univerſum Jus comprehendi poſſe, exiſtimaverat. Et de divino quidem, quod Hebræorum vocant, plures cùm egerint, judicium ijs adhibere; Naturale autem, quod Gentium quoque eſt, variabile exemplis oſtendere, & quod plerisque JCtis hucuſq; neglectum, ex Orientalium ſcriptis, jus quoque illorum in compendium redigere; nec publicum præterire voluit, quod multis utiq; jam dictum, ſed nondum ad mentem ſuam deprehendit. In Civili autem *Jacobi Gothofredi Manuale* augendum, & alicubi etiam emendandum ſibi propoſuit. A Canonici autem compendio, quod *Caniſius* dedit, ſuperflua & inutilia omnia, & quæ Auguſtiſſimo Cæſareo contraria ſunt, reſecare atque delere conſtituerat; ſed quantum conſtat, non perfecit.

LXIIX. Pædia in cycliſco. Occaſione *Encyclopædiæ* à *Jo. Henrico Alſtedio* conſcriptæ, proficuum maximè reputavit, ſi quis ejuſmodi inſtitutum, reſectis inutilibus omni-

omnibus, & prolixis exſcriptionibus omiſſis, proſequeretur, Orbiq; literato aliquando non latiùs diffuſam ἐν κύκλῳ παιδίαν repræſentaret, ſed nervoſiùs contractam atque exaſciatam exhiberet παιδίαν ἐν κυκλίσμῳ, non tam novè, quàm modeſtè inſcriptam. Hinc Ipſe multa etiam hac de re meditari cepit. Aliquando igitur hanc daturus erat, conſilium in longè minori opere multò majus Alſtediano ſibi fuiſſe, ipſo opere demonſtraturus. Nec enim Artes populares omittere animus erat, nec inſtitutiones Grammatices omnium Linguarum, maximè Orientalium, Pangrammatices nomine eas complectens; Pantechnices quoque nomine Artes omnino omnes comprehenſurus, cùm iſtarum omnium commoda, arcana & ἐγχειρήσεις, quantum poterat, explorare conatus fuerit. Quibus etiam Emporeticen, Alſtedio neglectam, aliasq; ſimiles, Politices non minùs, quàm Oeconomices ſuboles ac ſocias adjungere conſtituerat, non minùs etiam Stratioticen ejusq; partes, & ſimiles quaſdam alias. Sed una cum ſequenti, Opus hoc imperfectum reliquit.

LXIX. Notitia Auctorum panglotta. Mens hîc fuerat, in ſingulis Linguarum generibus Veteres tantùm & probatos Autores, atque in cæteris meliores non ſaltem nominare, ſed & præſtantiores editiones indicare, & de ſcriptis ipſis judicia ferre. Cujus facti initium *Ger. Jo. Voſſius* Ipſi ſuggeſſerat, qui tale quid olim ceperat, amicisq; & auditoribus diſtribuerat. A quibus Ipſe quoque acceptum, plurimùm deinde auxit, Græcis nempe & Latinis Orientales quoque & LL. omnes addendo.

LXX. Idéa Antiquitatum, ſive Conſilium de Antiquitatum opere conſcribendo. De his quamvis plurimi olim ſcripſerint, plura tamen falſa, ſuppoſititia, abſona & imperfecta continere, judicans, & in exemplum materi-

am de re veſtiaria producens, (qua de nimirum nemo unquam rectè ſcripſerit, antequam Nobil. *Ferrarius* id argumentum doctiſſimè pertractaſſet) talia plurima etiamnum neglecta jacere pronunciavit. Quæ tamen expolienda in ſe ſuſcipere noluit, Idéam ſaltem daturus, ipſo Syſtemate ab aliis perficiendo. Cui operi præclariſſima omnia concedere, & quaſi animam quàm optimè & benigniſſimè inſpirare poſſe, monuit, Illuſtr. Equit *Carolum Antonium à Puteo, R*omanum, utpote nunquam ſatis laudati Dn Fratris ſui, *Caſſiani* hæredem librorum, in quibus præſtantiſſimorum Pictorum operâ, immenſis ſumtibus Antiquitates omnes depingi curaverat, pleraſque ea quæ erant magnitudine, cæteras majores ad leges Geometricas ſuis pedibus dimenſas. Quos etiam prælaudatum Virum Dn. *Carolum Antonium*, juxta cum aliis ſuis Theſauris literariis, mihi inſpiciendos humaniſſimè exhibuiſſe, recordor. Sed promiſſæ Idéæ hujus nullum reperiri potuit veſtigium.

Hiſce abſolutis, plura alia ab Ipſo aut cogitata, aut jam inchoata, partim etiam in *Somnio Vindiciani* nominata eſſe, in præfata Epiſtola ſubjunxit, aliis tamen temporibus & maturiori deliberationi ea ſervaturus, hoc ſaltem ordine verbisq; eadem recenſens:

1. Praxis Hippocratica, qua adfectus & qua remedia ex Hippocratis ſcriptis concinnata.
2. Praxis Galenica, ex Galeni libris excerpta & adornata.
3. Diſſertat. de Inventoribus medicamentorum.
4. Diſſertatio de monſtris herbariis.
5. De arthritide ejuſque cauſa & curatione cogitationes novæ, & de dolore in univerſum, ejusq; cauſa, paradoxum.
6. De morbis plantarum & brutorum animalium, ad Diæteticen.
7. De ijs, quæ nondum ſatis comperta ſunt in Medicina.
8. De ijs, quorum nulla cauſa reddi poteſt in medicina.

9. De

9. De veſtimentis, quà ſanitati proſunt aut obſunt, ſive Endyematice medicinalis.

10. De ſingularibus locorum ad Medicinæ uſus, ſive Chorographia medica.

11 De modo nova experimenta faciendi in Medicina.

12. De menſuris & ponderibus Orientalium.

13. Diſſertatio nova, qua Veterum placita de Theriacis novâ methodo exponuntur.

14. Apologia contra Ebu Sinæ calumniatores.

15. Philoſophia ſacra Valleſiana uberior & multò adcuratior.

16. Exercitationes ſuccifivæ in Helmontij opera univerſa.

17. Paralipomena hiſtoriæ animalium.

18. Ritualium libri, ex voto Juſti Lipſij.

19. De pia & erudita ſolitudine libri II. accedit diſſertatio ad Bar. à V. de vita ſolitaria.

20. Vict. Trincavellij com. in Gal. de comp. med. ſ. l. cum adnotationibus breviculis.

21. Diſſertatio de ſocietate converſionis infidelium ad Bar. I. à. V.

22. Diſſertatio de Collegio Samaritano nuperrimè cepto.

23. Examen hypotheſium medicarum, quæ nondum ſatis adſertæ.

24. Diſſertatio de medicamentis theriacis.

25. Coſmetices libb. II. Veterum ſcilicet & Recentiorum.

26. Coronaria Vett. reſtituta.

27. Arcanorum myrepſicorum libb. 2. Vett. & Rec.

28. Diſſert. de Diariis Noſocomicis.

29. Diſſert. de Idea Clinices vet. & novæ in artem redigendæ.

30. Diſſert. de Cteniatrice in artem redigenda, cum auctario exemplorum.

31. Scopuli Latinitatis, quos à Cl. Rodio quondam acceptos diſpoſui, & plus quàm altero tanto adauxi; inſerui etiam compendium gloſſematum Lat. Sermonis ex Voſſio accuratè conſcriptum.

32. Medulla Critica, in qua tam ex Codd. MSSis, quàm libris editis meliorum auctorum variæ lectiones & emendationes tanquam in compendio exhibentur.

33. De Medicis illuſtribus Auguſtanis Commentarius.

34. Animadverſiones liberæ in Hofmanni libros de medicamentis officinalibus.

35. Exercitationes in Carteſium de paſſionibus animæ.

36. Adnotationes in Hippocratis ſcripta univerſa.

37. Trutina imbris aurei Petri à Caſtro.

38. Exercitationes in Geberi Alchemiam.

39. Diſſertatio de Societate Jatro-critica inſtituenda.

40. Aſtronomia modernis obſervationibus expolita ad Medicinæ uſum directa.

41. Diſſertatio de ſemiotices emendatione.

42. Meditationes de Euthanaſia Baconis Verulamij.

43. Diſputatio de hyperemeria Med. præſidiis procuranda.

44. Primæ cogitationes de incurabilibus, ſecundis perficiendæ.

45. Sciagraphia organices medicinalis.

46. Adſertiones Therapeutici univerſalis.

47. Grylli medicinales. i. e. Narrationes jucundæ de reſtituendis Vett. & excolendis novis quibuſdam in Medicina.

48. Elenchi phytologici, ſive de plantarum inventionibus falsò jactatis.

49. Diſſertatio de ſubſtitutione medicamentorum.

50. Disquiſitio de remediis injuriâ falsò, & meritò, ſuſpe-

ſpectis; accedit altera de transplantatione morborum funditus everſa.

51. Diſſertatio de Cachunde Indico Or. contra Zacutum Luſitanum.

52. Diſſertatio de Chocolate Americano ad Calderam & Cardinalem Brancatium.

53. Exercitatio chemiatrica de Tincturis medicinalibus, earumq; uſu interno & externo.

54. Diſceptationes miſcellaneæ de medicamentis hæmagogis.

55. Paradoxa philoſ. medica, quæ animi gratiâ liberè proponuntur.

56. Paradoxa philoſ. medica, quæ contra aliorum ſententiam ſeriò adſeruntur.

57. De ſuperſtitionibus medicinalibus abrogandis conſilium medico-politicum.

58. Hiſtoria literaria Turcarum ex MSto CPo. Steph. Gerlachij, *in præfatione Commentarij in Ruzname Naurus promiſſa. In hac elaboranda ultimos vitæ dies conſumſit NOSTER, nec tamen perficere omnino potuit.*

59. De indubia ratione Medicinam reformandi, reſtituendi & exaltandi, meditationes Theol. Jurid. Med. & Politicæ.

60. Gryphi medicinales.

61. Deperdita Medicinæ.

62. Examen Magiæ naturalis vulgò dictæ, quo nullam eſſe evincitur.

63. De obſervationibus Medicorum contrariis exercitatio.

64. Relatio hiſtorica medico-politica de Medicina Sinenſium.

65. De Pharmaciæ exactiſſima emendatione ſine ulla gravi reformatione, diſcurſus politico-medicus.

66. De impenetrabili ingenii humani receſſu, ejusq; arcanis laude aut vituperio dignis.

67. De medicamentorum compoſitorum delectu monita ſingularia.

68. Admiranda naturæ, ſive obſervationes microscopicæ meæ.

69. Obſervationes phytotomicæ novæ.

70. Non entia chemica Utis ſive Anonymi cum notis & animadverſionibus meis.

71. Chemica inaudita in Syllogen collecta & ſuccinctè enucleata.

72. De Medicina Paracelſi & Medicamentis ejuſdem, exercitatio nova.

73. Apodemice politica medica.

74. Animadverſiones in Helvici Chronologiam.

75. Thom. Campanellæ lib. de Magia, nunquam editus, ex MS. cum notis & animadverſ. meis.

76. Epiſtolæ Achillis Gaſſeri, in quibus litteræ Regum, Principum, Rerumpublicarum, doctorum Virorum & Medicorum, de rebus phyſicis, politicis, mathematicis & medicis ex autographo ed.

77. Angeli Viscæi Taurinenſis tr. de Ulceribus ex MS. cum not. & animad. meis.

78. Laur. Spaccij aph. Hippocr carmine redditi, cum ſupplemento meo, quia ipſe non abſolvit.

79. G. Scioppij Pædia ſive Catalogus librorum ex MS. ductus, cum breviſs. adnotat. meis.

80. Hortus Patavinus, ut erat tempore Veslingij, cum adnotat. ex lectionibus ejuſdem, in quibus multa rara qua eruditionem, & multa utilia, qua vires & praxin med.

81. Auguſtana ab A. 1550. uſq; ad A. 1674 Epidemia & Ephemerides noſtræ XIIX. annorum, curationes aliquot mille & conſilia continentes.

82. Joh.

82. Joh. Georg. Virſungi libellus de V. S. cum adnotat. & animadverſ. meis ad circulationem ſanguinis expoſitis.

83. De inſtrumentis Mathematicis, Vett. & novis, variarum gentium, narrationes hiſtoricæ.

84. Exempla & inſtructiones pharmacothecarum pro Viris illuſtribus.

85. Florilegium ſententiarum ex Vett. auctoribus & ſcriptoribus recentioribus.

86. Flores illuſtrium Poëtarum Vett. & Recent.

87. Anamneſtica hodœporica, vel obſervationes miſcellaneæ med. chem. Illuſtrium Virorum, per itinera collectæ.

88. Pretioſa memoriæ delicia, quæ Arab. conſcripſi & inſcripſi, in quibus deſcripti labores mei & medica politica ac artificioſa plurima, quorum uſus eſſe poteſt, non tantùm ad Medicinam, ſed etiam ad honeſtam voluptatem, & rempublicam atque familiarem exaugendam.

89. Ars critica, Scioppianâ brevior & auctior, & accuratior, quæ per omne Scriptorum genus & linguas omnes ſe diffundit.

90. Architectonice ad circulum & regulam Albertinam exacta, cum fig. Arab. & Italicè delineata.

91. Honores Calligraphiæ ſive commentariolus de varietate chartarum, ſcripturarum & typorum, in quo multa rariora & vulgò incognita recenſentur & revelantur.

92. Otium literarum, quo curioſa plurima fabulari ſtylo enumerantur.

93. Petancius de itineribus in Turciam ex MSo recuſus cum adnotat. noſtris & magni Gruberi Hiſtoria de Imperatoribus Turcarum Othmanidis.

94. Pelagus Latinitatis, in quo ex melioribus Scriptoribus elegantiæ corrivatæ, oppoſitum & appoſitum ſcopulis, de quibus ſupra.

95. Ja-

95. Jatronomaſticum Orientale, in quo medicinalia vocabula Hebr. Syr. Chaldaic. Arab. Perſ. Turc. Armen. Samaritan. Æthiop. Iberica, Coptica, Tartarica, Sinenſia, Japonica, Indica & Malavarica exponuntur.

96. Vacationes æſtivæ, in quibus experimenta quædam mechanica deſcribuntur & pinguntur.

97. Feriæ brumales, quibus rariora quædam ad Metallurgiam pertinentia in Dialogo tanquam ad focum pernoctantium recenſentur.

98. Digreſſiones auctumnales in officinas variorum Artificum, quibus nonnulla arcana illarum minusque cognita enarrantur,

99. Adnotationes in Vetus Teſtam. Hebr. edit. à Janſonio ex recenſione Menaſſe Ben Iſraël.

100. Adnotationes in Nov. Teſtam. Græc. edit. à Jo. Henrico Böclero ex perantiquo CPo. Gerlachij Codice MSto. In quorum utroque non tantùm parallela loca ad genuinum intellectum, ſed etiam philologica ex omnium ferè LL. paraphraſibus, aliiſq; auctoribus præſtantioribus & antiquitatis monumentis adnotata. Hoc verò Opus, ut nobis ſemper primum inter reliqua ſtudia fuit, atque etiam nunc quotidianum eſt, ultimo loco commemoravimus, & ultimò aliquando proferre cogitamus, quia id etiam ultimum nobis exoptamus, quo calamum & vitam aliquando ponere liceat, ut ita hiſce omnibus Divinâ gratiâ deſideratus tandem accedat *FINIS.* Ad quem etiam ipſe præſentem hunc laborem jam deducam,

CAPUT X.

Morbi & Obitus.

PAuca ſunt, quæ de *Neſtore* Pylio ſimili in materia proferri poſſent; cui tamen longum vitæ filum duxiſſe Lacheſin, apud

apud omnes conſtat. Cùm enim, uti *Homerus Iliad. 1.* teſtatur, ad Trojam, conſiliis eam expugnaturus, acceſſiſſet,

Ipſi jam duæ ætates varielinguium hominum
defecerant, qui cum ipſo ſimul nutriti ſunt & geniti
in Pylo divino; inter tertios verò regnabat.

Et apud *Ovidium, lib. 12 metamorph* ipſe ſic perorans inducitur:

vixi
annos bis centum, nunc tertia vivitur ætas.

Hæc quomodocunq; ſe habeant, grandævum tamen obijſſe *Neſtorem*, ex omnium conſenſu dixiſſe, in præſentiarum ſufficiat. Quamvis autem inconcinna hîc futura videatur WELSCHII comparatio, qui tertium ſaltem poſt quinquageſimum vitæ annum compleverat; longævus tamen & Ipſe dicendus erit, longè nobiliori de cauſa, & majori etiam cum veritate. Non operoſiùs huc traham illud *Senecæ, cap. 14. de brevitat. vitæ* ſcribentis: *Soli omnium otioſi ſunt, qui ſapientiæ vacant: Soli vivunt, nec enim ſuam tantùm ætatem benè tuentur: Omne ævum ſuo adjiciunt. Quidquid annorum ante illos actum eſt, illis adquiſitum eſt.* Qua ratione ſi ullus alius, NOSTER certè tres hominum ætates vixiſſe, imò longiſſimè ſuperaſſe dicendus foret, utpote non trium ſaltem ſeculorum memoriâ, ſed omnium, vel quidquid Antiquitatis ſupereſt, ſibi adquiſitâ, ævoq; ſuo adjectâ. Sed, quod majus eſt, vivit etiamnum WELSCHIUS, vivit in Veſtro, Domini Collegæ ſpectatiſſimi, pectore; vivit ubiq; famâ celebris; vivit in Scriptis eruditiſſimis; imò dum homines & literæ erunt, erit & Ipſe, vivet atque vigebit, nullâ unquam ſenectute conficiendus, ſed gratâ potiùs laudum rejuveneſcentiâ atque vigore exultaturus. Abiit quidem ex Noſtro conſpectu & ſtrictiori conſortio; non tamen planè interiit; fragilesq; ſaltem & prægraves corporis exuvias, multis antea morbis durè adflictas depoſuit.

Poſtquam ſcilicet hanc in Lucem eſſet editus, ſentire mox Morbonæ inſultus tenerum Ejus corpuſculum ceperat, malignâ & ferâ ſcabie pueritiam ad annum uſque decimum quartum tranſigens, & hac ratione ſe quaſi præparans, ut verè in Medicum evaderet Platonicum, ſive varias in proprio corpore ægritudines perferendo, excellentem Sibi experientiam conciliaret.

Sed poſt multa à diverſis Medicis fruſtra diu adhibita remedia, cùm tandem, ex balneorum & unguentorum uſu præcipuè, tædioſum adeo malum ceſſaret, meliori poſtea ſanitate frui Ipſi licuit. Sequentibus tamen annis graves illæ effloreſcentiæ nonnunquam recurrere, & brachia aliasve partes infeſtare, haud omnino ceſſarunt, imò circa vitæ finem alter ex pedibus eodem malo laboravit; id quod ex fida Cujuſdam habeo relatione, Cui videre demortuum corpus contigit. Quæ ulcuſcula, ob pruritus dubio procul moleſtiam, ad ſanguinis uſque effluxum ſcalpens, ſæpiſſime pedum inflammationem, in ultimo vitæ decennio, ſibi induxerat, poſtremis quoque ante obitum diebus ſævitiam ejuſdem expertus.

Melancholiâ inſuper, abſoluto feliciter Studiorum decurſu & Itinere Italico, cùm Argentorati adhuc, ante ſuum in Patriam reditum, ſubſiſteret, miſerè agitari ceperat, animo triſtiori aliquâ imaginatione, cum taciturnitate tandem junctâ, certam ob cauſam occupato ac deluſo; quæ tântam Ipſi vim intulerat, ut maxima cum difficultate in Patriam reducto, ipſos Parentes, amoris & commiſerationis lachrymis diffluentes, ne dicam Cognatos Amicosve ſalutare, aut unicum verbulum aliquot dierum decurſu proferre haud permiſerit; ſævis quoq; tandem Convulſionibus & aliorum Symptomatum truculentiâ, accedentibus. Uſq; dum, longo tempore ſic transacto, ad Deunacenſes acidulas, difficillimo ob morbum itinere, deductus, paulatim ſe recolligeret, mentisq; priſtinum imperium denuo

denuo obtineret. Quamvis Solitudinis, cui ampleſtendæ Muſarum amor permagnum pondus addidit, ſtudioſior ſubinde permanſerit, & triſtiora nonnunquam temporum intervalla expertus fuerit. Ante annum deniq; & quod excurrit, crudelem Epilepſiæ inſultum iterum perpeſſus, decreſcere notabiliter corporis vires perſenſit, adeo ut nec meditando, animum; nec ſcribendo, dextram exercere diu licuerit; quo de Ipſe aliquot ante menſes præſenti mihi graviter conqueſtus fuerat.

Quam ingraveſcentem indies debilitatem, pro imminentis Analyſeos prodromo habuiſſe Ipſum, *Epiſtolæ* illæ ſæpius laudatæ, ad ARGONAUTAM Noſtrum celeberrimum ſcriptæ, una cum matura atque ſollicita de *Exper. Med. Theſauro* diſpoſitione, luculentum præbent Indicium. Felicem ſanè Literatum, cui mortalitatem ſuam ſeriò meditari contigit, ut adeo vocantem Altiſſimum ritè paratus expectare potuerit! Qua ſine meditatione Eruditiſſimi quiq; diem ſuum qui obierunt, famâ licet & inter Mortales gloriâ clariſſimi, meritisq; in humanum genus immortales, æternùm tamen deplorandi potiùs ſunt, quàm commendandi. Felicem WELSCHIUM, Cui Theologi Noſtratis, in ſuperioribus jam laudati, de vera obtinenda felicitate monitum, ab ingruente adverſæ valetudinis periculo, calamo amico dictatum, haudquaquam diſplicuit, ſed pio animo ampleſtendum ſibi judicavit! Quod publicè legi cùm mereatur, integrum adponere liceat. Sic itaq; Vir ille Clar. An. M. DC. LXXVI. 15. d. Novembr. NOSTRUM per literas adlocutus fuit: Tantum equidem abeſt, ut ob „ graviores iſtas depravatæ ſanitatis tempeſtates LITERA- „ TORUM INFELICIUM Albo ſis inſerendus, ut potius „ in ipſa infelicitate illa felix EX ANIMO evadere queas. „ Licet non unus, non duo, ſed plures morbi Tibi inſidientur, „ nec tam labefactando corpus, quàm planè abſumendo miſe- „

 rè

rè infeſtent; licet tugurioli iſtius coagmentatio vehemen- „ tiori quapiam impulſione frangatur, infinitæq; ægritudines „ occupatas à ſe corporis partes exerceant; nihil tamen inde „ imperturbatæ animi tui tranquillitati decedet, ſi modò ille „ funeſtis cupiditatum & perturbationum angoribus libera- „ tus, inſtar heliotropij cujuſdam ad Solem h. e. Deum ipſum „ obvertatur, originisq; ſuæ memor eò continuè tendat. Tan- „ tum bonum (præeunte ipſo Seneca) Virtutem tunc reputa- „ bis, ut minutiores iſtas acceſſiones afflictionesq; vix ſentias, „ brevitatem ſc. ævi, & dolorem, & corporis varias offenſiones. „ In corpore proſtrato erectam ſemper habebis mentem, mem- „ brisq; diſtractis, nobili illâ affectuum gaudebis compoſitio- „ ne. Animum ſc. ſi ſtatuas excolendum, & nullis non virtu- „ tis pietatisq; exercitiis, ipſiq; adeo converſationi Spirituum „ ſanctiorum in cœlis præparandum. Et cùm ſine dubio ad „ animum Tibi millies jam revocaveris Vitæ literato-tumul- „ tuoſæ genium, curarumq; & calamitatum à Doctis devoran „ darum concatenatam ſeriem Tibi poſueris ob oculos, etiam „ atque etiam in poſterum cogitabis, qua ratione moleſtiſſimi „ illi doctrinæ multivariæ labyrinthi, ſaxa ſiſyphea & plus „ quàm Tantaleæ illuſiones per Salvatoris ſaluberrimam de „ UNO NECESSARIO regulam evitari, imò feliciſſimè „ emendari queant. A rebus non omnino neceſſariis exeun- „ do, ſerium ad Deum meditaberis acceſſum, eoque ipſo diu „ multumq; deſideratæ quietis captabis adeptionem. In no- „ viſſimo meo opere, (quod ſub Felicis Literati titulo prodiit) „ illuſtribus aliquot ſummè doctorum ævi ſequioris Virorum „ exemplis oſtendi, qua ratione poſt diu multumq; navatam „ operam literariam, ſupremæ ſcientiæ theſauri tandem ali- „ quando ſint inveſtigandi, donec vitæ curſu finito, non tam „ finiri mortalitas, quàm beata æternitas feliciter inchoari „ poſſit. Eadem felicitas Tibi procul dubio, Vir univerſi orbis „

lite-

literati calculo egregie, obtinget, ſi pari ſtudio ac diligentia „ cogitare pergas: *Qua ratione ad veram ſupremamq́ ſapientiam ſit properandum, cumq́ ipſa temporis rapiditate ita decertandum, ut pulcherrimus fructus ſuſceptum Divinâ ope laborem excipere queat?* Nobile ſic Vir. Cel. in ipſa infelicitate Tua „ corporali Felicis ex ANIMO LITERATI documentum „ dabis, laudatorum virorum ſummè & doctorum & beatorum „ accedes Syllabo, (ſiquidem meritis in Remp. literariam ijſdem haud ſis inferior) quinimo elogium tuum olim ſcripturo, ampliſſimum & nobiliſſimum Te commendandi argumentum ſubminiſtrabis, quodque præcipuum, perpetua & „ ſempiterna gaudebis proſperitate. DEUM, inquam, ipſum „ ſic trahes ad Te, ejuſque clementia ac benignitate felicitatis „ haud perituræ apicem attinges. Vale Vir eruditiſſime, & literariam hanc compellationem tribue pectori „

Salutis Tuæ flagrantiſſimo

T. S.

Nec piè præmeditata hæc corporeæ molis, in ſpem glorioſæ reſurrectionis, deſtructio, ſpiritusque, particulæ illius auræ divinæ, ex carcere moleſto educendi expectatio irrita fuit, ſupremo utpote nuper ingruente morbo, & ex mundana infelicitate WELSCHIUM æternæ felicitati, ac verè felicium Literatorum Ordini inſerente.

Non invidemus Ipſi partam ex voto Felicitatem, ſed tantum Urbis noſtræ, Orbiſq; totius literati decus ac præſidium abreptum ſi doleamus, quis vitio vertat? Quot inutilia Terra alit pondera, Urbis purgamenta, Civium tormenta, Literatorum opprobria, Medicinæ monſtra? Hæc tamen vivunt, florent, creſcunt. Non placido hæc ferremus animo, turbâ iſtâ expiandum diceremus durum mortis decretum, & unius tanti Viri redimendam vitam; niſi Divinæ Voluntati obluctari,

peccatūm: adverſa autem impatientiùs ferre, opprobrium: & immutabilia mutare velle, ſtultitia foret. Sed ſatis querelarum. Mihi potiùs, ipſum denominare morbum, jam incumberet, mortis tam acerbi autorem. Aſt cùm ejuſdem notitia ſtudiosè ſuppreſſa fuerit, parum certi de eo mihi innotuit. Quantum tamen ex Chirurgi, qui per integrum illud decennium, & imprimis ultima in hac ægritudine, Adſiſtentis munere defungi frequenter debuit, relatione hariolari licet, præter recrudeſcentem in ſiniſtro crure inflammationem, & exulcerationem, (in gangrænam, maturè tamē repreſſam, abeuntem,) in febrem acutam, deliriis interpolatis & ſummâ reſpirandi difficultate comitatam, nec, quantum conjecturari poſſum, abſq; impreſſione aliqua melancholica, incidit. Ab his ergo ſanguineâ craſi diſſolutâ, ſpiritibusq; diſſipatis, 11. d. Novembr. ſt. n. circa horam nonam veſpertinam placidè exſpiravit. Cujus exanimi corpori in Cœmeterio D. Stephani, honorifica cum pompa repoſito precamur,

ut ſit terra levis, molliq; tegatur arenâ.

Anima aſtris illata perfectam ibi ſcientiam eſt adepta. Memoria verò apud Nos nunquam moritura permanebit; ſcilicet

Quem ſui raptum gemuêre Cives,
Welſchius vivit, potiturq; magnâ
Nominis famâ. Rapiunt avaræ
Cætera Lunæ.

Te verò, Magnificum Dn. Præsidem, Vosq; omnes Dnn. Collegas Nobiliſſimos, qui juxta Symbolum Academicum, nunquam otioſi, magno fervore, quæcunque ad Artis ſervandorum hominum, rerumq; naturalium ſplendorem & augmentum faciunt, cum Nestore hoc Noſtro, inveſtigare hactenus laboraſtis, curiosè etiam porrò excolere necdum ceſſatis, Summus rerum Moderator diu conſervet incolumes, obſtacula quævis, generoſo conatui Veſtro contraria avertat, VOSq; Omnes & Singulos omni exquiſitâ felicitate perfundat! Mihi autem deſideratiſſimo favore Veſtro ulteriùs adeſte, tenuesq; has pagellas, pro addictiſſimi animi teſſera VOBIS ex merito conſecratas, benigno vultu ſuſcipite.

Amoris & Honoris
Monumenta,
Beatis WELSCHII Manibus
poſita
ab
Auguſtanis.

Vitæ Socia Virtus, mortis Comes GLORIA.

TE ſatis ipſa licet virtus, & plurima laudent
Ingenii monumenta tui, famaq; per Urbes
& ſuper aſtra voles, VELSCHI Clariſſime, quamvis
haud egeas parvæ laudis, ſuperantibus inde
plauſu doctorum, linguisq; animisq; faventum;
inde tuo calamo, raptum quem vivida Pallas
conſenſu Phœbi ſummâ ſacravit in arce.
Non tamen idcirco nobis indictus abibis,
ſi bona mens, & virtutis veneratio ſimplex
abs Te reſpicitur, celſis umbrata cupreſſis
prætexet tumulum ſtans inter lilia myrtus.
Credimus an Coi genium tibi mitis Apollo
ac mentem ſine more dedit? Sapientia toto
intravit Te plena gradu, Tibi creditur uni
rararum digeſtus opum, quas Græcus Arabsq;,
pectoribus clauſas eructant, quicquid Hebræus
aut tegit abſtruſum ſeptemplicis accola Nili;
& quo Roma ſuis Mater ſe jactat alumnis
doctrinæ cornu dives: Tu quicquid Eoi
ſcrutator pelagi Batavus miratur, & Afer
eſſe novum jubet, in re nota & ſimplice ponis.
Quid loquar heſperias quas ſe Sol condit in undas,
Occiduamq; plagam? Gallos, Anglosq; potentes
Hiſpanosq; graves? tua quos ſolertia victrix
panxit in ingenium, non vanescente triumpho.
Ac veluti ſtomachus, valido quem robore conſtans
intus agit calor, & multâ vi plurimus ignis
ſuccendit, congeſta focis alimenta ſupinat,
ut ſuperincumbens ſucci genialis honorem
percoquat, & proprium membris ſimilemq; miniſtret:
Par tuus, ô VELSCHI, calor, & fœcunda laborum
flammato mens corde valens, facturaq; ſeclo
virtutum ſterili (pudor eſt!) convicia noſtro.

Per noctem Tibi rara quies, quæſita voluptas
nulla cibis, rerum nunquam dispuncta profundo
cura mero, nec cum jucundis fractus amicis
ſorte dies, ſi ſol, annus, cœlumq; vocabant.
Cordi ſeceſſus, & amica ſilentia latè,
arcebas chlamydesq; ſimul, vulgusq; profanum,
deditus haud ſtudiis hominum, cuneosq; per omnes
in triviis celeber, facies non cognita turbæ.
Quot Tu cum Muſis luces & Apolline ſolus,
& quot continuas noctes, ſcit conſcia lampas,
immortali oleo ſemper fœcunda, loquuntur
cerarum fumi, & nigri fuligine poſtes.
Quin adeo tener ante diem puerilibus annis
viciſti æquales; memini dixiſſe *Parentem*
ſæpè mihi *noſtrum*, tua qui bona pectora primus
artibus ingenuis, atq; os implevit apertum
flumine Romano, qui Te benè merſit in undas
Pimpleas, græcamq; ſitim ſuggeſſit hianti;
Quam nec, ſi cunctos Helicon indulgeat amnes,
Parnaſſusq; biceps, ſedaret Apollinis urna.
Jam tum Tu neq; plebejam, aut ſine numine dextro
ſpirabas mentem, ſed cunctis celſior ibas.
O quoties acclamatum Tibi: Macte nitenti
Ingenio curâq; puer: tecum iſta ſeneſcant
dona animi, tecum diſcat medicina renaſci.
Nec ſpes vana fuit, mediâ de morte triumphos
ſæpè ſalutiferis herbis tua dextra relatos
ingeminabat ovans, tu Troica ſecula mundo
reddere, *Neſtoreosq;* ſitus medicamine læto
audebas ſenibus ſine more reducere fractis.
Talem pæonio ritu ſuccinctus Japis
ſe referebat, opem Æneæ laturus amicam:
Talis in arte fuit Podalirius atque Machaon.
Noſti *Auguſta* viros rigidi quos faucibus orci
ſemineces rapuit, juſſitq; animoſus in artus
frigentes remeare animas ope VELSCHIUS aptâ.
At nunc, heu durus Fati tenor! ultima fili
vitalis Tibi rupta cadunt, operoſa medentis

auxiliata aliis extremâ in morte facultas
nil juvat auctorem, nullas fatalibus annis
cernimus eſſe moras. Tempus nunc ponere frondes
Phœbe tuas, gracilesq; inducere fontibus umbras,
& nigrare fores myrtis, mœſtaq; cupreſſo.
Huc nobis Cilicum meſſes, & cinnama multâ
mixta rosâ, Aſſyrios ſuccos, arſuraq; flammis
ac redolente bolo rectam facientia nubem
munera, natorum venturos ibit in annos
noſter honor, memoriq; leget tua pectore ſcripta
credula poſteritas incaneſcente papyro.
Tu vero cape ſacra manu, doctiſſime SCHRÖCCI,
ad titulos, nomenq; tuus quod *Avunculus* ingens
geſſerat, adjiciens animum, Tibi lampada tradit
VELSCHIUS, è tumuloq; cupit contendere ſecum
Ingenio & ſtudiis gravibus ſpectare Nepotem.
Ergo age, nam juvenem quid Apollinis infula texit?
Macte, quid anguſtè tacitos metiris honores?
Sit felix *Auguſta* tuis ſucceſſibus, imple
Augurium, tantisq; enitens ſuffice ſpebus.

Hoc qualecunq; officium
Ingenio, Nominiq; VELSCHIANO fulgentiſſimo, & in eximiis incomparabili, extremum velut honorem Imq; exhibere niſus eſt

M. Johannes Crophius, Auguſt.
Collegij A. C. in patria Ephor.

Lacrymoſe Scazon, ſi qvid hactenùs juvit,
Vacâſſe diris triſtium qverelarum;
Exuberanti nunc profunde torrente
Lamenta, crebris lacrymis laceſſita.
Jacet furentis turbine necis everſum,
Columen Hygeæ; Sqvalet obſitum nocte,
Illuſtrioris acre Lumen AUGUSTÆ;
Manſvetiorum Corculum Camenarum,

Sev:

Severiorum & eruditior Vindex
Scientiarum, funebrem torum mordet.
Ille, ille Clarii Ductor Ordinis, Condus
Tot literarum fertili ſinu mentis,
Tenebricoſum WELSCHIUS *ſubit Saxum.*
A fonte vitæ labra Cui Caballino
Latice rigavit Phœbus; eloqvî mella
Ingeſſit ori Svada; ferreus luces
Sociare ſvaſit noctibus labor; plebis
Calcare fluctûs mobiles ſupra Lunam
Evectus animus. Totus hîc ſibi aſſertus
Æternitatis egit indies ſacrum
Negotium, tropæa tot locans Famæ
Vivacioris, Scripta qvot cedro digna
Felice parturivit ingenî fœtu:
Qveis edomantur tela mortis infeſta,
Inhibentq́ fluxum propera fila Parcarum;
Sereniores vel bibit Phyſis flammas,
Trabeata Phrygio Marte veſte contextâ,
Heſperia gemma qvam venuſtat Eoæ
Marita, qvarum ſolus optimè nôrat
Rutilum valorem; rem librariam noſtram
Qvibus & beavit publicam. Sed hæc cuncta
Fuêre; nunc nîl, qvàm levis cinis reſtat,
De tot triumfis Gloriæ. Plagas qvamvis
Niveis per Orbis fulgidum volet Nomen
Rotis, ſonorâ & buccinâ canat Rumor:
Aliis Superſtes WELSCHIUS; Sibi, raptus.

Supremo undiqvaq; Celeberrimi
Viri Honori p.

M. Georgius Fridericus Magnus,
Gymn. Auguſt. Rector & Reip.
Bibliothecar.

EN! AUGUSTA novum & redivivum NESTORA deflet
amiſſum; quondam qui decus orbis erat.
NESTORA primates, Medica de gente, ſepultum
lugent, & lachrymis ora genasq; rigant.
NESTORA, quem nuper ſapientem Nauta vocavit,
ARGUS cui navis nobile nomen ineſt.
Omnia NELIDÆ ſimilem qui noverat ipſum,
excepto hoc uno, quod ruit ante diem.
Noſter namq; novus NESTOR, ſi NESTORIS annos
illius æquaſſet, queis minor ipſe fuit;
Poſtera vidiſſent ſuperantem ſecla priorem,
partibus in multis, NESTORA quippe ſenem.
Quique tot ingenii fœtus terſosque gravesque
jam toties docta fuderat ante manu;
Is porro longe plures creſcente dediſſet
ætate, adque ſenem deproperante ſuum.
Aſt, quis non doleat, nunc tot monimenta carere
luce ſua? tantas poſteritatis opes?
O Utinam doctus ſurgat Succeſſor, & omne
rellictum noſtri NESTORIS edat opus!
Sed faciat, quod quiſque poteſt, qui conſulit orbi
arte Machaonia; NESTOR ut ipſe cluat!

cordolentiæ cauſa ſcribebat

M. Narciſſus Rauner.
Gym. Aug. Patr. P. P.

BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY

WELSCHIUS
Verba facit mortuus.

QUi me cunque malus, caream quod ſtirpe, reprendis;
Deſine, nam mea ſtirps ſunt monumenta mihi.
Scilicet in libris vivet mea fama ſuperſtes;
Hæc mihi ſtirps potior nomina magna dabit.
Pluribus, heu! quoties natis infamia parta eſt,
Quos nunquam genitos forſitan ipſe voves;
Ingenium at quodcunque meum peperiſſe videbis,
Non nece, non ulla nocte perire poteſt.

Patruo honoratiſſimo lugens appoſuit

Johannes Jacobus Welſchius.

BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY

FINIS.